
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
BIBLIOTECA
8
12
G
17

TRACTATVS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Siue

DE DEO TRINO

Tomus Secundus.


Auctore


FR. PETRO DE COMITIBVS ROMANO

Ord. Er. S. Aug. de Ancona

Artium, & Sacræ Theol. Doctore, & Magistro, & in Conuentu S. Stephani Venetiarum Regente,

Necnon SS. Officij Consultore, & Librorum Reuisore.






VENETIIS, M.DC.LXXX.

Typis Io: Franciscum Valuasensem.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

[illegible]

[illegible]



INDEX

Diſputationum, & articulorum, qui continentur in hoc 2. Tomo de Deo Trino.

DISPVTATIO XVIII.

De Perſona Patris.

DISPVTATIO XIX.

De Persona Filij.

DISPVTATIO XX.

De Generatione Verbi.

DISPVTATIO XXI.

De Persona Spiritus Sancti.

DISPVTATIO XXII.

De vnitate principij spiratiui.

DIS-

DISPVTATIO XXIII.

De nominibus, effectibus, & figuris Spiritus Sancti.

ARt.1. *An conuenienter dicatur Spiritus, Sanctus, Amor, & donum?*
*Ar.*2. *An Pater, & Filius diligant se Spiritu Sancto?*
*Ar.*3. *An Spiritui Sancto congruè attribuantur effectus naturæ, & gratiæ?*
*Ar.*4. *An conuenienter sub varijs figuris apparuerit Spiritus Sanctus?*

DISPVTATIO XXIV.

De Aequalitate Personarum.

ARt.1. *An diuinæ Personæ sint æquales secundùm potentiam?*
*Ar.*2. *Soluuntur argumenta contraria.*
*Ar.*3. *An potentia generandi, & spirandi reducantur ad omnipotentiam?*
*Ar.*4. *An potentia generandi, quæ est in Patre, sit etiam in Filio, & Spiritu Sancto?*
*Ar.*5. *Soluuntur alia duo argumenta, & examinatur doctrina diui Thomæ.*
*Ar.*6. *An sint æquales quoad æternitatem?*
*Ar.*7. *An sint æquales quoad dignitatem, & magnitudinem?*

DISPVTATIO XXV.

De Circuminſeſſione Perſonarum.



DIS-

DISPVTATIO XXVI.

De missione Personarum

AR.1. *An verè missio sit in diuinis?*
Ar.2. An missio sit idem, atque processio, & datio?
Ar.3. An missio diuinæ personæ sit temporalis?
Ar.4. An missio conueniat omnibus Personis?

DISPVTATIO XXVII.

De Diuina Essentia.

AR.1. *An essentia diuina generet, & spiret?*
Ar.2. An essentia diuina generetur, & spiretur?
Ar.3. An essentia generetur, vt est in filio?
Ar.4. An saltem essentia generetur per accidens?
Ar.5. An essentia sit terminus formalis generationis diuinæ?
Ar.6. An diuina essentia, circumscriptis Personis, creet, & possit dici creatrix?

DISPVTATIO XXVIII.

De termino Deus.

AR.1. *An Deus aliquando ſupponat prò eſſentia, & aliquando prò ſuppoſitis?*

Ar.2. An quando Deus ex adiunƈto ſupponit prò ſola eſſentia, ſupponat prò illa vt ſubſiſtente?

Ar.3. An ſint veræ hæ propoſitiones, Deus generat Deum, Deus generatur à Deo?

Ar.4. An ſit vera hæc propoſitio, Deus genuit alium Deum?

Ar.5. An ſit vera hæc propoſitio, Deus non generat?

Ar.6. An ſit vera hæc, Deus genuit Deũ, qui eſt Deus Pater?

DISPVTATIO XXIX.

De Termino ſubſtantia.

AR.1. *An diuinæ Perſonæ poſſint dici tres ſubſtantiæ?*

Ar.2. An poſſint dici tres eſſentiæ, formæ, vel quidditates?



DISPVTATIO XXX.

De concretis, & abstractis

AR.1. *An nomina essentialia concreta conueniant Personis in numero multitudinis?*

Ar.2. An nomina essentialia in abstracto prædicentur de personis, & viceuersa?

Ar.3. An veritas prædicetur de Personis?

DISPVTATIO XXXI.

De Actibus notionalibus.

AR.1. *An actus notionales præintelligantur proprietatibus?*

Ar.2. An actus notionales sint fundamenta relationum?

DISPVTATIO XXXII.

Vocabularium Theologicum.

AR.1. *An possit dici, quòd vna Persona sit diuersa, vel aliena ab alijs?*

Ar.2. An possit dici, quòd Personæ sint differentes, vel diuersæ inter se?

Ar.3. An possit dici Deus vnicus, singularis, indiuiduus, solitarius?

Ar.4. An possit dici, quòd solus Pater, vel solus Filius sit Deus, vel quòd

Deus sit solus?


Ar.5. An possit dici, quòd una Persona sit aliud ab alijs? Vel quòd omnes sint vnus masculinè?

Ar.6. An possit dici, quòd omnes Personæ sint vnius essentiæ, substantiæ, vel naturæ? Vel ex eadem essentia?

Ar.7. An Deus sit triplex, vel trinitas, vel tres, vel trinus?

At.8. An Filius possit dici principiatus, vel habere principium à Patre?





DISPVTATIO XVIII.

De Persona Patris.



Gentes de Personis in particulari, initium sumemus à Persona Patris; circa quam quæremus 1. An sit principium, & fons totius diuinitatis? 2. An sit author, & causa Filij, & Spiritus Sancti? 3. An sit principium, & initium Filij? 4. An conuenienter dicatur Pater? 5. An esse ingenitum sit proprium Patris? 6. An genuerit filium de sua substantia? 7. An genuerit liberè, vel necessariò, vel aliqua voluntate.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Pater sit principium, & fons totius diuinitatis?

VIdetur non esse, vt propugnant Torres, Vasquez, Molina, Suarez, Bannes,

nes, & Zumel, quorum primi asserunt, conclusionem affirmatiuam esse improprium modum loquendi, & postremi esse improprium, & in rigore falsum.

1. Quia diuinitas est principium virtuale, à quo sunt virtualiter intrinsecè omnia prædicata personalia, vt probat Martinus de Esparsa de Trinit. q. 41. art. 5. Ergo potiùs ipsa est principium Patris, & aliarum Personarum.

2. Diuinitati, ratione sui formaliter, conuenit omnis perfectio simpliciter simplex: Sed aseitas, per quam repugnat esse ab alio, est perfectio simpliciter simplex, vt patet. Ergo conuenit diuinitati. Sed quod est essentialiter à se, cum repugnatia essendi ab alio, non potest habere principium. Ergo Pater non potest esse principium diuinitatis.

3. Tota ratio, quare terminationes libere (in sententia illas penitùs identificante cum essentia) dicantur procedere virtualiter intrinsecè à diuinitate, est quia sunt ita realiter cum illa identificatæ, vt distinguantur ab illa virtualiter intrinsecè, respectu cuius proinde habent posterioritatem, secundùm subsistendi consequentiam, eò quia ex illis valeat consequentia ad diuinitatem, non tamen e conuerso. Sed hæc omnia verificantur suo modo de omnibus prædicatis relatiuis ad intra. Ergo etiam hæc sunt posteriora respectu essentiæ. Sed quod est posterius, non potest esse principium illius, quod est prius. Ergo cùm Pater sit ex numero relatiuorum

rum ad intra, non potest esse principium diuinitatis.

4. Vel Pater esset principium diuinitatis in abstracto, vel in concreto? Non primum, quia diuinitas produceretur. Neque secundum, quia Pater esset principium sui. Sed vtrumque est absurdum. Ergo Pater non est principium totius deitatis.

Conclusio, *Pater est principium, & fons totius diuinitatis, non tamen in abstracto, sed in concreto.*

Probatur prima pars, quòd Pater dicatur fõs, & principiũ totius diuinitatis, multiplici testimonio Conciliorum, & Patrũ. Nam Florentinum sess. 24. sub med. ait, *Filius Spiritum Sanctum mittere creditur, non tamen vt Pater præcipuè, quandoquidem Pater ipse radix, & fons diuinitatis existit.* Et sess. vlt. Eugenius 4. in litt. vn. sub med. ait, *Latini affirmauerunt, non se hac mente dicere, Spiritum Sanctum ex Patre, filioque procedere, vt excludant Patrem, quin sit fons, ac principium totius deitatis.* Et Toletanum sextum c. 1. sub. init. ait, *credimus, & profitemur Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem totius diuinitatis.* Et Toletanum vndecimum in prof. fid. init. *Ex quo & Filius natiuitatem, & Spiritus processionem accepit. Fons ergo ipse est, & origo totius diuinitatis.* Item Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 20. post med. super illud Ioan. 15. *quem ego mittam vobis à Patre,* ita emphaticè loqui-

quitur, *non dixit quem mittet Pater à me, quemadmodum dixit, quem ego mittam vobis à Patre, videlicèt ostendens, quòd totius diuinitatis, vel si meliùs dicitur, deitatis principium Pater est*. Item Ambros. in symb. Apost. c. 1. *Pater origo est deitatis, & bonitatis*. Item Dyon. lib. de diu. nom. c. 2. sub med. ait, *solus Pater fons est calestis diuinitatis*. Et infra, *à diuinis scriptis accepimus, Patrem esse (vt ita dicam) fontanam diuinitatis*. Et de cœl. hyer. c. 1. sub init. *Qui est diuinitatis fons, ac principium*. Item Athanas. con. gregales Sabel. sub in. *solus fons deitatis*. Quibus consonant ferè omnes alij, cum nostro Egid. in 1. d. 29. p. p. d. 1. q. 1. tanta cum vniformitate verborum, & firmitate consensus, vt Fasolus q. 33. ar. 1. dub. 3. n. 20. dicat, *verùm vt proprius sensus, si minus ex proprietate sermonis, saltem ex communi loquentium consuetudine, existimandus est, quem iam post tot sacula, habet illa propositio, ex frequentissimo, & receptissimo vsu sapientissimorum theologorum, qui eam amplexati sunt*:

Probatur secunda pars, primò quia si Pater esset principium deitatis in abstracto, deitas esset genita, sicut est genita filiatio, quod infra videbimus esse falsum. 2. Deitas est in Patre, vt eius natura, & essentia. Ergo si esset à Patre, natura, & essentia Patris esset à Patre, adeòque Pater esset principium sui, quod repugnat. 3. Pater non generat, seu produ-

ducit, nisi per deitatem, quæ est virtus formalis, & potentia ipsius. Ergo si Pater illam produceret *vt quod*, ipsa esset principium *quo*, respectu sui ipsius, adeòque esset potentia productiua sui, quod repugnat.

Probatur tertia, nihil est in Trinitate productum, quod non sit à Patre. Ergo Pater est principium totius Trinitatis. Et ideo Concilium Vuormatiense in prof.fid.in.ait, *Pater ergo fons est, & origo totius Trinitatis*, quasi explanans verba aliorum Conciliorum. Et diuus Thom. 1. p. quæst. 39. ar. 5. ad 6. ait, *cum dicitur Pater est principium totius deitatis, potest sumi pro vniuersitate personarum, inquantum scilicet in omnibus personis diuinis ipse est principium*. Et in fine, *vel potest dici, quòd est principium totius deitatis, non quia eam generet, & spiret, sed quia eam generando, & spirando communicat*. Cùm ergo tàm Verbum, quàm Spiritus Sanctus producantur à Patre vt Deus, accipiendo ab illo, & ex vi productionis, diuinitatem, ratione cuius possunt dici Deus de Deo, ideo potest in aliquo vero sensu dici Pater fons, & origo totius diuinitatis, hoc est totius illius, quod producitur per communicationem diuinitatis. Et diuus Bonauentura in 1.d. 29. dub. 1. ait, *sensus locutionis hic est, Pater est principium totius deitatis, idest omnium personarum in deitate*. Cui consonat Magister in 1.d.29.in. *Non ergo dicitur prin-*

principium totius deitatis, quòd vel sui, vel diuinæ essentiæ principium sit, sed quia principium est Filij, & Spiritus Sãcti, in quibus singulis tota diuinitas est. Ex quibus omnibus deducitur, Patrem esse principium deitatis in concreto, hoc est vt subsistentis in suppositis, non autem in abstracto, vt est in se.

Vnde patet respõsio ad obiecta, quæ cõcludũt quidẽ, Patrẽ nõ esse fontem diuinitatis in abstracto, non autẽ in concreto. Non proinde Pater esset principium sui, vt infertur in quarto, quia (vt optimè obseruat diuus Tho. loc. cit.) *rector totius populi non est rector sui*; & (vt obseruat Bonau. loc. cit.) *cœlum continet omnia, se excepto*. Et Verbum est id, per quod facta sunt omnia, ipsum tamen non est vnum ex factis, vt intulit Augustinus. Quattuor ergo fomalitates sunt in Patre, per quas constituitur in esse principium Filij, & Spiritus. Prima est ratio suppositi, quæ constituit illum in esse principium *quod*. Altera est essentia, quæ est illi principium *quo*, tamquam virtus formalis, & ratio fæcunditatis. Vltimæ sunt paternitas, & spiratio, quæ sunt illi tamquam actiones, seu origines actiuæ, & vltimæ determinationes ad producendum. Sed hæ sunt ad aliud. Ergo non possunt constituere Patrem in esse principium sui productiuum. Quòd autem diuinitas sit virtus Patris, & tota ratio fæcunditatis ad intra, pro-

probatur 1. ex eo, quia tota ratio, cur admittamus in Deo distinctionem virtualem intrinsecam, ad saluandam realem identitatem cum tribus realiter inter se distinctis, est infinita perfectio diuinæ essentiæ, seu diuinitatis. Ergo est tota ratio formalis obiectiua, cur vna persona possit aliam producere, atque adeo est virtus productiua ad intra. 2. quia aliòquin diuinitas non esset principium virtuale omnium relatiuorum, vt dicitur in 1. arg. quia non daret Patri determinationem ad producendum, quæ solùm habetur à virtute productiua. 3. Pater est productiuus filij, vt intelligens; & Pater, & Filius est productiuus Spiritus Sancti, vt volens. Sed tota ratio intelligendi, & volendi est essentia. Ergo hæc est tota ratio producendi.

Dices, omnis virtus productiua realiter distinguitur à termino producto. Sed essentia non distinguitur realiter à filio, qui est terminus paternæ productionis. Ergo non est virtus productiua in Patre.

Distinguo maiorem, si sermo sit de virtute, quæ ipsa immediatè producat, vt est calor ignis, quæ proinde dicitur virtus separata, concedo: si de virtute coniuncta, hoc est quæ per aliam, cui communicatur, quasi mediatè operetur, nego maiorem. Et admissa minori, nego consequentiam. Et dico, essentiam esse ita virtutem in Patre, vt non ipsa immediate, sed Pater, cui communicatur, per ipsam operetur. Ergo non ipsa, sed Pa-

ter

ter debet distingui à Filio, vt termino productionis.

ARTICVLVS II.

An Pater sit author; & causa Filij, & Spiritus Sancti?

Videtur, Pater non posse dici author Filij, & Spiritus, 1. Si Pater esset author vtriusque ex eo, quòd vtrumque producit, etiam Filius esset author Spiritus, quem producit. Consequens non admittitur ab Egidio, & diuo Tho, quorum primus in 1. d.29.p.p.d.q.1. sub fin. corp. ait, *author, eò quòd authoritatem importat in producendo, non dicitur, nisi quod principaliter producit; nam authoritatiuè facere, est principaliter facere. Et secundùm hoc, nomen authoris ideo Patri competit, quia non ex alio est productus; ipse enim est fontana diuinitatis*: Et secundus in 1.d.29.q.1.ar.1. in fine corp. *solus Pater author dicitur, quamuis etiam Filius dicatur principium notionaliter, quia nomen authoris addit super rationem principij, hoc quod est, non esse ab aliquo*. Ergo Pater non potest dici author Filij, & Spiritus Sancti.

2. Ille est author, qui est inuentor eius, quod fit de nouo. Sed Pater non facit de nouo Filium, & Spiritum, quos non in tempore, sed ab æterno producit. Er-

Ergo non est author ad intra, sed ad extra, respectu creaturarum.

3. Videtur econtra meliùs dici causa vtriusque, vt propugnat Aureol. in 1.d. 29.q.vn.ar.2. sub in. Primò quia August. lib.83.qq.q.15.& 16. ait, *Deus omnium quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est, nec vmquam Deus sine sapientia sua. Igitur sempiterna sapientiæ suæ causa est sempiterna.* Vbi nonine sapientiæ intelligitur Verbum æternum, cui appropriatur sapientia. 2. Riccardus Victor. lib.5. de Trin.c.7. post med. personam producentem vocat causaliter priorem, & quod vna sit causa alterius. 3. Anzelmus de processf. Spiritus Sancti c. 11. ait, *idipsum intelligimus, si dicimus, Patrem esse causam Filij, & Patrem, & Filium causam Spiritus Sancti. Non enim duas possumus dicere causas, aliam videlicèt Filij, & aliam Spiritus Sancti, sed vnam.* Demum quia Græci passim vsurpant in diuinis nomen causæ, & causati. Ergo, &c.

Conclusio, *Pater propriẏssimè dicitur author Filij, & Spiritus Sancti, minùs propriè Filius dicitur author Spiritus Sancti; neuter tamen dicitur causa personæ productæ, nisi in sensu Græcorum.*

Probatur prima pars, Primò ex Aug. lib.3. con. Maximin.c.5. in. dicente, *si authorem propterea dicis Patrem, quia de ipso est Filius, non est autem ipse de Filio; & quia de illo, & Filio sic procedit*

Spiritus Sanctus, vt ipse hoc dederit Filio, gignendo eum talem, vt etiam de eo procedat Spiritus Sanctus; ista tua, etiam nostra sunt verba. 2. ex Hylario lib. 12. de Trin. sub med. *aliud est sine authore semper esse aeternum, aliud Patri, idest authori esse coaeternum.* 3. Ex Mag. in 1. d. 9. litt. O. *Pater enim generatione author Filij est.* 4. ex Athan. dial. 1. de Trin. sub med. *quod non est conditum, aut est ingenitum, aut genitum, aut procedens, vt ex authore sine causa.* 5. Ex Dyonis. de cœlesti hyer. sub in. dicente de Filio Dei, *lux est Patris, cuius benignitate nobis ad Patrem lucis authorem aditus patuit.* Quibus consonant Nazianzenus, Eusebius, & passim alij Doctores. Sed quod est commune penes Doctores, & Patres, non est improprius modus loquendi. Ergo dicere, Patrem esse authorem Filij, & Spiritus Sancti, non est improprius modus loquendi. Præterea quia Filius Io: 14. vocat maiorem Patrem, ideo Hylarius 9. de Trin. post med. intulit in Patre nescio quamdam authoritatem, ratione cuius meritò, & proprijssimè dicitur author Filij, dicens, *in eo quòd Pater maior est, confessionem paternæ authoritatis intellige.* Et concludit, *Pater donantis authoritate maior est, sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.* Et affert rationem diuus Tho: 1. p. q. 33. ar. 1. ad 2. *quia licèt attribuamus Patri aliquid authoritatis, ratione principij, nihil tamen ad subie-*

ctio-

ctionem, vel minorationem quocumque modo pertinens, attribuimus Filio, vel Spiritui Sancto.

Probatur secunda pars, quia intantum Filius dicitur author Spiritus Sancti, inquantum accepit à Patre authoritatem, producendi cum illo Spiritum Sanctum. Ergo non habet ex se talem authoritatem, quod esset necessarium, ad hoc vt principaliter produceret, & diceretur author, in proprietate rigorosa vocabuli, vt docuit Egidius, simul cum diuo Tho: sicut retulimus in 1. argumento. Quòd autem etiam Filius dicatur author Spiritus, licèt minùs propriè, probatur 1. Ex Hylario lib.2.de Trin.post med. dicente de Spiritu Sancto, *de Patre, & Filio authoribus confitendus est*. 2. Ex Athanasio ep. ad Serapionem, *Apostolus quæ in eo operatur Spiritus, Filio authori eius attribuit; sicut, & Filius quæ ipse facit opera, suo authori Deo Patri attribuit*. 3. Ex Nazianzeno, Epiphanio, Augustino, alijsque penès Fasolum q.33. ar.1.dub.4.n.26.

Probatur tertia ex ijs, quæ diximus in 1. phys. disp. 1. ar.4. in quo probauimus, nomen causæ, penès Græcos, non aliud significare, quàm illud, ex quo aliud quomodocumque procedit, & ideo conuertitur cum principio. At penès Latinos, quia significat id, ex quo dependet aliud essentialiter contingens, cum vera prioritate naturæ ex parte causæ, & vera dependentia ex parte effectus, vt fusè pro-

Spiritus Sanctus, vt ipse hoc dederit Filio, gignendo eum talem, vt etiam de eo procedat Spiritus Sanctus; ista tua, etiam nostra sunt verba. 2. ex Hylario lib. 12. de Trin. sub med. *aliud est sine authore semper esse æternum, aliud Patri, idest authori esse coæternum.* 3. Ex Mag. in 1. d. 9. litt. O. *Pater enim generatione author Filij est.* 4. ex Athan. dial. 1. de Trin. sub med. *quod non est conditum, aut est ingenitum, aut genitum, aut procedens, vt ex authore sine causa.* 5. Ex Dyonis. de cœlesti hyer. sub in. dicente de Filio Dei, *lux est Patris, cuius benignitate nobis ad Patrem lucis authorem aditus patuit.* Quibus consonant Nazianzenus, Eusebius, & passim alij Doctores. Sed quod est commune penes Doctores, & Patres, non est improprius modus loquendi. Ergo dicere, Patrem esse authorem Filij, & Spiritus Sancti, non est improprius modus loquendi. Præterea quia Filius Io: 14. vocat maiorem Patrem, ideo Hylarius 9. de Trin. post med. intulit in Patre nescio quamdam authoritatem, ratione cuius meritò, & proprijssimè dicitur author Filij, dicens, *in eo quòd Pater maior est, confessionem paternæ authoritatis intellige.* Et concludit, *Pater donantis authoritate maior est, sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.* Et affert rationem diuus Tho: 1. p. q. 33. ar. 1. ad 2. *quia licèt attribuamus Patri aliquid authoritatis, ratione principij, nihil tamen ad subie-*

ctio-

ctionem, vel minorationem quocumque modo pertinens, attribuimus Filio, vel Spiritui Sancto.

Probatur secunda pars, quia intantum Filius dicitur author Spiritus Sancti, inquantum accepit à Patre authoritatem, producendi cum illo Spiritum Sanctum. Ergo non habet ex se talem authoritatem, quod esset necessarium, ad hoc vt principaliter produceret, & diceretur author, in proprietate rigorosa vocabuli, vt docuit Egidius, simul cum diuo Tho: sicut retulimus in 1. argumento. Quòd autem etiam Filius dicatur author Spiritus, licèt minùs propriè, probatur 1. Ex Hylario lib. 2. de Trin. post med. dicente de Spiritu Sancto, *de Patre, & Filio authoribus confitendus est*. 2. Ex Athanasio ep. ad Serapionem, *Apostolus quæ in eo operatur Spiritus, Filio authori eius attribuit; sicut, & Filius quæ ipse facit opera, suo authori Deo Patri attribuit*. 3. Ex Nazianzeno, Epiphanio, Augustino, alijsque penès Fasolum q. 33. ar. 1. dub. 4. n. 26.

Probatur tertia ex ijs, quæ diximus in 1. phys. disp. 1. ar. 4. in quo probauimus, nomen causæ, penès Græcos, non aliud significare, quàm illud, ex quo aliud quomodocumque procedit, & ideo conuertitur cum principio. At penès Latinos, quia significat id, ex quo dependet aliud essentialiter contingens, cum vera prioritate naturæ ex parte causæ, & vera dependentia ex parte effectus, vt fusè pro-

probauimus in 2. phys. disp. 2. ar. 2. ideo fuit permissus Græcis vsus talis nominis in diuinis, non autem Latinis, vt definiuit Eugenius IV. in Flor. sess. vlt. in litt. vnionis.

Ad 1. Nego consequentiam. Et dico, Egidium, & diuum Thomam vsurpasse nomen authoris in propria, & rigorosa significatione, quatenus dicit principium sine principio, secundum quam non conuenit, nisi Patri. Nos autem accipimus illud in latiori significatione, vt ostendimus in probatione secundæ partis; & ideo hæc auctoritas non est contra nos.

Ad 2. Dico, quòd licèt nomen *author* secundùm suam primæuam institutionem, fuerit impositum ad significandum rerum inuentorem; tamen deinde eius significatum fuit à philosophis, & theologis ampliatum, ita vt extendatur etiam, ad significandum principium actiuum alterius, in sensu explicato. Eo modo quo nomen *persona*, fuit institutum ad significandum hominem, sub vultus tegumento in theatris grauiùs personātem, & deinde fuit translatum ad significandum indiuiduum, seu suppositum naturæ intellectualis, vt ostendimus in disp. met. lib. 2. disp. 3. ar. 1. ob vocum penuriam, qua laboramus. Ergo licèt Pater non faciat de nouo Filium, tamen verè dicitur eius author, in sensu philosophico, & theologico.

Ad 3. Patet responsio ex dictis in probatione tertiæ partis. In quorum confir-

firmationem placet afferre quæ Cardinalis Bessarion Græcorum doctissimus, in Florentino in or.dog.ad suos.§.vlt.dixit super hoc, *Sancti doctores orientales, etiam in diuinis, vtuntur nomine causæ, & causati largo modo. Non quidem vt limitationem, & dependentiam importet, sed prout productionem, & emanationem à principio, eius quo est à principio significat*. Ecce quomodo in græcanico idiomate, hi termini, *causa*, & *causatum*, non important illam imperfectionem, quam important in latino. Et ideo permittebantur olim Græcis, licèt nunc non permittantur, clamante Cyrillo lib 2.dialog.post med. *causam autem & causatum, neque nominare fas est*.

Ad locum allatũ ex Augustino, dico, illum appellasse quidem Deum rerum causam, hoc est creaturarum, in genere efficientis; at suæ sapientiæ causam dixisse solum, in genere causæ formalis, quatenus videlicèt ipsa diuinitas est ratio formalis intrinseca sapientiæ. Aliter falsum dixisset; cùm enim sapientia sit perfectio simpliciter simplex, est prædicatum essentiale deitatis, quod licèt filio approprietur, est tamen omnibus personis commune, secundùm realitatem. Ergo non est productum, sed communicatum à Patre, qui proinde neque in sensu Græcorum est causa illius. Ad Riccardum, & Anzelmum dico, illos fuisse locutos in sensu Græcorum, ea fermè tempestate florentium, quiubscum assiduò

à Latinis contendebatur. Nunc autem valeat contra ipsos oraculum diui Thomæ,qui opusculo 1. con.err.Græcorũc.1. ait, *Causa apud nos correspondet effectui. Vnde Patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat, filium esse factum*, quod est error Arrianorum.

ARTICVLVS III.

An Pater sit principium, & initium filij?

VIdetur 1. quòd Pater non possit dici principium filij. Primò quia omne principium est correlatiuum principiati, cùm sit impossibile,cõcipi aliquod principiare, nisi concipiatur aliud principiari. Sed filius non potest dici principiatus; aliter diceretur factus cum Arrianis. Ergo neque Pater eius principium.

2. Omne principium est prius eo, cuius est principium. Pater autem non est prior filio, dicente Athanasio in suo symbolo, *& in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus*. Ergo non est eius principium.

3. Videtur quòd neque possit dici initium filij. Primò quia initium dicit primam durationem. Ergo si filius haberet initium, non esset ab æterno. Deinde initium dicit incæptionem, ea enim dicimus habere initium, quæ incipiunt. Sed Filius numquam incæpit, aliter non esset

esset Patri coæternus. Ergo non habet initium.

Conclusio, *Non solùm Pater dicitur propriè principium filij, sed etiam initium, licèt non ita propriè.*

Prima pars vix indiget probatione, cùm tàm frequenter ab omnibus admittatur hic modus loquendi, cum diuo Thom. hic q. 33. ar. 1. & Magistrô in 1. d. 29. litt. C. vt temerarium esset ab illo recedere. Probatur tamen, quia illud est principium, de quo verificatur, quòd sit id, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur, iuxta definitionem à nobis traditam in 1. phys. disp. 1. ar. 2. ex Phil. 5. met. c. 1. Sed de Patre verificatur, quòd sit id, vnde est filius. Et ideo Aug. lib. 5. de Trin. c. 14. init. ait, *si gignens ad id, quod gignitur principium est, Pater ad filium principium est, quia gignit eum:* Et de Patre, & filio verificatur, quòd sint id, vnde est Spiritus Sanctus. Ergo verè vterque est principium, Pater Filij, & cum filio Spiritus Sancti.

Probatur secunda pars, nomē, *initium*, propriè est institutum ad significandam vel primam durationem, vel primam partem. Ergo impropriè tantùm accipitur, ad significandam originem ex principio productiuo. Et ideo plures ex Patribus attendentes id, quod hoc nomen significat, apertè negarunt, Patrem esse initium Filij, vt Damascenus qui lib. 1. fidei c. 8. sub med. ait de filio. *sine tempore & initio est eius generatio.* Et Athanas. or. 2.

con. Arrian. sub med. *aeternitatem, existentiamque ante saecula, nullo principio initiatam sacrae scripturae de filio docent*. Et fulgentius lib. 1, ad Trasimundum, *sine initio Deus natus substantialiter ex Deo Patre*. Et Hylarius lib. 4. de Trin. sub init. quem sequitur Magister in 1. d. 29. lit. C. *confitetur Ecclesia, & filij originem ab aeterno, non ipsum ab initio, sed ab ininitiabili*. Contra verò alij confundentes hoc nomen cum nomine *principium*, non abstinent ab vsurpatione huius termini, vt Clemens Rom. lib. 1. recog. dicens sub fin. *filium Dei vnigenitum dicimus, non ex alio initio, sed ex ipso infallibiliter natum*, hoc est natum ex solo Patre. Et Chrysostomus hom. 1. in symbol. Apost. sub med. *istum vnicum Dei filium de substantia Patris natum, & genitum confitemur, & initium de Patre habere dicimus*. Et Syrmica Synodus penes Hylar. lib. de synodis post med. *Si quis innascibilem, & sine initio dicat filium, tamquàm duo sine principio, & duo innascibilia, & duo innata dicens, duos faciat Deos, anathema sit*. In quibus verbis clarè apparet, initium, & principium promiscuè fuisse vsurpatum, cùm semel dicatur sine initio, & semel sine principio. Ergo est quidem tutum in fide asserere, Patrem esse initium filij, non tamen propriè dictum; atque adeo melius, & tutius est, vsurpari nomen principium, vt fusè, & prò dignitate prosequitur Fasolus quaest.

quæst. 33. artic. 1. dub. 1. num. 7.

Ad 1. Distinguo maiorem, principium est correlatiuum principiati, hoc est facti per veram causalitatem, inducentem dependentiam in termino, sicut communiter accipitur à Philosophis, loquentibus de effectibus creatis, nego: hoc est geniti, producti, seu procedentis ab alio, concedo. Et distinguo minorem, filius non potest dici principiatus in primo sensu, concedo: in secundo, nego minorem, & consequentiam. Quia ergo penès Latinos hoc nomen plerumque sumitur in primo sensu, ideo communiter uitatur, sicut vitantur nomina causæ, & causati. At penès Græcos, quia plerumque sumitur in secundo sensu, ideo frequentiùs vsurpatur, vt videre est apud Athanasium, Basilium, &c. qui sicut vsurpant causam, & causatum, ita non abstinent à principio, & principiato. Dixi *frequentius*, quia non desunt ex Latinis, qui illo vtantur; siquidem Albertus 1. p. summæ q. 30. membro 2. sub finem ait, *principium est Verbi dicti, & Verbum dictum principiatum à dicente*. & Durandus in 1. d. 11. q. 2. n. 20. *cùm pluralitas personarum sit aliquorum se habentium in ratione principij, & principiati*. Et deinde, *inter personas principiantes vna est principians, & non principiata, vt Pater: alia principians, & principiata, vt Filius*. Quibus concinit Henricus quodl. 6. qu. 1. cum nonnullis alijs. Verùm de hoc fusiùs infra.

ter debet distingui à Filio, vt termino productionis.

ARTICVLVS II.

An Pater sit author; & causa Filij, & Spiritus Sancti?

Videtur, Pater non posse dici author Filij, & Spiritus, 1. Si Pater esset author vtriusque ex eo, quòd vtrumque producit, etiam Filius esset author Spiritus, quem producit. Consequens non admittitur ab Egidio, & diuo Tho, quorum primus in 1. d.29.p.p.d.q.1. subfin. corp. ait, *author, eò quòd authoritatem importat in producendo, non dicitur, nisi quod principaliter producit; nam authoritatiuè facere, est principaliter facere. Et secundùm hoc, nomen authoris ideo Patri competit, quia non ex alio est productus; ipse enim est fontana diuinitatis:* Et secundus in 1.d.29.q.1.ar.1. in fine corp. *solus Pater author dicitur, quamuis etiam Filius dicatur principium notionaliter, quia nomen authoris addit super rationem principij, hoc quod est, non esse ab aliquo.* Ergo Pater non potest dici author Filij, & Spiritus Sancti.

2. Ille est author, qui est inuentor eius, quod fit de nouo. Sed Pater non facit de nouo Filium, & Spiritum, quos non in tempore, sed ab æterno producit. Er-

Ergo non est author ad intra, sed ad extra, respectu creaturarum.

3. Videtur econtra meliùs dici causa vtriusque, vt propugnat Aureol. in 1.d. 29.q.vn.ar.2. sub in. Primò quia August. lib.83.qq.q.15.& 16. ait, *Deus omnium quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est, nec vmquam Deus sine sapientia sua. Igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna*. Vbi nonine sapientiæ intelligitur Verbum æternum, cui appropriatur sapientia. 2. Riccardus Victor. lib.5. de Trin.c.7. post med. personam producentem vocat causaliter priorem, & quod vna sit causa alterius. 3. Anzelmus de process. Spiritus Sancti c. 11. ait, *idipsum intelligimus, si dicimus, Patrem esse causam Filij, & Patrem, & Filium causam Spiritus Sancti. Non enim duas possumus dicere causas, aliam videlicèt Filij, & aliam Spiritus Sancti, sed vnam*. Demum quia Græci passim vsurpant in diuinis nomen causæ, & causati. Ergo, &c.

Conclusio, *Pater propriíssimè dicitur author Filij, & Spiritus Sancti, minùs propriè Filius dicitur author Spiritus Sancti; neuter tamen dicitur causa personæ productæ, nisi in sensu Græcorum*.

Probatur prima pars, Primò ex Aug. lib.3.con.Maximin.c.5. in.dicente, *si authorem propterea dicis Patrem, quia de ipso est Filius, non est autem ipse de Filio; & quia de illo, & Filio sic procedit*

Spi-

Spiritus Sanctus, vt ipse hoc dederit Filio, gignendo eum talem, vt etiam de eo procedat Spiritus Sanctus; ista tua, etiam nostra sunt verba. 2. ex Hylario lib. 12. de Trin. sub med. *aliud est sine authore semper esse aeternum, aliud Patri, idest authori esse coaeternum.* 3. Ex Mag. in 1. d. 9. litt. O. *Pater enim generatione author Filij est.* 4. ex Athan. dial. 1. de Trin. sub med. *quod non est conditum, aut est ingenitum, aut genitum, aut procedens, vt ex authore sine causa.* 5. Ex Dyonis. de cœlesti hyer. sub in. dicente de Filio Dei, *lux est Patris, cuius benignitate nobis ad Patrem lucis authorem aditus patuit.* Quibus consonant Nazianzenus, Eusebius, & passim alij Doctores. Sed quod est commune penes Doctores, & Patres, non est improprius modus loquendi. Ergo dicere, Patrem esse authorem Filij, & Spiritus Sancti, non est improprius modus loquendi. Praeterea quia Filius Io: 14. vocat maiorem Patrem, ideo Hylarius 9. de Trin. post med. intulit in Patre nescio quamdam authoritatem, ratione cuius meritò, & proprijssimè dicitur author Filij, dicens, *in eo quod Pater maior est, confessionem paternae authoritatis intellige.* Et concludit, *Pater donantis authoritate maior est, sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.* Et affert rationem diuus Tho: 1. p. q. 33. ar. 1. ad 2. *quia licèt attribuamus Patri aliquid authoritatis, ratione principij, nihil tamen ad subiectio-*

ctio.

ctionem, vel minorationem quocumque modo pertinens, attribuimus Filio, vel Spiritui Sancto.

Probatur secunda pars, quia intantum Filius dicitur author Spiritus Sancti, inquantum accepit à Patre authoritatem, producendi cum illo Spiritum Sanctum. Ergo non habet ex se talem authoritatem, quod esset necessarium, ad hoc vt principaliter produceret, & diceretur author, in proprietate rigorosa vocabuli, vt docuit Egidius, simul cum diuo Tho: sicut retulimus in 1. argumento. Quòd autem etiam Filius dicatur author Spiritus, licèt minùs propriè, probatur 1. Ex Hylario lib. 2. de Trin. post med. dicente de Spiritu Sancto, *de Patre, & Filio authoribus confitendus est*. 2. Ex Athanasio ep. ad Serapionem, *Apostolus quæ in eo operatur Spiritus, Filio authori eius attribuit; sicut, & Filius quæ ipse facit opera, suo authori Deo Patri attribuit*. 3. Ex Nazianzeno, Epiphanio, Augustino, alijsque penès Fasolum q. 33. ar. 1. dub. 4. n. 26.

Probatur tertia ex ijs, quæ diximus in 1. phys. disp. 1. ar. 4. in quo probauimus, nomen causæ, penès Græcos, non aliud significare, quàm illud, ex quo aliud quomodocumque procedit, & ideo conuertitur cum principio. At penès Latinos, quia significat id, ex quo dependet aliud essentialiter contingens, cum vera prioritate naturæ ex parte causæ, & vera dependentia ex parte effectus, vt fusè

pro-

probauimus in 2. phys. disp. 2. ar. 2. ideo fuit permissus Græcis vsus talis nominis in diuinis, non autem Latinis, vt definiuit Eugenius IV. in Flor. sess. vlt. in litt. vnionis.

Ad 1. Nego consequentiam. Et dico, Egidium, & diuum Thomam vsurpasse nomen authoris in propria, & rigorosa significatione, quatenus dicit principium sine principio, secundum quam non conuenit, nisi Patri. Nos autem accipimus illud in latiori significatione, vt ostendimus in probatione secundæ partis; & ideo hæc auctoritas non est contra nos.

Ad 2. Dico, quòd licèt nomen *author* secundùm suam primæuam institutionem, fuerit impositum ad significandum rerum inuentorem; tamen deinde eius significatum fuit à philosophis, & theologis ampliatum, ita vt extendatur etiam, ad significandum principium actiuum alterius, in sensu explicato. Eo modo quo nomen *persona*, fuit institutum ad significandum hominem, sub vultus tegumento in theatris grauiùs personâtem, & deinde fuit translatum ad significandum indiuiduum, seu suppositum naturæ intellectualis, vt ostendimus in disp. met. lib. 2. disp. 3. ar. 1. ob vocum penuriam, qua laboramus. Ergo licèt Pater non faciat de nouo Filium, tamen verè dicitur eius author, in sensu philosophico, & theologico.

Ad 3. Patet responsio ex dictis in probatione tertiæ partis. In quorum confir-

firmationem placet afferre quæ Cardinalis Bessarion Græcorum doctissimus, in Florentino in or.dog.ad suos.§.vlt.dixit super hoc, *Sancti doctores orientales, etiam in diuinis, vtuntur nomine causæ, & causati largo modo. Non quidem vt limitationem, & dependentiam importet, sed prout productionem, & emanationem à principio, eius quo est à principio significat*. Ecce quomodo in græcanico idiomate, hi termini, *causa*, & *causatum*, non important illam imperfectionem, quam important in latino. Et ideo permittebantur olim Græcis, licèt nunc non permittantur, clamante Cyrillo lib 2.dialog.post med. *causam autem & causatum, neque nominare fas est*.

Ad locum allatū ex Augustino, dico, illum appellasse quidem Deum rerum causam, hoc est creaturarum, in genere efficientis; at suæ sapientiæ causam dixisse solum, in genere causæ formalis, quatenus videlicèt ipsa diuinitas est ratio formalis intrinseca sapientiæ. Aliter falsum dixisset; cùm enim sapientia sit perfectio simpliciter simplex, est prædicatum essentiale deitatis, quod licèt filio approprietur, est tamen omnibus personis commune, secundùm realitatem. Ergo non est productum, sed communicatum à Patre, qui proinde neque in sensu Græcorum est causa illius. Ad Riccardum, & Anzelmum dico, illos fuisse loçutos in sensu Græcorum, ea fermè tempestate florentium, quiubscum assiduò

B à La-

à Latinis contendebatur. Nunc autem valeat contra ipsos oraculum diui Thomæ, qui opusculo 1. con. err. Græcorũc. 1. ait, *Causa apud nos correspondet effectui. Vnde Patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat, filium esse factum*, quod est error Arrianorum.

ARTICVLVS III.

An Pater sit principium, & initium filij?

VIdetur 1. quòd Pater non possit dici principium filij. Primò quia omne principium est correlatiuum principiati, cùm sit impossibile, cõcipi aliquod principiare, nisi concipiatur aliud principiari. Sed filius non potest dici principiatus; aliter diceretur factus cum Arrianis. Ergo neque Pater eius principium.

2. Omne principium est prius eo, cuius est principium. Pater autem non est prior filio, dicente Athanasio in suo symbolo, *& in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus*. Ergo non est eius principium.

3. Videtur quòd neque possit dici initium filij. Primò quia initium dicit primam durationem. Ergo si filius haberet initium, non esset ab æterno. Deinde initium dicit incæptionem, ea enim dicimus habere initium, quæ incipiunt. Sed Filius numquam incæpit, aliter non esset

esset Patri coæternus. Ergo non habet initium.

Conclusio, *Non solùm Pater dicitur propriè principium filij, sed etiam initium, licèt non ita propriè.*

Prima pars vix indiget probatione, cùm tàm frequenter ab omnibus admittatur hic modus loquendi, cum diuo Thom. hìc q.33.ar.1. & Magistrô in 1.d. 29.litt.C.vt temerarium esset ab illo recedere. Probatur tamen, quia illud est principium, de quo verificatur, quòd sit id, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur, iuxta definitionem à nobis traditam in 1.phys.disp.1.ar.2.ex Phil.5. met. c.1. Sed de Patre verificatur, quòd sit id, vnde est filius. Et ideo Aug.lib.5.de Trin.c.14.init.ait, *si gignens ad id, quod gignitur principium est, Pater ad filium principium est, quia gignit eum*: Et de Patre, & filio verificatur, quòd sint id, vnde est Spiritus Sanctus. Ergo verè vterque est principium, Pater Filij, & cum filio Spiritus Sancti.

Probatur secunda pars, nomē, *initium*, propriè est institutum ad significandam vel primam durationem, vel primam partem. Ergo impropriè tantùm accipitur, ad significandam originem ex principio productiuo. Et ideo plures ex Patribus attendentes id, quod hoc nomen significat, apertè negarunt, Patrem esse initium Filij, vt Damascenus qui lib.1.fidei c.8. sub med.ait de filio. *sine tempore & initio est eius generatio.* Et Athanas. or.2.

quæst. 33. artic. 1. dub. 1. num. 7.

Ad 1. Distinguo maiorem, principium est correlatiuum principiati, hoc est facti per veram causalitatem, inducentem dependentiam in termino, sicut communiter accipitur à Philosophis, loquentibus de effectibus creatis, nego: hoc est geniti, producti, seu procedentis ab alio, concedo. Et distinguo minorem, filius non potest dici principiatus in primo sensu, concedo: in secundo, nego minorem, & consequentiam. Quia ergo penès Latinos hoc nomen plerumque sumitur in primo sensu, ideo communiter uitatur, sicut vitantur nomina causæ, & causati. At penès Græcos, quia plerumque sumitur in secundo sensu, ideo frequentiùs vsurpatur, vt videre est apud Athanasium, Basilium, &c. qui sicut vsurpant causam, & causatum, ita non abstinent à principio, & principiato. Dixi *frequentius*, quia non desunt ex Latinis, qui illo vtantur; siquidem Albertus 1. p. summæ q. 30. membro 2. sub finem ait, *principium est Verbi dicti, & Verbum dictum principiatum à dicente*. & Durandus in 1. d. 11. q. 2. n. 20. *cùm pluralitas personarum sit aliquorum se habentium in ratione principij, & principiati*. Et deinde, *inter personas principiantes vna est principians, & non principiata, vt Pater: alia principians, & principiata, vt Filius*. Quibus concinit Henricus quodl. 6. qu. 1. cum nonnullis alijs. Verùm de hoc fusiùs infra.

Ad 2. Nego maiorem, cum diuo Tho. hic q.33. ar.1.ad 3. Quamuis enim hoc nomen, *principium*, videatur impositum ad significandam prioritatem, non tamen illam significat, nisi secundùm originem & à quo, quam Athanasius filio non negauit. Neque enim semper est idem, quod significat nomen, & à quo nomen imponitur, vt ibi docet diuus Thomas.

Ad 3. Dico, Filium habere initium, quatenus hoc dicit principium originis, non autem quatenus dicit prioritatem durationis, seu incæptionis. Quia tamen frequentius vsurpatur pro prioritate durationis, seu inceptionis, ideo diximus, non ita propriè vsurpadum, nisi addatur *secundùm originem*. Vnde patet responsio ad vtramque, ex oppositis rationibus.

ARTICVLVS IV.

An propriè, & conuenienter prima Persona sola dicatur Pater?

Videtur quòd prima Persona non possit propriè dici Pater. Primò quia vel volumus exprimere generationem, seu principium filij, vel solam relationem ad illum? Primum aptiùs, & propriùs exprimeretur per nomen generantis; & secundùm non exprimit esse personale, quod est substantiale. Ergo nomen Patris non potest esse proprium primæ personæ.

2. Cui

2. Cui propriè non est filius, non potest propriè conuenire nomen patris. Sed primæ personæ non conuenit propriè filius. Ergo nec nomen patris. Maior patet, quia pater non dicitur, nisi ad filium. Minor probatur, prima persona non generat, nisi verbum. Sed verbum non est filius, nisi metaphoricè, in quantum scilicèt producitur à dicente. Ergo primæ personæ non conuenit propriè filius.

3. Quod priùs dicitur de creaturis, non potest dici de Deo, nisi mataphoricè. Sed nomen patris priùs dicitur de creaturis, quæ generant distinctum esse. Ergo non dicitur de Deo propriè.

4. Eodem modo dicitur pater filij, sicut dicitur creaturarum. Sed harum pater dicitur impropriè. Ergo & filij.

Conclusio, *Soli prima persona, absque vlla impropriętate, conuenit nomen patris*.

Probatur prima pars, illi conuenit nomen patris, cui conuenit paternitas. Sed paternitas in diuinis conuenit soli primæ personæ. Ergo soli primæ personæ conuenit nomen patris. Maior patet, quia paternitas est abstractum patris. Minor probatur, illi conuenit paternitas, cui conuenit generatio filij. Sed generatio filij in diuinis conuenit soli primæ personæ. Ergo illi soli conuenit paternitas. Quod autem illi soli cõueniat generare, patebit infra. Et ideo diuus Tho. hìc q. 33. ar. 2. ait, paternitatem esse ita pro-

priam primæ personæ, vt per illam distinguatur ab omnibus alijs.

Probatur secunda pars, illud nomen conuenit propriè alicui, quod exprimit eius personalem proprietatē. Sed nomen patris exprimit paternitatem, quæ est proprietas personalis primæ personæ. Ergo hæc propriè, & cōuenienter dicitur pater. Et ideò Aug. tract. 106. in Io. sub med. explanans illud Christi Domini Ioan. 17. *manifestaui nomen tuum hominibus*, ait, *non illud nomen tuum, quo vocaris Deus, sed illud, quo vocaris Pater meus, quod nomen manifestari sine ipsius filij manifestationi non potest*. Et rationem affert Cyrillus lib. 11. in Io. c. 18. sub init. *quia verè patrem esse, nec falsò ita nomine appellari nobis aperuit, quia nomen patris magis ei conuenit, quam nomen Dei*, cùm hoc sit commune, & illud proprium.

Ad 1. Dico, per nomen Patris exprimi generationem Filij. Quia tamen hæc per nomen generantis exprimitur, veluti in fieri, ideo meliùs exprimitur nomine patris, secundùm quod exprimitur eius vltima perfectio, & complementum, vt docet diuus Thomas loco cit. ad 2. ex Phil. 2. de an. *quòd rei denominatio maximè debet fieri ex perfectione, & fine*, vt ipse loquitur.

Ad 2. Nego minorem. Ad cuius probationem distinguo minorem, verbum non est filius, nisi metaphoricè in humanis, concedo, quia verbum mentis non est aliquid subsistens in natura humana; in

in diuinis, in quibus est aliquid subsistens in natura diuina, nego minorem, & consequentiam.

Ad 3. Distinguo minorem, nomen patris priùs dicitur de creaturis, quantum ad rem significatam, nego: quantum ad modum significandi, concedo minorem, & nego consequentiam. Quia ergo nomina translata ad Deum, magis sunt attendenda quoad rem significatam, ideo nomen patris priùs conuenit Deo, quàm creaturis. Quòd autem secundùm rem significatam, priùs conueniat Deo, probatur, priùs illi conuenit aliquod nomen, secundùm rem significatam, cui perfectiùs, & propriori ratione conuenit forma expressa per tale nomen. Sed Primæ personæ diuinæ perfectiùs, & propriori ratione conuenit forma expressa per nomen Patris, quàm cuicumque patri creato. Ergo priùs illi conuenit nomen patris. Maior patet, siquidem nomen secundùm rem significatam, est idem, atque forma per illud expressa. Minor probatur, nam pater dicitur à generatione sibi similis in natura. Ergo quò producit filium sibi similiorem secundum naturam, cò est proprior, & perfectior pater. Sed Pater æternus generat filium, non solùm secundùm similitudinem, sed etiam secundùm identitatem eiusdem naturæ, in qua non differunt, nisi secundùm relationem. Ergo producit filium sibi omninò simillimum in natura, quod nullus facit Pater creatus, qui

semper generat in distinctione naturæ. Ergo Pater æternus perfectissimè, & proprijssimè est pater; adeòque priùs illi conuenit hoc nomen, quàm creaturis. Ad hoc attendens Apostolus cœlesti apprimè edoctus philosophia, ad Ephes. 3. emphaticè loquens ait, *flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*.

Ad 4. Nego maiorem. Et dico, per prius, & perfectiùs dici patrem vnigeniti Filij sui, quàm creaturarum, primò quia illius est pater æternaliter, harum autem temporaliter. 2. quia illius est principium adæquatum, creaturarum autem inadæquatum, eò quia tota Trinitas in diuisa sit illarum creatrix. Et demum quia Filium producit in identitate suæ naturæ, creaturas autem in distinctione; vnde hæ dicuntúr Filiæ, secundùm adoptionem, & non secundùm naturam, sicut est vnigenitus. Bene igitur Nazianzenus orat. in laud. Heronis, sub finem ait, *Patrem multò veriùs credamus, quàm qui apud nos id nomen obtinent; tùm quia proprio, & singulari modo pater est; tùm quia solus, non enim cum mulieris coniunctione, atque congressu; tùm quia solius, nempe vnigeniti; tùm quia solùm, nec enim ipse priùs quàm pater esset, Filius fuit; tùm quia in totum, & totius pater, quod de nobis certò affirmari nequit*.

AR-

ARTICVLVS V.

An esse ingenitum sit proprietas Patris?

VIdetur esse, vt acerrimè propugnant Gonetus disp.7. ar. vn. Fasolus q. 33.ar.4. & communiter Thomistæ, cum diuo Tho: q.33. ar.4. quorum aliqui dicunt, hoc esse de fide, ad quod probandum congerunt infinita loca, in quibus Pater appellatur ingenitus, quorum censum vide penès citatos authores, qui accuratissimè (præcipuè Fasolus) referunt Concilia, & Patres. Fundamenta rationum reducuntur ad hæc.

1. Si innascibilitas non sit proprietas Patris (& idem dico de esse ingenitum, quod est idem) posset alteri communicari; & sic essent possibiles plures ingeniti, & innascibiles. Sed hoc est impossibile, quia cùm in diuinis idem sit posse, & esse, si essent possibiles plures ingeniti, darentur de facto, quod fides negat. Ergo innascibilitas est proprietas Patris.

2. Est dignitas Patris, quòd ita sint ab illo aliæ personæ, vt ipse non sit ab alio. Ergo sicut est eius proprietas paternitas, per quam refertur ad Filium, & spiratio, per quam refertur ad Spiritum Sanctum, ita est eius proprietas esse ingenitum, seu innascibilitas, per quam est ad seipsum, & distinguitur ab vtroq;

Conclusio, *Innascibilitas, seu esse ingenitum, quatenus dicit negationem originis ab alio, non est proprietas Patris.*

Probatur 1. Si innascibilitas taliter sumpta esset proprietas Patris, esset eius notio. Atqui disp.7.ar.3. meritò illam exclusimus e numero notionum. Ergo non minori iure illam nunc excludimus e numero proprietatum.

2. Proprietas personalis est prædicatum constitutiuum personæ, vt probauimus disp.16.ar.1. Nullum autem negatiuum est constitutiuum personæ, quæ adæquatè est positiua. Ergo nullum negatiuum est proprietas personalis. Sed innascibilitas, quatenùs dicit negationem originis, est aliquod negatiuum, vt communiter supponunt Thomistæ. Ergo vt talis, non est proprietas Patris. Quando ergo Concilia, & Patres dicunt Patrem ingenitum, & hoc esse eius proprium, exponendi sunt, non de negatione cuiuscumque originis, importata per tale nomen, sed de paternitate positiua, vt connotante talem negationem.

Neque obsta,tquòd Augustinus lib.5. de Trin.c.6.sub init. dixerit, *non hoc est dicere ingenitum, quod est patrem dicere, quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum, & tamen dici non posset pater. Et si gignat quisque Filium, non ex eo ipse ingenitus est, quia geniti homines ex alijs hominibus, gignunt & ipsi alios.* Nam exponendus est de hoc nomine, secundùm

mo-

modum significandi, non autem secundùm rem significatam. Quia ergo prima persona constituitur intrinsecè, & formaliter relatione paternitatis, sine illa non posset hæc prima persona, vt formaliter talis, remanere in suo esse personali, sed in alio; & ideo esset alia persona, quæ sicut non esset prima, ex defectu relationis ad secundam, & tertiam; ita nec esset eadem, ex defectu prædicati constitutiui. Eadem ergo paternitas, quatenus cõcipitur vt personalitas, constituit personam in esse personali: quatenus concipitur vt generatio actiua, constituit personam in esse patrem: quatenus concipitur vt prima ratio formalis cuiuscumque processionis ad intra, constituit personam in esse primam, hoc est in esse principium sine principio, quod necessariò importat, seu connotat negationem originis ab alio, vt acutè obseruat Bonauentura in 1.d.28.ar.vn.q.2. dicens, *quantum ad consequentem intellectum, innascibile vniuersalem dicit principalitatem, siue fontanalem plenitudinem in producendo, non tantùm quantùm ad generationem, sed etiam quantum ad spirationem, non tantùm respectu Filij, sed etiam respectu Spiritus Sancti.*

Ad 1. Nego maiorem. Et ratio est quia duobus modis potest aliquid Pater dare Filio, nempe communicatione, vt sunt essentia, & spiratio actiua, vel productione, vt est Filiatio, seu generatio pas-

passiua. Per viam productionis, non potest dare, nisi quod est generabile, & producibile; & per viam communicationis, non potest dare nisi quod est absolutum commune, & essentiale. Hoc posito, vel innascibilitas accipitur negatiuè, in sensu Thomistarum, vel positiuè, in sensu conclusionis? Si primum, quia non spectat ad constitutionem personæ, neque est communicabilis, neque producibilis, & ideo neque posset dari Filio per communicationem, neque per productionem. Si secundum, est proprietas Patris, & per consequens est incommunicabilis. Ergo ex nostra doctrina non sequitur plurificabilitas innascibilitatis.

Ad 2. Distinguo consequens, est proprietas Patris innascibilitas, explicata per negationem in recto, & de formali, nego: solùm in obliquo, & tamquàm extrinsecum connotatum, concedo consequentiam. Siquidem nos non negamus, innascibilitatem conuenire Patri, tamquàm eius proprietatem, sed solùm illam esse talem, quatenus dicit puram negationem, cùm hic sustineamus, debere vt talem, esse formaliter aliquod positiuum.



AR-

ARTICVLVS VI.

An Pater genuerit Filium de sua substantia?

VIdetur ex vna parte, Pater genuisse Filium de sua substantia, ex multiplici testimonio scripturarum, & Patrum; vt est illud Augustini de fide ad Petrum c.1. *Pater Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura, sine initio genuit Filium Deum, sibi æqualem, & eadem, qua ipse naturaliter æternus est, diuinitate coæternum.* Et lib. 15. de Trin. c.19. sub fin. loquens de Verbo æterno, ait, *nihil aliud intelligitur, quàm Filij sui dilecti, Filij substantiæ suæ.* Et infra, *Filius nullus alius est, quàm qui de substantia eius genitus est.* Et lib.3. con. Maximin. c.14. *Iam ergo vnigenitum Dei Filium Iesum Christum de Patris esse substantia, non vos nobiscum pigeat confiteri.* Et inferius, *confiteor, Deum Patrem omninò incorruptibiliter genuisse, sed quod èst ipse genuisse.* Et adhùc inferiùs, *si ex Patre esse conceditis, non videtis quàm necesse sit, vt qui non est ex nihilo, nec ex aliqua alia re, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non possit; & hoc esse quod Deus est, de quo est, idem Deus est de Deo natus, quia non alius prius fuit, sed natura coæterna de Deo est.* Quibus possunt addi Lateranense in cap. *damnamus*, Florentinum in litteris

vn-

vn. & Toletanum vndecimum in confes. fidei, vbi dicitur, *Filius non ex nihilo, aut ex alia substantia, sed ex vtero Patris, idest ex substantia genitus credendus est*, quibus alluditur ad illud psal. 109. *ex vtero ante Luciferum genui te*. Quod idem stabilitum fuerat Toletano primo c. 21. in conf. fid. *credimus Filium Dei de Patris esse natura*.

Videtur ex alia parte, nullo modo Pater genuisse Filium de sua substantia, quia vel genuisset alium seipsum, vel sui substantiam, vel eius partem, quæ sunt absurda. Et hæc est ratio, cur Magister in 1. d. 5. litt. K. considerans ex vna parte vim rationis, & ex alia authoritatum, hæsitans dixit, *vehementer mouent nos hæc verba, quę quomodo intelligenda sint, mallem ab alijs audire, quàm ipse tradere*.

Prò resolutione notandum est, totam difficultatem versari, in intelligentia particulæ *de, qua* aliquando significat circumstantiam originis substantialis, siue principij substantialiter productiui, & aliquando circumstantiam principij materialis, vel quasi materialiter subiectiui. Quæritur ergo in quo sensu possit dici, Filium esse de substantia Patris?

Conclusio, *Non potest dici, quòd Pater genuerit Filium de sua substantia, denotando circumstantiam materiæ; tamen potest dici, denotando circumstantiam formæ, seu originis substantialis*.

Ita

Ita diuus Tho: hic q.41.ar.3. licèt videatur docere oppositum in 1.d.5.q.2.ar.1. cui subscribunt Caiet. hic, Argentina in 1.d.5.ar.4. Valentia to: 1. disp.2.q.15. p.3. vbi docet, posse etiam sustineri opinionem oppositam Durandi.

Probatur pars negatiua, primò quia non potest intelligi materia, nisi intelligatur potentialitas, & pura potentia. Sed vtraque dicit imperfectionem. Ergo non potest intelligi in Deo, qui est actus purissimus, & infinitè perfectus.

2. Quod dat esse simpliciter, est actus substantialis, & diuiditur contra materiam. Sed essentia dat Filio esse simpliciter, quia illi dat esse diuinum. Ergo non potest intelligi, vt habens in illo conditionem materiæ, quæ numquam potest intelligi, vt dans supposito genito esse simpliciter.

3. Est de ratione materiæ, vt in generatione fiat sub forma, sub qua acquirat esse formatum. Sed hoc repugnat diuinæ essentiæ; Nam hæc forma vel esset absoluta, vel relatiua? Non primum, quia essentia, ratione sui formaliter, continet in se omnia absoluta. Neque secundum, quia cùm omnia relatiua identificentur cum illa, hæc illam non perficiunt, nec illi adueniunt; adeòque non possunt illi dare esse formatam. Ergo essentia non potest habere rationem materiæ, in generatione Filij.

Probatur pars affirmatiua. Primò quia Filius, vt Verbum, nascitur de tota scientia Patris, vt videbimus. Sed hæc est eius substantia, vt patebit in loco. Ergo nascitur de eius substantia. Non per modum materiæ, vt dictum est. Ergo per modum originis substantialis.

2. Vel Filius generatur de nihilo, vel de aliquo? Non primum, quia crearetur, eò quia transiret de non esse ad esse. Ergo est verum secundum. Non esset autem Deus, si de alio generaretur, quàm de substantia Patris. Ergo de illa generatur.

3. Quod est de alio, vt illi consubstantiale, est de eius substantia. Sed Filius est de Patre, vt illi consubstantialis. Ergo est de eius substantia. Et ideo Scotus in 1.d.5.q.2.§.*ideo* ait, *generationi vt est in diuinis, non assignatur materia, nec quasi materia, sed tantum terminus*.

Ad authoritates initio allatas respondeo cum Magistro loco citato, semper in illis particulam, *de*, esse explicandam, vt sonantem circumstantiam originis substantialis, sicut colligitur ex ipso etiã Augustino, qui postquàm dixit lib. 3. con. Maximin. c. 14. *Natura coæterna de Deo est*, statim addidit quasi explicans se ipsum, *non est aliud filius, quàm illud, de quo est, idest vnius, eiusdemque substantiæ est*. Et inferiùs, *Trinitas hæc vnius, eiusdemque substantiæ est, quia non de aliqua materia, vel de nihilo est filius, sed de quo est genitus. Item Spiritus Sanctus non de*

de aliqua materia, vel de nihilo est, sed inde est, vnde procedit. Ex quibus patet, ideo dici Filium esse de substantia Patris, quia est de Patre, habens eamdem substantiam cùm illo; quod idem valet de Spiritu Sancto, respectu Patris, & Filij. Non ergo essentia, seu substantia Patris genuit Filium *vt quod*, sed suppositum Patris, quod illi communicauit suam substantiam.

Quòd si quæras, quomodo essentiæ conueniat esse id, de quo est filius, denotando originem? Resp. hoc posse saluari dupliciter, vel quia intelligitur præexistere filio, vt forma dans illi perfectionem, & actualitatem, per identitatem sui; vel quia intelligitur præexistere, vt principium, *quo*, originis, per quam filius producitur; quatenus videlicèt essentia est ex se, non per productionem filij, ad quam potiùs ipsa actiuè concurrit, vt virtus, seu principium *quo*, & est quid intimum filio substantialiter.

Dices, hæc constituunt conditionem materiæ. Ergo potiùs probant contra conclusionem. Nego antecedens. Nam si Deus creasset animam Petri extra subiectum, & deinde illam vnisset cum materia A. quam creasset de nouo, in instanti vnionis, consequenti ad creationem animæ, vtique Petrus non fieret ex nihilo, quia fieret ex anima præexistenti; neque crearetur, quia fieret ex aliquo, non tamen fieret ex materia, sed ex forma. Ita proportionaliter, secundùm nostrum

strum modum intelligendi, accidit in generatione filij, qui cum sit ex Patris essentia, non est ex nihilo, adeòque non creatur; non tamen generatur ex materia, quia generatur ex essentia, quæ potiùs habet rationem formæ actuantis, & perficientis substantialiter, vt dictum est.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta contraria.

DVrandus in 1.d.5. q. 2. Henricus in sum.ar. 54. q.3.ad 5. Valen. disp.2. q.15.p.3. & ipse diuus Tho. supra laudatus prò nostra opinione, dicunt, filium esse de substantia Patris, denotando conditionem quasi materiæ, seu principij subiectiui. Primò quia illud, quod secundum nostrum modum intelligendi, præexistit filio producendo, & inexistit iam producto, habet conditionem materiæ respectu illius, respectu cuius se habet vt id, de quo est. Sed substantia Patris, secundùm nostrum modum intelligendi, prȩexistit filio generando, cui inexistit genito. Ergo habet conditionem materiæ respectu illius, demptis imperfectionibus.

2. Quando vnum constituitur ex pluribus, tunc vnum videtur habere conditionem formæ, & aliud materiæ. Sed filius constituitur ex relatione, & essentia, & relatio magis videtur habere ratio-

tionem formæ, quia fundatur in essentia, & per ipsam suppositum constitutum distinguitur ab alijs, quod est proprium solius actus. Ergo essentia videtur habere conditionem materiæ, quæ concipitur quasi substare perfectibiliter relationi, tamquàm actui perfectiuo.

3. Illud est subiectum in generatione, quod recipit formam geniti. Sed essentia diuina recipit in se formam, per quam constituitur Filius, in esse genitum, quæ est filiatio, seu eius proprietas relatiua, Ergo essentia est quasi materia, & subiectum, de quo est generatio filij.

4. Cuicumque potentiæ actiuæ in producente, debet correspondere in producto potentia passiua. Sed in Patre est potentia actiua ad generare. Ergo in filio debet esse potentia passiua ad generari. Sed omnis potentia passiua dicit materiam, vel quasi materiam. Ergo in filio est materia, ex qua natus est.

5. Si nihil esset in filio, quod haberet conditionem quasi materiæ, filius produceretur ex nihilo, adeòque crearetur. Sed hoc est hæreticum, quia quod creatur est creatura. Ergo est in filio materia, vel quasi materia.

Ad 1. Distinguo maiorem, quod intelligitur præexistere, vt aliquid potentiale, ad esse simpliciter, habet conditionem materiæ, concedo: quod intelligitur præexistere, vt aliquod actuale, completè existens, nego maiorem. Et admissa præexistentia essentiæ in secundo sensu,

su,& non in primo, nego consequentiam. Dico ergo quòd essentia , vt existens in Patre, iam habet esse actuale perfectum , neque illud acquirit per formam filij , sub qua habet illud omninò esse actuale, quod habet in Patre ; atque adeo vt præexistens, non concipitur secundùm conditionem materiæ, sed secundùm conditionem principij,*quo*, ad generationem filij.

Ad 2. Distinguo maiorem , quando constitutum est compositum ex pluribus, quorum nullum transit in aliud, secundùm totam suam realitatem , concedo: quando oppositum contingit, nego maiorem . Et distincta eodem modo minori, nego consequentiam, quia relatio transit in naturam diuinam, quæ nullo modo est composita, sed est actus infinitus simplicissimus. Neque obstat , quòd relatio fundetur in essentia , non enim fundatur vt aliquod perfectiuum, neque per modum actus, quia essentia non est perfectibilis , cùm sit actus in se perfectissimus . Multò minùs obstat , quòd relatio distinguat. Hoc enim primò non arguit perfectionem in distinguente. Et deinde non distinguit ipsam essentiam, quæ semper est eadem numero, in omnibus diuinis, quæ distiuguuntur per relationes oppositas.

Dices, rationalitas transit, secundùm totam suam realitatem , in animalitatem in homine , & tamen habet respectu illius rationem actus metaphysici perfecti-

ctiui. Ergo quamuis diuina relatio transeat realiter in essentiam diuinam, adhùc tamen potest illam perficere, per modum actus metaphysici perfectiui.

Nego consequentiam. Disparitas est, primò quia rationalitas in homine, potiùs auocat animalitatem ad se, quæ proinde realiter per illam multiplicatur. Deinde quia rationalitas est vera differentia hominis, respectu cuius animalitas est verum genus, quia prædicatur de pluribus specie differentibus, quæ proinde sunt verè composita ex actu, & potentia, eò quia animalitas secundùm se, habeat solùm rationem potentiæ, ad esse simpliciter, quòd acquirit per differentias inferiores, dantes illi actualitatem. Hæc autem non militant de diuina essentia, quæ in sua ratione formali, includit actualitatem, & per consequens excludit à se omnem potentialitatem.

Ad 3. Distinguo maiorem, illud est subiectum in generatione, quod recipit formam geniti, per modum actus perfectiui, concedo: per modum actus, quam secum identificat, & transfert in suam substantiam, nego maiorem. Et distincta eodem modo minori, iuxta doctrinam modò traditam, nego consequentiam.

Ad 4. Dico, correspondentiam potentiæ passiuæ ad actiuam non argui, nisi in generabilibus, & corruptibilibus, quæ sunt de genere actiuorum, & passiuorum. Cùm ergo in Deo nulla sit corruptibili-

tas,

tas, neque potest fingi potentia passiua. Sufficit ergo quòd potentiæ actiuæ correspondeat terminus productus, vt alibi examinabimus.

Ad 5. Nego maiorem, quæ solùm valet in iis, quæ fiunt ex non esse sui, tempore, vel saltem natura antecedenti ad suum esse, & præterea fiunt in aliena natura à natura producentis, per veram causalitatem, & dependentiam, quod non accidit in generatione Filij Dei, qui est coæternus, & consubstantialis Patri.

ARTICVLVS VIII.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OB. 6. Ita se habet filius ad essentiam, sicut omnes personæ. Sed omnes personæ non sunt ex eadem essentia. Ergo neque filius ex Patris essentia. Maior patet. Minor probatur ex Aug. 7. de Trin. c. 6. vbi ait, *tres personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiã dicimus; tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, & aliud quod persona.*

Nego maiorem, cum diuo Thom. 1. p. q. 41. ar. 3. ad 3. Disparitas ab ipso allata est, quia quando dicitur *filius est de essentia Patris*, additur aliquid personale, per quod saluatur distinctio importata per ly *de*, cù nihil sit in seipso. Cum verò

rò dicitur, *tres personæ sunt de essentia diuina*, nihil additur, per quod saluetur hæc distinctio. Atque adeo si admittatur hæc distinctio, deberet admitti distinctio in ipsa essentia, videlicèt inter essentiam vt sic, & essentiam personarū, quæ sunt vnum, & idem. Vnde patet responsio ad authoritatem Augustini.

Ob. 2. Essentia est principium *quo* creaturarum. Ergo si ideo filius est de essentia Patris, quia illa est principium *quo* filij, etiam creaturæ erunt de essentia Patris, & sic erunt illi consubstantiales, quod est erroneum.

Resp. essentiam respectu creaturarum, esse principium *quo* per modum virtutis principij *quod* causatiui. Ergo dicit necessariò distinctionem realem ab illis, quæ pugnat cum earum consubstantialitate; & ideo non possunt dici de diuina essentia, seu substantia, nisi impropriè, denotando per ly *de* circumstantiam efficientiæ, quod non facit ad rem præsentem.

Dices, Christus Dominus est creatura, vt probauimus in disp. met. lib. 2 disp. 3. ar. 2. & tamen dicitur conceptus, & natus ex Virgine, aut in Virgine de Spiritu Sancto; nam dicitur Matth. 1. *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Et in Symbolo Apost. *qui conceptus est de Spiritu Sancto, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, &c.* Ergo etiam creaturæ possunt dici esse de diuina substantia.

Resp. quòd licèt Christus vt Deus, non procedat à Spiritu Sancto, est tamen illi consubstantialis; & licèt non sit illi consubstantialis vt homo, tamen ab illo procedit, veluti à causa. Ergo semper saluatur, quomodo possit aliquo modo esse de Spiritu Sancto. Aliæ autem creaturæ, quia non subsistunt in diuino supposito, sed in proprio creato, ideo non sunt de Deo, nisi impropriè, quatenùs ly *de* non potest exprimere, nisi essentialem dependentiam à diuina efficientia. Et ideo obseruauit Ambrosius lib. 2. de Spir. S. c. 5. sub fin. in illo loco Matth. nó legi *de Spiritu*, sed *ex Spiritu*, iuxta Græcanicum idioma, quæ particula non significat consubstantialitatem; & ideo vsurpatus etiam in ordine ad Deiparam.

Ob. 3. Filius Dei creatus est. Ergo factus est ex nihilo, non autem de substantia Patris. Consequentia est euidens. Antecedens probatur ex multis locis sacrorum codicum, vt Eccl. 24. vbi sub sapientiæ nomine loquitur filius Dei, *ego ex ore Altissimi prodij primogenita ante omnes creaturas*. Et deinde, *ab initio, & ante sæcula creata sum*. Quod idem dicitur de Spiritu Sancto Zacchar. 12. *dixit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & creans Spiritum hominis in eo*. Et Amos 4. *Ego formans montes, & creans Spiritum*. Ergo neuter potest dici de substantia Patris.

Nego antecedens. Ad cuius probationes respondet diuus Thomas hic q. 41. ar.

3. ad

3. ad 4. per tales authoritates fieri mentionem de sapientia, quam Deus indidit creaturis, non autem de diuina, 2. posse illa loca intelligi, etiam de sapientia diuina, sed vt relata ad naturam assumptam, ita vt faciant sensum, *ab initio creata sum*, idest *prauisa sum vniri creatura*. 3. posse intelligi de vtraque, diuina scilicet, & creata, admittendo quòd possit idem Filius Dei, dici simul genitus, & creatus, vt ex creatione cognoscatur immutabilitas Patris, & ex generatione vnitas naturæ in Patre, & filio, & hanc expositionem, ait, esse Hylarij ex lib. de synodis.

Sed pace tanti viri, & Hylarij, quem citat, nulla ex his expositionibus videtur sufficiens. Non prima, quia nulli creaturæ conuenit esse ab initio, & ante sæcula, & ante omnem creaturam; alioquin etiam Arriani possent dicere, Verbum æternum esse creaturam hoc modo, quod impugnatur ab Aug. in lib. con. Arrianos. Neque secunda, quia creari non est præuideri vniri cum creatura. De hoc enim non potest affirmari de præterito, quòd prodierit ex ore Dei, sed solùm de futuro quòd prodibit. Multò minus valet tertia, quia ad probandam Patris immutabilitatem, non debet derogari filij diuinitati, præsertim cùm æquè appareat Patris immutabilitas per generationem, de cuius conceptu non est significare mutationem generantis, si loquamur de generatione ad intra, per quam appareat

strum modum intelligendi, accidit in generatione filij, qui cum sit ex Patris essentia, non est ex nihilo, adeòque non creatur; non tamen generatur ex materia, quia generatur ex essentia, quæ potiùs habet rationem formæ actuantis, & perficientis substantialiter, vt dictum est.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta contraria.

DVrandus in 1.d.5. q. 2. Henricus in sum.ar. 54. q.3.ad 5. Valen. disp.2. q.15.p.3. & ipse diuus Tho. supra laudatus prò nostra opinione, dicunt, filium esse de substantia Patris, denotando conditionem quasi materiæ, seu principij subiectiui. Primò quia illud, quod secundum nostrum modum intelligendi præexistit filio producendo, & inexistit iam producto, habet conditionem materiæ respectu illius, respectu cuius se habet vt id, de quo est. Sed substantia Patris, secundùm nostrum modum intelligendi, prȩexistit filio generando, cui inexistit genito. Ergo habet conditionem materiæ respectu illius, demptis imperfectionibus.

2. Quando vnum constituitur ex pluribus, tunc vnum videtur habere conditionem formæ, & aliud materiæ. Sed filius constituitur ex relatione, & essentia, & relatio magis videtur habere ratio-

tionem formæ, quia fundatur in essentia, & per ipsam suppositum constitutum distinguitur ab alijs, quod est proprium solius actus. Ergo essentia videtur habere conditionem materiæ, quæ concipitur quasi substare perfectibiliter relationi, tamquàm actui perfectiuo,

3. Illud est subiectum in generatione, quod recipit formam geniti. Sed essentia diuina recipit in se formam, per quam constituitur Filius, in esse genitum, quæ est filiatio, seu eius proprietas relatiua, Ergo essentia est quasi materia, & subiectum, de quo est generatio filij.

4. Cuicumque potentiæ actiuæ in producente, debet correspondere in producto potentia passiua. Sed in Patre est potentia actiua ad generare. Ergo in filio debet esse potentia passiua ad generari. Sed omnis potentia passiua dicit materiam, vel quasi materiam. Ergo in filio est materia, ex qua natus est.

5. Si nihil esset in filio, quod haberet conditionem quasi materiæ, filius produceretur ex nihilo, adeòque crearetur. Sed hoc est hæreticum, quia quod creatur est creatura. Ergo est in filio materia, vel quasi materia,

Ad 1. Distinguo maiorem, quod intelligitur præexistere, vt aliquid potentiale, ad esse simpliciter, habet conditionem materiæ, concedo: quod intelligitur præexistere, vt aliquod actuale, completè existens, nego maiorem. Et admissa præexistentia essentiæ in secundo sensu,

ſu,& non in primo, nego conſequentiam. Dico ergo quòd eſſentia, vt exiſtens in Patre, iam habet eſſe actuale perfectum, neque illud acquirit per formam filij, ſub qua habet illud omninò eſſe actuale, quod habet in Patre; atque adeo vt præexiſtens, non concipitur ſecundùm conditionem materiæ, ſed ſecundùm conditionem principij, *quo*, ad generationem filij.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, quando conſtitutum eſt compoſitum ex pluribus, quorum nullum tranſit in aliud, ſecundùm totam ſuam realitatem, concedo: quando oppoſitum contingit, nego maiorem. Et diſtincta eodem modo minori, nego conſequentiam, quia relatio tranſit in naturam diuinam, quæ nullo modo eſt compoſita, ſed eſt actus infinitus ſimpliciſſimus. Neque obſtat, quòd relatio fundetur in eſſentia, non enim fundatur vt aliquod perfectiuum, neque per modum actus, quia eſſentia non eſt perfectibilis, cùm ſit actus in ſe perfectiſſimus. Multò minùs obſtat, quòd relatio diſtinguat. Hoc enim primò non arguit perfectionem in diſtinguente. Et deinde non diſtinguit ipſam eſſentiam, quæ ſemper eſt eadem numero, in omnibus diuinis, quæ diſtiuguuntur per relationes oppoſitas.

Dices, rationalitas tranſit, ſecundùm totam ſuam realitatem, in animalitatem in homine, & tamen habet reſpectu illius rationem actus metaphyſici perfecti-

ctiui. Ergo quamuis diuina relatio transeat realiter in essentiam diuinam, adhuc tamen potest illam perficere, per modum actus metaphysici perfectiui.

Nego consequentiam. Disparitas est, primò quia rationalitas in homine, potiùs auocat animalitatem ad se, quæ proinde realiter per illam multiplicatur. Deinde quia rationalitas est vera differentia hominis, respectu cuius animalitas est verum genus, quia prædicatur de pluribus specie differentibus, quæ proinde sunt verè composita ex actu, & potentia, eò quia animalitas secundùm se, habeat solùm rationem potentiæ, ad esse simpliciter, quòd acquirit per differentias inferiores, dantes illi actualitatem. Hæc autem non militant de diuina essentia, quæ in sua ratione formali, includit actualitatem, & per consequens excludit à se omnem potentialitatem.

Ad 3. Distinguo maiorem, illud est subiectum in generatione, quod recipit formam geniti, per modum actus perfectiui, concedo: per modum actus, quam secum identificat, & transfert in suam substantiam, nego maiorem. Et distincta eodem modo minori, iuxta doctrinam modò traditam, nego consequentiam.

Ad 4. Dico, correspondentiam potentiæ passiuæ ad actiuam non argui, nisi in generabilibus, & corruptibilibus, quæ sunt de genere actiuorum, & passiuorum. Cùm ergo in Deo nulla sit corruptibili-

tas,

tas, neque potest fingi potentia passiua. Sufficit ergo quòd potentiæ actiuæ correspondeat terminus productus, vt alibi examinabimus.

Ad 5. Nego maiorem, quæ solùm valet in ijs, quæ fiunt ex non esse sui, tempore, vel saltem natura antecedenti ad suum esse, & præterea fiunt in aliena natura à natura producentis, per veram causalitatem, & dependentiam, quod non accidit in generatione Filij Dei, qui est coæternus, & consubstantialis Patri.

ARTICVLVS VIII.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OB. 6. Ita se habet filius ad essentiam, sicut omnes personæ. Sed omnes personæ non sunt ex eadem essentia. Ergo neque filius ex Patris essentia. Maior patet. Minor probatur ex Aug. 7. de Trin. c. 6. vbi ait, *tres personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiã dicimus; tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, & aliud quod persona.*

Nego maiorem, cum diuo Thom. 1. p. q. 41. ar. 3. ad 3. Disparitas ab ipso allata est, quia quando dicitur *filius est de essentia Patris*, additur aliquid personale, per quod saluatur distinctio importata per ly *de*, cù nihil sit in seipso. Cum verò

rò dicitur, *tres personæ sunt de essentia diuina*, nihil additur, per quod saluetur hæc distinctio. Atque adeo si admittatur hæc distinctio, deberet admitti distinctio in ipsa essentia, videlicèt inter essentiam vt sic, & essentiam personarũ, quæ sunt vnum, & idem. Vnde patet responsio ad authoritatem Augustini.

Ob. 2. Essentia est principium *quo* creaturarum. Ergo si ideo filius est de essentia Patris, quia illa est principium *quo* filij, etiam creaturæ erunt de essentia Patris, & sic erunt illi consubstantiales, quod est erroneum.

Resp. essentiam respectu creaturarum, esse principium *quo* per modum virtutis principij *quod* causatiui. Ergo dicit necessariò distinctionem realem ab illis, quæ pugnat cum earum consubstantialitate; & ideo non possunt dici de diuina essentia, seu substantia, nisi impropriè, denotando per ly *de* circumstantiam efficientiæ, quod non facit ad rem præsentem.

Dices, Christus Dominus est creatura, vt probauimus in disp. met. lib. 2 disp. 3. ar. 2. & tamen dicitur conceptus, & natus ex Virgine, aut in Virgine de Spiritu Sancto; nam dicitur Matth. 1. *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Et in Symbolo Apost. *qui conceptus est de Spiritu Sancto, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, &c.* Ergo etiam creaturæ possunt dici esse de diuina substantia.

Resp. quòd licèt Christus vt Deus, non procedat à Spiritu Sancto, est tamen illi consubstantialis; & licèt non sit illi consubstantialis vt homo, tamen ab illo procedit, veluti à causa. Ergo semper saluatur, quomodo possit aliquo modo esse de Spiritu Sancto. Aliæ autem creaturæ, quia non subsistunt in diuino supposito, sed in proprio creato, ideo non sunt de Deo, nisi impropriè, quatenùs ly *de* non potest exprimere, nisi essentialem dependentiam à diuina efficientia. Et ideo obseruauit Ambrosius lib. 2. de Spir. S. c. 5. sub fin. in illo loco Matth. nō legi *de Spiritu*, sed *ex Spiritu*, iuxta Græcanicum idioma, quæ particula non significat consubstantialitatem; & ideo vsurpatus etiam in ordine ad Deiparam.

Ob. 3. Filius Dei creatus est. Ergo factus est ex nihilo, non autem de substantia Patris. Consequentia est euidens. Antecedens probatur ex multis locis sacrorum codicum, vt Eccl. 24. vbi sub sapientiæ nomine loquitur filius Dei, *ego ex ore Altissimi prodij primogenita ante omnes creaturas*. Et deinde, *ab initio, & ante sæcula creata sum*. Quod idem dicitur de Spiritu Sancto Zacchar. 12. *dixit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & creans Spiritum hominis in eo*. Et Amos 4. *Ego formans montes, & creans Spiritum*. Ergo neuter potest dici de substantia Patris.

Nego antecedens. Ad cuius probationes respondet diuus Thomas hic q. 41. ar.

3. ad 4. per tales authoritates fieri mentionem de sapientia, quam Deus indidit creaturis, non autem de diuina. 2. posse illa loca intelligi, etiam de sapientia diuina, sed vt relata ad naturam assumptam, ita vt faciant sensum, *ab initio creata sum*, idest *prauisa sum vniri creatura*. 3. posse intelligi de vtraque, diuina scilicet, & creata, admittendo quòd possit idem Filius Dei, dici simul genitus, & creatus, vt ex creatione cognoscatur immutabilitas Patris, & ex generatione, vnitas naturæ in Patre, & filio, & hanc expositionem, ait, esse Hylarij ex lib. de synodis.

Sed pace tanti viri, & Hylarij, quem citat, nulla ex his expositionibus videtur sufficiens. Non prima, quia nulli creaturæ conuenit esse ab initio, & ante sæcula, & ante omnem creaturam; alioquin, etiam Arriani possent dicere, Verbum æternum esse creaturam hoc modo, quod impugnatur ab Aug. in lib. con. Arrianos. Neque secunda, quia creari non est præuideri vniri cum creatura. De hoc enim non potest affirmari de præterito, quòd prodierit ex ore Dei, sed solùm de futuro quòd prodibit. Multò minus valet tertia, quia ad probandam Patris immutabilitatem, non debet derogari filij diuinitati, præsertim cùm æquè appareat Patris immutabilitas per generationem, de cuius conceptu non est significare mutationem generantis, si loquamur de generatione ad intra, per quam appareat

vnitas naturæ in Patre, & Filio. Hoc enim esset perinde, atque ad saluandam libertatem, atque efficientiam Patris æterni, admittere in filio contingentiam, & dependentiam.

Resp. igitur primò, ibi esse sermonem de Christo Domino, vt existente in mente Dei, per decretum efficax, & absolutum, quo Deus decreuit incarnationem Verbi, quod est sapientia increata. Et ideo dicitur, *ante omnes colles ego parturiebar*, idest *decernebar*, quia hoc decretum iam ponebat in esse ab æterno, vnionem hypostaticam inter Verbum, & naturam humanam, quæ quamuis respectu nostri esset futura, tamen erat præsens diuinæ æternitati, vt fusè probauimus in 4. phys. disp. 3. ar. 8. Hoc posito, quia Christus Dominus dicit compositum ex natura humana, & Persona Verbi, ideo ex vna parte potest dici creatus, vt probauimus in disp. met. lib. 2. disp. 3. ar. 2. quia natura humana, & vnio hypostatica sunt creatæ. Et ex alia potest dici increatus, quia Persona Verbi est sapientia increata. Quatenus ergo filius Dei, vt incarnatus dicitur creatus, dicitur etiam creatura primogenita ante omnem creaturam, ratione dignitatis infinitę, quam habet ex diuina personalitate, per quam inter omnia creata tenet primum locum, licèt quoad durationem correspondentem toti Christo, seu eius composito, esset futura multis posterior. Et hæc est ratio, cur ad Rom. 8. dicatur

tur

tur *primogenitus in multis fratribus*, & *primogenitus viuorum, atque mortuorũ*, hoc est multorum secundùm durationem, & omnium secundùm dignitatem.

Deinde possumus dicere, verbum *creo* non accipi hìc in rigorosa, & propria significatione, ad quam est institutum significandam, sed solùm larga quadam significatione, secundùm quam significat processionem vnius ab alio, secundùm substantiam, & realitatem, præciso modo procedendi ex nihilo, vel ex substantia, cum aliqua tamen similitudine creationis, quatenus diuinæ processiones non sunt ex præsupposito subiecto, sicut sunt productiones physicæ; non tamen sunt veræ creationes, quia non sunt ex nihilo. Assimilantur præterea generationi physicæ in hoc, quòd præsupponant virtualiter diuinam essentiã, cui immanent, & præsupponunt realiter vel paternitatem, si sit generatio; vel Patrem, & Filium, si processio, ita vt ly *præ*, non dicat aliam prioritatem, quàm originis. Neque enim est nouum in sacris paginis ponere vocabulum ad significandum impropriè, & metaphoricè, quod cæteròqui ex se non habet significare, vt est illud Genes. 6. *tactus dolore cordis intrinsecùs, dixit pænitet me fecisse hominem, &c.* cùm Deus neque doloris, neque pænitentiæ sit capax. Sicut ergo displicentia Dei exprimitur per verba *pænitet, & doleo*, ita generatio Verbi exprimitur per verbum *creo*.

Ad loca Zachariæ, & Amos. Resp. cum diuo Thom. in loco cit. ibi non esse sermonem de spiritu Sancto, sed de spiritu creato, qui quandoque dicitur spiritus, quandòque aer, & quandoque flatus, vt optimè patet ex ipso loco Zachariæ, in quo dicitur, *creans spiritum hominis*, determinando hunc terminum vocalem, ad significandam solam animam hominis; nisi velimus cum alijs nomine spiritus intelligere Angelos; vel cum alijs ventos, qui sæpe nomine spirituum nuncupantur, vt est illud Genes. 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.*

ARTICVLVS IX.

An Pater genuerit Filium liberè?

VIdetur, Pater liberè genuisse filium, vt asserebant Arriani, vnde inferebant, Verbum esse contingens, & creaturam. Quibus accessit Eunomius cum suis, vt refert Aug. 15. de Trin. c. 20. Cùm enim nollet fateri, Verbum esse genitum de natura, & substantia Patris, dixit illud esse Filium voluntatis, accedentis Patri per modum accidentis. Fundamenta sunt.

1. Vel Pater genuit Filium volens, aut nolens? Non nolens, quia aliòquin faceret quod nollet, & esset miser. Ergo volens, & liberè. Vnde infertur, Verbum esse creaturam, eò quia sit filius volun-

luntatis, & contingenter factus. Immò Valentinus Gentilis, penès Bellarminum lib. 1. de Christo c. 2. etiam vim, & potentiam generandi, & spirandi, propter hoc sophisma, dicebat esse in Patre voluntarias.

2. Quod gratis datur, liberè datur. Quidquid autem dat Pater Filio, & Spiritui Sancto, dat secundùm amorem gratuitum. Ergo gratis, adeòque liberè.

3. Hylar. lib. 1. de Synodis sub med. ait, *non naturali necessitate Pater genuit Filium*. Ergo liberè, cùm liberum opponatur necessario.

4. Nihil est magis voluntarium, quàm amor. Sed Spiritus Sanctus procedit per amorem. Ergo saltem Spiritus Sanctus liberè, & voluntariè procedit à Patre, & Filio.

5. Apostol. ad Coloss. 1. 13. ait *transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ*. Sed dilectio cùm sit actus voluntatis, est voluntaria. Ergo filius per illam procedens, est voluntarius.

6. Filius procedit vt verbum per modum intellectus. Sed omne verbum procedit à dicente per voluntatem. Ergo Filius procedit à Patre per voluntatem.

Prò resolutione notandum est, multipliciter posse intelligi hanc quęstionem. Primò an Pater liberè genuerit Filium, & quo genere libertatis? 2. An necessariò, & quo genere necessitatis? 3. An admissa naturali necessitate, genuerit inuitus, seu nolens? 4. An posito quòd vo-

lens, voluerit voluntate antecedenti, vel concomitanti? 5. An posito quòd aliqua voluntate genuerit, an illa influxerit ad generationem? Hic ergo agemus solùm de primo, de reliquis acturi in articulis consequentibus.

Conclusio, *Pater non genuit Filium liberè, libertate contradictionis, seu specificationis, sed sola libertate opposita coactioni.*

Probatur prima pars, Pater non potuit non gignere Filium. Ergo non habuit libertatem ad illum, vel eius negationē. Consequentia est euidens, quia libertas contradictionis est ad vtrumque contradictorium. Antecedens probatur, si Pater ita genuisset filium, vt potuisset non gignere, contingenter genuisset, adeòque eius generatio esset ad terminum contingentem, quod est hæresis formalissima Arrianorum, contra quam anathematis fulmen contorsit Hylarius lib. 1. de synodis dicens *si quis voluntate Dei tamquàm vnum aliquod de creaturis* (hoc est contingenter) *filium factum dicat, anathema sit.* Verùm de hoc fusiùs infra.

Probatur secunda, Si Pater haberet libertatem specificationis ad terminum suæ generationis, posset non gignere hunc filium, vt hunc, sed loco illius, alium diuersum facere. Sed hoc repugnat. Ergo non habet huiusmodi libertatem. Maior, & consequentia sunt euidentes. Minor probatur, si Pater posset

non

non gignere hunc filium, vt hunc, iam hic vt hic non esset simpliciter necessarius, sed posset non esse. Ergo neque esset Deus, neque Patri consubstantialis, cùm sit de ratione Dei, & paternæ substantiæ, esse aliquid simpliciter necessarium, vt alibi sæpè probauimus. Vnde iterum reuocaretur Arrianismus. Ergo Pater nō gignit illum cum tali libertate.

Probatur tertia, quia omnis coactio debet prouenire à principio extrinseco, quod propter virium exsuperantiam, possit alteri inijcere violentiam, vt cogat ad operandum. Respectu autem Dei nullum est assignabile huiusmodi principium; quia cùm omne Deo extrinsecum sit creatum, & omne creatum pendeat immediatè à Deo; non solùm in fieri, & conseruari, sed etiam in operari, vt probauimus in 1. de gener. disput. 3. art. 2. nulla creatura potest inijcere violentiam ipsi Deo, vt per se patet. Quòd si recurratur ad principium Deo intrinsecum, ex illo potest quidem illi prouenire necessitas naturalis, (vt videbimus) non autem coactio. Ergo in ordine ad quascumque actiones, siue ad intra, siue ad extra, Deus est omnino liber, & immunis ab omni coactione.

Ad 1. Resp. cum Magistro in 1. d. 6. litt. A. Negando maiorem. Et ratio est, quia cum Filius sit consubstantialis Patri, non cadit sub genere volibilium, voluntate indifferentiæ. Sicut ergo ipse Pater non potest dici, quòd sit Deus seipsum volens

lens, vel nolens, sed sua natura; ita neque volẽs, seu nolens genuit filiũ, sed suã natura. Acutè igitur concludit Augustinus 15. de Trin. c. 20. & in lib. con. sermonem Arrian. Patrem genuisse filium eo modo, quo est Deus. Sicut enim ex eo, quòd non sit liberè Deus, non sequitur, quòd sit miser, & quòd nolens sit Deus; ita neque seqnitur, ex eo quòd non liberè, & volens genuerit filium, quòd sit miser, vel nolens genuerit.

Ad 2. Distinguo maiorem cum Durando in 1. d. 7. q. 1. quod gratis datur, idest quod datur ex mera liberalitate, cum indifferentia dantis ad non dandum, liberè datur, concedo: quod gratis datur, idest absque retributione, liberè datur, nego maiorem. Et distincta minori, videlicet Patrem dare filio quidquid habet, secundùm amorem gratuitum, in secundo sensu, & non in primo, nego consequentiam. Dicitur ergo Pater gratis dare esse filio, quia ex illo nihil accipit, non quia liberè det.

Ad 3. Nego consequentiam. Et dico per Hylarium excludi à Patre generante necessitatem coactionis, & violentiæ, quæ opponitur naturalitati, non autem necessitatem, quæ opponitur indifferentiæ, & libertati. Ex eo igitur quòd Pater non gignat necessariò, necessitate coactionis, non sequitur, quòd liberè gignat.

Ad 4. Nego maiorem, quatenus ly *voluntarium* opponitur naturali. Nam

docet

docet diuus Thomas hic q.41.ar.2.ad 3. quòd etiam voluntas, inquantum eſt natura quædam, aliquid naturaliter vult, vt eſt voluntas, qua Deus ſe vult; & idem dicit de amore, quo ſe amat. Cùm ergo Spiritus Sanctus procedat vt amor, inquantum Deus amat ſeipſum, ſequitur, neque amorem vt actum, neque voluntatem vt principium formale, quo, ipſius proceſſionis, eſse voluntarios in primo ſenſu, ſed potiùs eſse dicendos naturales, & solùm voluntarios voluntate concomitanti, vt videbimus infra.

Ad 5. Reſpondeo cum diuo Tho: loco nuper cit. ad 2. quòd Apoſtolus ibi vocat Chriſtum Filium dilectionis Dei, inquantum eſt à Deo ſuperabundanter dilectus, per dilectionem infinitam, & non quia dilectio ſit principium generationis Filij. Idem ergo ſonat ly *Filius dilectionis Dei*, atque Filius dignus dilectione Dei; ea planè ratione, qua peccatores vocantur ab eodem Filij iræ, non quia procedant ab ira, ſed quia ſint digni ira Dei.

Ad 6. Diſtinguo minorem, verbum procedit à dicente, per voluntatem in illud influentem, per modum principij actiui, nego: per voluntatem concomitantem, ideſt reſpicientem illud per modum obiecti, abſque vllo ordine originis, modo infra explicando, concedo minorem. Et ſub eadem diſtinctione, nego conſequentiã. Quamuis enim dentur multi actus intellectus voluntarij,

non tamen omnes sunt voluntarij. Sicut ergo in actibus voluntatis, deueniendum est ad aliquem actum, qui proueniat ab illa, tamquàm à natura, & non tamquàm à potentia libera, vt sunt motus primò primi; ita inter actus intellectus deueniendum est ad aliquem, qui naturaliter procedat ab intelligente, quatenus est quædam natura. Atque adeo quia Verbum procedit per actum intellectionis, quo Deus se intelligit, qui est naturalis, vtpote procedens à natura, & per modum naturæ, ideo ad illud non influit voluntas, quod proinde est naturale.

ARTICVLVS X.

An Pater genuerit Filium necessariò?

Videtur, quod Pater non genuerit Filium necessariò. Primò quia nulla necessitas potest Deum impellere ad operandum. Ergo non potuit gignere necessitate. Consequentia patet. Antecedens probatur, omnis necessitas, vel prouenit ex materia, & dicitur indigentiæ, quia prouenit ex hoc, quòd cùm materia sit pura potentia, indiget forma, per quam compleatur in esse; & sic forma dicitur illi necessaria: vel prouenit ex causa formali, & dicitur exigentiæ, eò quia omnis forma exigit vt sit talis; & sic formæ ignis dicitur necessarium esse calefactiuam: vel prouenit ex causa efficiente, & dicitur violentiæ, seu coactio-

nis,

nis, quia cùm causa efficiens sit extrinseca, per excessum virium cogit debiliorem; & sic motus sursum dicitur necessarius lapidi, posito impulsu, cui non possit resistere, quia ad illum impellitur, nullam vim conferente ipso lapide: vel ex causa finali, & dicitur necessitas conditionis, quia inducitur ex conditione finis; & sic cibus dicitur homini necessarius, posito quòd velit se in vita conseruare; & à Durando in 1.d.6.q.1.n.4.dicitur necessitas expedientiæ, eò quia expediens sit adhibitio mediorum ad consecutionem finis. Sed ex nullo ex his capitibus potest necessitas in Deum deriuare. Non ex materia, quia Deus est actus simplicissimus, & nullius rei indigus. Non ex forma, primò quia si Deus aliquid necessariò exigeret, posset ab illo perfici, sicut forma à suis proprietatibus, quod argueret in illo potentialitatem. Et deinde quia Filius exigeretur à Patre, vt eius proprietas, quod quia non posset conuenire Filio, ratione essentiæ, ei conueniret ratione relationis, & personalitatis, quæ proinde possent esse in Patre, sicut calor in igne, quod tolleret eorum oppositionem, adeòque distinctionem. Neque ex causa efficiente, quia nihil est potentius Deo, quod possit illi violentia inferre. Neque demum ex causa finali, quia cùm Deus sit in se ipso plenissimè perfectus, & sibi sufficiens, non potest agere propter aliquem finem.

con-

consequendum. Ergo nulla necessitate genuit Filium.

2. Quod procedit per modum artis, non procedit necessariò, & per modum naturæ, quæ sunt diuersa principia. Sed Filius procedit à Patre per modum artis, quia (vt vidimus in 2. phys.disp.6.ar.2. ex Aug.6. de Trin.c.10.) *Filius est ars Patris plena omnium rationum viuentium*. Ergo non procedit necessariò, & per modum naturæ, sed per voluntatem, tamquàm per principium productiuum *vt quo*.

Conclusio, *Pater genuit Filium natura, hoc est necessariò necessitate naturali, opposita libertati, & indifferentiæ; non tamen genuit inuitus, aut nolens*.

Probatur prima pars ex dictis, Pater non potest non gignere, & talem Filium non gignere; aliòquin hìc non esset Deus, quia illi non conueniret necessariò esse. Sed terminus necessarius debet esse à principio necessariò operante. Ergo Pater necessariò genuit Filium. Cùm ergo alia necessitas non possit in illum cadere, sequitur genuisse naturali necessitate.

Præterea, Pater per suam naturalem proprietatem, intrinsecè, & immutabiliter determinatur ad generandum Filium. Sed posita intrinseca, & immutabili determinatione ad aliquid, naturali necessitate sequitur illud. Ergo naturali necessitate, ex Patre sequitur generatio. Maior patet, cùm proprietas Patris sit

sit paternitas, quæ de sua ratione formali intrinseca, determinat Patrem ad generandum. Minor probatur, si posita tali determinatione, proueniente ex paternitate, Pater non generaret, mutaretur intrinsecè, eò quia transiret ex tali determinatione ad oppositam. Sed hoc est impossibile, aliòquin Pater posset non esse Pater. Ergo posita huiusmodi determinatione, necessariò sequitur generatio. Bene ergo concludit Riccardus 6. de Trin. sub medium, *nihil itaque ibi est* (intellige in diuinis) *iuxta donum largientis gratia, sed totum iuxta proprietatem exigentis, natura. Sicut enim innascibili naturale est ab alio non procedere, sic sanè ei naturale est de se procedentem habere.*

Probatur secunda pars, non est inuitus, nisi qui cogitur ad operandum. Sed Pater æternus à nullo potest cogi ad generandum. Ergo non generat inuitus. Quòd autem neque sit nolens, probatur 1. Pater non potest nolle, se esse Patrem. Sed est Pater per generationem Filij. Ergo non potest illam nolle. 2. Nullus nolens operatur, nisi coactus. Cùm ergo Pater non cogatur ad generandum, non generat nolens. Iure igitur Hylarius lib. 1. de Synod. ad c. 2. syn. Syrm. ait, *si quis nolente Patre, prædicat natum Filium, anathema sit.*

Ad 1. Distinguo antecedens, nulla necessitas potest Deum impellere, hoc est cogere ad operandum, concedo: impel-

pellere, hoc est determinare ad operandum, nego antecedens. Ad cuius probationem dico, Patrem non genuisse Filium necessitate indigentiæ, seu conditionis, seu coactionis, sed solùm necessitate exigentiæ, seu immutabilitatis, quatenùs videlicèt natura diuina, quæ est forma simplicissima, & purus actus, intrinsecè, & naturaliter exigit, vt subsistat in tribus personis. Sed hoc non possec consequi, nisi Pater generaret Filium, & cum illo spiraret Spiritum Sanctum. Ergo de necessitate exigentiæ naturalis, Pater generat Filium. Ad primam ex oppositis rationibus dico, illam concludere in ordine ad formas, quæ exiguntur vt actus aduenientes, tamquàm superadditi, & perfectiui, cuiusmodi non est generatio respectu Patris, & ideo non arguit in illo potentialitatem. Ad 2. Nego maiorem. Neque enim Filius exigitur à Patre vt eius proprietas, sed vt terminus suæ fœcunditatis. Sicut ergo tres personæ non sunt proprietates essentiæ, ita neque Filius est proprietas Patris.

Ad 2. Distinguo maiorem, quod procedit per modum artis, hoc est vt effectus artis, non potest procedere per modum naturæ, concedo: per modum artis, hoc est quòd ipsum sit formaliter ars, nego maiorem. Et distinguo minorem, Filius procedit per modum ortis, in primo sensu, nego, quia non est opus artificiatum: in secundo sensu, concedo

mi-

minorem, vt patet ex verbis adductis Augustini; & nego consequentiam. Filius Ergo est ars Patris, in ordine ad creaturas, non autem in ordine ad ipsum Filium. Neque obstat, quòd ars, & natura sint diuersa principia; nam inprimis hoc habet locum tantùm, in ordine ad actus transeuntes, naturales, vel artificiatos, non autem in ordine ad immanentes, cuiusmodi est æterna generatio. Et deinde cùm ars procedat à natura, non potest absquo illa operari; & ideo facit cum illa vnum principium; natura autem potest sine arte operari, & ideo Pater potuit sine arte gignere Filium, ipse autem Filius, vt est ars Patris, non potest sine illo operari. Vnde nihil sequitur prò arguente.

ARTICVLVS XI.

An Pater genuerit Filium voluntate?

Videtur quòd Pater nulla voluntate genuerit Filium. Primò quia vel hæc voluntas, esset antecedens, vel consequens, seu accedens, vel concomitans, siue coæua? Non primum, quia Filius crearetur, vtpote posterior voluntate absoluta, quæ in Deo est essentia, & deitas. Non secundum quia Deus mutaretur. Neque tertium, quia confunderentur Personæ, quia cùm voluntas coæua sit adæquatè expleta, per productionem Spiritus Sancti, quæ est perfectissima, non po-

potest esse principium termini distincti; aliter non esset expleta per productionem alterius termini. Ergo nulla voluntate genuit Filium.

2. Voluntarium diuiditur contra naturale, & necessarium. Ergo cùm statutum sit, generationem Filij esse naturalem, non potest esse voluntaria; aliter esset simul volita, naturalis, & necessaria, quod est impossibile.

3. Quod fit per voluntatem, liberè fit. Ergo si generatio Filij fieret per voluntatem, liberè fieret, cuius oppositum statuimus ar. 9. Consequentia patet. Antecedens probatur 1. Spiritus liberè procedit à Patre, & Filio, quia procedit per voluntatem, vt docet Scotus in 1. d. 2. q. de num. product. diu. & d. 10. eiusd. libri, & in quodl. q 16. Vnde infert, esse de ratione voluntatis, dicere libertatem in suo modo operandi, iuxta dictum Augustini, *aut voluntas non est, aut libera dicenda est, qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non velimus, sed nequaquā velle possimus*, 2. Necessitas est conditio intrinseca potentiæ, illam disponens ad actum perfectum. Ergo potest esse simul cum eius libertate. Probat antecedens, quia firmitas in operando est perfectio operantis. Sed necessitas est firmitas, quia tollit indifferentiam ad non operandum, & ad non taliter operandum. Ergo perficit libertatem operationis. 3. Non est eadem diuisio principij actiui in necessarium, & contingens

gens, & in naturale, & liberum. Ergo sicut aliquod naturale potest contingenter agere, quia potest impediri, ita aliquod liberum potest necessariò agere.

Conclusio, *Pater non genuit Filium voluntate accedente, seu antecedente, sed solùm concomitante, coaua, seu complacentia, nullo modo influente in talem generationem*. Est in terminis quoad omnes partes, diui Tho: hìc q.41.ar.2. in corp.

Probatur prima pars, quia voluntas accedens faceret Deum mutabilem, vt intulit August. 5. de Trin. contra Eunomium illam admittentem; & voluntas antecedens faceret Filium creaturam, & ideo admittebatur ab Arrianis. Ergo neutra Pater genuit Filium.

Probatur secunda 1. Eadem voluntate Pater genuit, qua vult esse Deus Pater. Sed vult esse Deus Pater voluntate complacentiæ, seu concomitanti. Ergo genuit Filium voluntate complacentiæ, seu concomitanti. Maior patet, quia Pater constituitur formaliter in esse Deum Patrem, per naturam diuinam, & generationem actiuam. Ergo eadem voluntate vult vtrumque, per modum vnius obiecti. Minor probatur, quia (vt loquitur hìc diuus Tho:) *sicut homo sua voluntate est homo, quia vult esse hominem; ita potest dici, quòd Pater genuit Filium voluntate, sicut est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, & vult se generare Filium*, ita vt ablatiuus designet

gnet concomitantiam tantùm, non autem habitudinem principij actiui.

2. Verbum est notitia cum amore, vt dictum est in tract. de visione. Sed Filius Dei est Verbum, & amor est actus voluntatis complacentis sibi de tali obiecto. Ergo Filius Dei, adeòque eius generatio est obiectum diuinæ complacentiæ. *Sicut enim Deus* (vt loquitur Aug. 15. de Trin.) *natura est Deus, & tamen complacet sibi in eo quod est Deus, sic Pater Filium natura genuit, & tamen in sui generatione sibi complacet*. Et ideo dicitur Matth. 3. *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*.

3. Sicut bonum absens est obiectum desiderij, ita præsens est obiectum dilectionis, & complacentiæ. Sed generatio Filij diuini est summum bonum. Ergo est obiectum summi gaudij, & complacentiæ. Sed delectatio, gaudium, & complacentia sunt actus voluntatis. Ergo Deus Pater vult generationem Filij voluntate complacentiæ, quæ cùm non sit principium influens in illam, quam solùm respicit per modum obiecti (vt mox videbimus) ideo non est antecedens, sed concomitans.

Probatur tertia pars. Primò ad illam personam non concurrit voluntas Patris, quæ non procedit vt amor, seu per modum amoris. Sed filius neque est amor, neque procedit per modum amoris. Ergo ad illum non concurrit voluntas Patris.

tris. Maior patebit, cùm agemus de modo procedendi vtriusque personæ. Minor probatur, quia filius procedit vt verbum, & ideo procedit per intellectum. Ergo non procedit vt amor; & ideo non procedit per voluntatem.

2. Prima persona producta, debet procedere vt terminus primæ operationis intentionalis. Sed prima operatio intentionalis est intellectio. Ergo debet procedere per modum intellectionis. Sed intellectio vt formaliter intellectio, non dicit ordinem ad voluntatem intelligentis, tamquàm ad sui principium. Ergo ad Verbum non concurrit voluntas Patris. Et hæc est ratio cur Aug. 6. de Trin. dixerit, *Filius Dei procedit à Patre naturaliter, sicut splendor ab igne*; & nos dixerimus, Patrem gignere voluntate concomitante, & non cooperante.

His aliqui addunt tertiam probationem ex diuo Thom. loco cit. & est huiusmodi, *quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt, nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic, vel aliter esse, longe est à natura diuina, sed hoc pertinet ad rationem creaturæ.* Sed quia hæc ratio non solùm potest retorqueri contra ipsos Thomistas, asserentes voluntatem operari, vt prædeterminatam ad vnum. (Cùm enim hic ad rationem

voluntatis requiratur, quòd sit ad ea, quæ possunt sic, vel aliter esse, eò ipso quòd voluntas aliquid faciat, vt ad illud prædeterminata, non operatur liberè vt voluntas, sed necessariò vt natura) sed etiam quia retorquetur contra processionem Spiritus Sancti, ad quam voluntas concurrit cooperando actiuè vt principium, sicut intellectus concurrit ad generationem. Vel enim Spiritus Sanctus posset aliter se habere, & sic esset contingens, & creatura; vel voluntas potest concurrere vt principium, etiam ad Verbum, licèt non possit aliter se habere. Ergo hæc ratio vel nihil probat, vel probat oppositum, & destruit præcipuam Doctrinam Thomistarum.

Vnde patet responsio ad 1. Ad rationem contra voluntatem concomitantem à nobis assertam, nego sequelam, quæ procedit ex mala intelligentia voluntatis coæuæ, seu concomitantis. Cum enim nos non asseramus, Patrem per voluntatem cooperantem, per modum principij, & potentiæ, producere filium, sed solùm per voluntatem quasi approbantem, & complacentem per modum actus, non geminamus terminum voluntatis spirantis, adæquatè expletæ per Spiritum Sanctum, sed solùm distinguimus vnam voluntatem ab alia, ita vt operans ad intra terminetur ad solum Spiritum Sanctum, & approbans terminetur etiam ad filium. Quia ergo Spiritus Sanctus procedit per voluntatē vt potentiam, & prin-

cipium, per quam non procedit filius, ideo non tollitur distinctio vnius ab alio, sicut tolleretur, si voluntas complacentiæ esset cooperatrix.

Ad 2. Distinguo antecedens, voluntarium quatenus dicit voluntatem, & modum ipsius diuiditur contra naturale, concedo: quatenus dicit voluntatem quoad substantiam, præscindendo ab eius modo, nego antecedens, & consequentiam. Cùm ergo voluntas concomitans nullum dicat modum ipsius, quia nullum præstat influxum in volitum, quod solùm respicit vt obiectum, non debet contradistingui à natura. Atque adeo potest eadem generatio filij esse taliter volita, quamuis simul sit naturalis, & necessaria, modo explicato.

Dices, voluntas complacentiæ, cùm sit aliquod absolutum, non distinguitur ab essentia. Ergo si essentia influit *vt quo* ad generationem filij, etiam voluntas influit *vt quo*.

Nego consequentiam. Ratio est, quia (vt obseruat Dur. in 1.d.7.q.2.ad 2.) licèt voluntas, & essentia, seu natura sint vnum in Deo, secundùm identitatem realem, non tamen habent eumdem modum tendendi in obiectum, in quod hæc tendit per modum necessitatis, & exigentiæ, & illa per modum approbationis, & complacentiæ. Quia ergo exigentia, de sua ratione formali, habet ferri in obiectum vt habendum, & complacentia vt habitum, ideo illa habet modum tenden-

dendi influxiuum, quem hæc non habet.

Ad 3. Distinguo antecedens, quod fit per voluntatem liberè fit, libertate opposita coactioni, & violentiæ, concedo: libertate contradictionis, seu specificationis, nego. Et distinguo consequens, generatio filij liberè fieret in primo sensu, concedo: in secundo, nego consequentiam, quam solam reiecimus in loco citato. Ad primam probationem dico, processionem Spiritus esse liberam in primo sensu, & non in secundo, quia cùm voluntas non possit cogi, semper est libera à coactione, & hanc solam libertatem admisit Augustinus, vt propriam, & indiuiduam voluntatis.

Ad 2. probationem nego consequentiam. Id enim quod est coniungibile cum perfectione potentiæ, non est coniungibile cum omni eius actu; nam dissensus de falso, spectat ad perfectionem potentiæ intellectiuæ, non tamen potest coniungi cum consensu de eodem: & idem dico de amore, & odio respectu voluntatis. Quamuis ergo necessitas perficiat potentiam operatricem, cui dat firmitatem in operando, non tamen est cõponibilis cum omni alia eius perfectione, cuiusmodi esset libertas contradictionis, vel specificationis. Vel ergo restringimus quæstionem ad solam libertatem à coactione, vel dilatamus ad omnes alias species libertatis? Si primum, illam fateor componi posse cum liberta-

tate; alias nego. Vnde patet responsio ad probationem antecedentis.

Ad 3. probationem Dico, iuxta varias acceptiones necessitatis, & libertatis, posse concedi, vel negari antecedens. Nam sicut principium actiuum naturale non est idem, ac necessarium, si hoc sonet coactionē, ita est idem, si sonet immutabilitatem: & liberum est idem, atque contingens, si liberum supponat prò potente aliter se habere, tàm in ordine ad esse, quàm in ordine ad sic esse; & non est idem, si supponat prò non coacto. Quamuis ergo voluntas distinguatur contra naturam vt sic, non tamen distinguitur contra naturam intraneam ipsi voluntati; atque adeo bene potest idem actus voluntatis esse liber, & naturalis, in sensu explicato.

ARTICVLVS XII.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OBijcies 1. Si Filius non procederet per voluntatem cooperantem, eius processio esset imperfectior processione Spiritus Sancti, quæ est per voluntatem productiuam. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Maior probatur, liberum est perfectius necessario. Sed voluntas est principium liberum, & natura necessarium. Ergo processio

per voluntatem est perfectior processione per naturam.

Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, necessarium necessitate coactionis esse imperfectius libero, non autem necessarium necessitate immutabilitatis, & exigentiæ, de quo locuti sumus. Immò quia hæc necessitas non potest haberi, nisi ratione perfectionis, cuiusmodi est immutabilitas, ideo dicit de sua ratione formali, infinitam perfectionem incommunicabilem creaturæ, quam non dicit esse liberum. Præterea vel ideo argueretur maior perfectio in processione Spiritus Sancti, quia procedit à principio libero, libertate indifferentiæ, vel libertate approbationis, & complacentiæ? Non primum, aliter Spiritus Sanctus esset contingens. Ergo est verum secundum. Sed etiam filius procedit à principio liberó, libertate complacentiæ, & approbationis, vt dictum est ar. 11. Ergo eius processio non est imperfectior, cùm in ordine ad hoc parui referat, an tale principium volitiuum liberum influat, nec ne *vt quo*, dummodo semper concomitetur actionem producentis *vt quod*.

Ob. 2. Spiritus Sanctus procedit per voluntatem notionalem, & non per absolutam. Ergo non est volitus, sicut filius, voluntate concomitante, & complacentiæ, que est absoluta.

Nego consequentiam. Nam in ordine ad esse obiectum complacentiæ, impertinenter se habet procedere per volun-

luntatem absolutam, siue notionalem. Et ratio est, quia obiectum motiuum, & terminatiuum complacentiæ est ratio bonitatis. Sed hæc non ideo est infinita in diuinis processionibus, quia sunt à principijs notionalibus, sed quia sunt diuinæ per identitatem cum deitate. Ergo siue procedant à principijs notionalibus, siue absolutis, semper sunt aptæ mouere, & terminare diuinam complacentiam. Ad cuius euidentiam dico, præter actum volitionis notionalis, per quam producit Spiritum Sanctum, dari etiam in Patre actum volitionis absolutæ, distinctũ ab illo virtualiter intrinsecè, per quam sibi de illo complacet iam producto. Quatenus ergo Spiritus Sanctus est purus terminus volitionis notionalis, non est volitus concomitanter, sed formaliter, & per se; est tamen volitus concomitanter, quatenus est terminus volitionis absolutæ. Et in hoc discrepat à filio; siquidem filius est volitus concomitanter per vtrumque actum, quia neutrius est terminus formalis. At Spiritus est formaliter volitus per volitionem notionalem, per quam procedit, & concomitanter per absolutam, per quam approbatur; & ideo est terminus formalis primæ, & non secundæ, respectu cuius est purum obiectum, sicut filius est primæ, & secundæ.

Dices, ergo etiam ipse actus voluntatis notionalis, per quem spiratur Spiritus Sanctus, est volitus concomitanter. Concedo consequentiam. Et dico, omnia,

quæ sunt formaliter in Deo, immò totum Deum esse à se ipso volitum concomitanter, quatenus est obiectum voluntatis quasi reflexæ, qua Deus amat, gaudet, & vult se esse Deum.

Ob.3. Prius est in Patre velle generare, quàm filium generare. Ergo generatio est actus voluntatis, & non naturæ. Probatur consequentia, quia generare sequitur ad velle generare, quod cùm non possit esse absque ordine, debet esse cum processione vnius ab alio. Antecedens admittitur à Scoto in 1. d. 6. q. vn. & Caietan. q. 41. ar. 2. & probatur, quia velle generare est quid absolutum, generare autem notionale, & respectiuùm. Sed prius est absolutum in Deo, quàm respectiuum, secundùm nostrum modum intelligendi. Ergo priùs est in Patre velle generare, quàm generare.

Nego antecedens cum Franc. Ferrar. lib. 4. con. Gen. c. 11. & Capreolo in 1. d. 6. q. vn. Primò quia cùm generatio sit actus intellectus, qui est potentia primò operatiua, debet esse prior ad omnem actum voluntatis, quæ est potentia secundò operatiua. Deinde cùm actiones sint suppositorum, vt probauimus disp. 6. ar. 1. & velle sit actio; debet præsupponere supposita, à quibus sit. Sed omnia supposita in Deo sunt relatiua, vt probatum est disp. 14. ar. 1. Ergo prius est in Deo esse Patrem, quod est aliquod respectiuum, quàm illum velle generare; aliter prius conciperetur volitio, quàm vo-

volens, quod repugnat. Quando ergo dicitur, quòd absoluta præcedant relatiua, explicandum est dictum, de absolutis per modum habitus, cuiusmodi sunt omnipotentia, scientia, æternitas, &c. non autem per modum actus, vt intelligere, & velle, qui vt formaliter tales, semper præsupponunt principium *à quo*, vel *in quo*, cuiusmodi sunt supposita. Vt autem appareat quàm sit ineptum hoc argumentum, ad intentum arguentis.

Resp. 2.' Distinguendo antecedens; prius est in Patre velle generare, si ly *velle* supponat prò voluntate absoluta, & concomitante, concedo: si prò voluntate notionali, nego antecedens. Et distinguo cons. generatio est actus voluntatis absolutæ, concedo: notionalis, nego consequentiam. Explico distinctionem, per nostrum modum concipiendi, priusquam Pater generaret filium, in illo priori originis, repræsentabatur illi generatio sui filij vt possibilis, & vt taliter existens obiectiuè in eius mente, apparebat vt infinitè bona, & excitabat illum ad infinitum amorem sui. Priùs ergo quàm poneretur in actu, per intellectum fæcundum Patris, iam erat obiectum diuini amoris, qui deinde transijt in gaudium, & complacentiam, posita generatione in actu exercito. Et ratio est, quia in illo priori filius repræsentabatur veluti absens, & futurus. Ergo non poterat esse obiectum diuinæ complacentiæ, quæ est de bono præsenti, & possesso, sed so-

lùm diuini amoris, qui præscindit à ratione præsentis. vel absentis, & solùm considerat in obiectò perfectionem, & bonitatem. Quia tamen radix difficultatis tangit materiam de constitutiuo personarum; ideo consulite articulos primum, secundum, & tertium disp. 17. Nam ibi inuenietis clauem doctrinæ, ad illam penetrandam.



DIS-



DISPVTATIO XIX.

De Persona Filij.



QVia Patrem sequitur Filius, ideo quæstionibus de Patre quæstiones de Filio subnectimus. Quærimus ergo 1. an Filius procedat à Patre per intellectum? 2. An procedat vt Deus? 3. An procedat vt imago Patris? 4. An procedat ex cognitione solius diuinæ essentiæ, an etiam Personarum, & creaturarum, tàm possibilium, quàm existentium? Et demum an procedat per intellectum notionalē?

ARTICVLVS PRIMVS.

An Filius procedat à Patre per intellectum?

VIdetur non procedere per intellectum, vt propugnant Durandus in 1.d.6.q.2. & Gregorius Arim. in 1.d. 10. q.vnic. in resp. ad rationem primam principalem, & d. 13. q. vn. quibuscum

etiam videntur sentire Aureolus, Petrus de palude, Gerardus de Carmelo, cum nonnullis alijs ex recentioribus. Fundamenta omnia, quæ possunt habere, reducuntur ad hæc.

Intelligere vel est principium formale productionis Verbi, per modum virtutis, sicut calor calefactionis, vel est actio formaliter productiua, sicut est ipsa calefactio, respectu manus, quæ per calorem calefit? Neutrum potest dici. Ergo Verbum non gignitur à Patre per intelligere. Maior est euidens, quia cùm intelligere nō possit esse principium *quod*, debet esse principium alterutro modo. Minor probatur quoad primam partem, 1. Intelligere vt actus immanens, nihil operatur, vt dicitur 9. met. t. 16. & 1. ethic. Ergo non potest esse principium formale generationis, quam respiciat, vt actionem sui, sicut calor respicit calefactionem.

2. Homo non generat vt intelligens. Ergo neque Deus, quia quoad hoc proportionaliter conuenit Deo fæcunditas, atque conueniat creaturis. Probatur antecedens, si homo non esset intelligens, eodem modo generaret, sicut si calor esset intelligens, eodem modo calefaceret. Ergo intelligere, neque cooperatur in homine ad generationem, neque cooperaretur in calore ad calefactionem.

3. Ita se habet ordo realis ad realiter distincta, sicut ordo rationis ad ratione distincta. Sed vbi natura realiter distinguitur

tur

tur ab intellectu, non operatur per intellectum. Ergo vbi ratione distinguitur, non operatur per intellectum. Atqui in Deo natura distinguitur ab intellectu per rationem. Ergo non operatur per intellectum, sed per se ipsã immediatè.

4. Probatur quoad secundam. Primò quia productio Verbi est actus notionalis. Sed intelligere est actus essentialis. Ergo intelligere nõ est productio Verbi.

5. Intelligere est commune omnibus personis. Ergo si intelligere esset productio Verbi, omnes personæ producerent Verbum, quod est hæreticum.

6. Personarum productiones differunt realiter inter se. Sed intelligere, & velle non differunt in Deo realiter. Ergo non sunt personarum productiones.

7. Omne operatum est nobilius operatione. Sed nullum operatum est nobilius intellectione. Ergo intellectio nullius est operatio.

8. Productio Verbi non est separabilis à Verbo. Sed intelligere est separabile à Verbo, vt accidit in Beatis, qui intelligendo non producunt Verbum. Ergo intelligere non est productio Verbi.

9. Non sunt minoris efficacitatis bonitas, omnipotentia, & alia attributa, quã sint velle, & intelligere. Sed bonitas, omnipotentia, &c. non producunt terminũ ad intra. Ergo neq; intelligere, & velle.

10. Per Augustinum lib. 15. de Trin. c. 11. nõ actus intelligendi, sed memorandi producit Verbũ, quod à nonnullis Patri-

bus sentientibus cum Aug. dicitur produci per memoriam fæcundam Patris. Ergo Verbum non producitur per intelligere.

11. Processiones in diuinis habentur per communicationem naturæ diuinæ. Sed communicatio naturæ diuinæ prouenit immediatè ex ipsius fæcunditate, seclusis intellectu, & voluntate, quia scilicet est infinitum bonum, de cuius ratione est summa, & infinita communicatio. Ergo non habentur per actus intellectus, & voluntatis. Vnde concludit Durandus, diuinas personas procedere à natura diuina, vt natura est, ita vt actus productionis præintelligatur oriri ex fecunditate naturæ, ante omnem tàm actum intellectionis, & volitionis, quàm potentiam intellectiuam, & volitiuam; ita vt si natura diuina per impossibile non haberet has potentias, adhùc personæ procederent ex eius fæcunditate. Quòd si quis illi opponat contrarium loquendi modum Doctorum, & Patrum, Respondet hoc fieri per accommodationem, & appropriationem cum natura creata intellectuali, cuius primus actus est intelligere, & secundus velle.

Conclusio, *Verbum æternum procedit à solo Patre per intellectum.* Ita diuus Thomas q.27. per totam, alijque communiter.

Quòd Filius procedat à Patre, est certum ex fide, vt patet ex symbolo Nicæno, *credo in Iesum Christum filium eius vni-*

vnigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula: & ex symbolo Sancti Athanasij, *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. Præterea patet ex dictis disp.18. in qua probauimus, Patrem necessariò de sua substantia Filium genuisse. Sed est impossibile, quòd Pater necessariò genuerit Filium, & Filius non sit à Patre; aliter necessaria generatiò esset sine termino, quod repugnat. Ergo necessariò Filius est à Patre.

Quòd autem sit à solo Patre, patet ex symbolo cit. Sancti Athan.; & præterea ex dictis disp.8.ar.3. & alibi, vbi probauimus, diuinas Personas esse solùm tres, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Sed Filius non potest esse à Spiritu Sancto, qui procedit à Patre, & Filio, vt videbimus; neque à seipso, aliter esset ingenitus, sicut Pater. Ergo est à solo Patre.

Quòd autem sit per intellectum, patet ex dictis disp. 5. ar. 3. vbi probauimus, omnes diuinas processiones esse per actus intellectus, & voluntatis. Sed Filius nō potest esse per actum voluntatis, quod est proprium Spiritus Sancti: Ergo est per actum intellectus. Et hæc est ratio, cur passim in sacris paginis vocetur verbum, & sapientia Patris, quia cùm verbum sit terminus intrinsecus conceptionis, & sapientia sit formaliter ipsa conceptio, seu intellectio Patris, bene per vtrumque ostenditur, eius processionem esse per intellectum. Iure igitur Fi-

lius dicit de se ipso sap. 1. & prou. 24. *ego ex ore altissimi prodij*. Cùm enim nomine oris Dei non possit intelligi, nisi intellectus, nam sicut os materiale profert verba materialia, ita intellectus verbum mentale, qui proinde vt illud formans vocatur dicens, hoc est loquens, sumpta proportionaliter similitudine ex locutione, seu dictione externa, ideo formatio verbi est perfectissima communicatio scientiæ Patris, adeòque perfectissima locutio ad intra, sicut formatio verborum externorum est locutio imperfecta ad extra.

Quare non est audiendus Durandus, dùm ait, Filium Dei vocari verbum per quamdam accommodationem; nam à Ioanne conuincitur falsitatis, qui Apoc. 19. indagans eius verum, & proprium nomen, ait, *habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse; & vocatur nomen eius verbum Dei*. Ergo non per accommodationem, sed per omnimodam proprietatem vocatur verbum, secundùm quam idem Ioannes cęlesti edoctus magisterio, initio sui Euangelij, assiduò illum hoc nomine compellauit, *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et infra, *& Verbum caro factum est*. Iure igitur concludit diuus Tho: in 1. d. 27. q. 2. ar. 1. sub init. corp. *absque omni dubio confitendum est, Deum esse Verbum, & propriè Verbum dici*. Et 1. p. q. 34. ar. 1. ad 1. ait, nō negari, nisi ab Arrianis, Filiū

Dei

Dei dici propriè verbum, & assignat rationem, *Arriani ex eo quòd posuerunt, Filium alium à Patre esse in diuersitate substantia, conati sunt, cum Filius Dei Verbum dicitur, adstruere, non esse propriè dictum; nè sub ratione Verbi procedentis, cogerentur fateri, Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam verbum interius sic a dicente procedit, quòd in ipso manet.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiecta.

AD I. Nego minorem. Et dico, intelligere Patris esse vtrumque, nempe principium formale proximum, vt virtutem, & vt actionē formaliter productiuam, quæ in Patre non distinguuntur, nisi ratione. Ad primam probationem, distinguo antecedens, actus immanens nihil operatur ad extra, concedo: nihil operatur ad intra, nego antecedens, cùm etiam Philosophus asserat, per frequentationem actuum intellectus gigni habitum. Ergo non est de ratione actus immanentis, inducere sterilitatem in operante. Præterquamquòd intelligere notionale Patris non est vndequàque immanens, si Deus consideretur suppositaliter, & non essentialiter. Et ratio est, quia eius terminus productus, quamuis sit eiusdem naturæ, & substantiæ, & per circuminsessionem sit in supposito Patris

tris generantis, non tamen formaliter est in ipso Patre, sed transit quodammodo extra se, ad suppositum Filij. Ergo quamuis esset verum assumptum à Durando, adhùc tamẽ nihil probaret aduersùs productionem Filij, per intelligere Patris, posito quòd, saltem suppositaliter, & quoad rationem formalem intrinsecam, vt virtualiter intrinsecè præcisam ab eius essentia, sit actus transiens, & non immanens.

Neque obstat, quòd nos cum communi illud appellauerimus actum immanentem; nam tunc accepimus Deum essentialiter, & non suppositaliter. Quia ergo Pater generat Filium intra suam essentiam, ideo dicitur producere ad intra, & immanenter, cùm propriè actus transiens sit ad terminum extra suam substantiam, vt sunt creaturæ respectu omnipotentiæ, & calefactum respectu caloris, & calefacientis.

Ad 2. Distinguo antecedens, homo non generat vt intelligens, ea, quæ nullum dicunt ordinem ad intellectum, vt procreare Filios, producere motum localem, &c. concedo: ea quæ dicunt essentialem ordinem ad intellectum, cuiusmodi sunt cognitiones, verbum mentis, species intelligibiles, habitus scientifici, & alia huiusmodi, nego antecedens. Ad cuius probationem nego suppositum, si sermo sit de ijs, quæ dicunt essentialem ordinem ad intellectum, quæ ideo non possunt fieri à brutis, eò quia in illis non

sit

sit intellectus, qui posſit cooperari. Quòd autem hæc producantur ab homine vt intelligente, probatur euidenter, per illud homo producit hos effectus, per cuius ſolius carentiam non poſſunt à bruto produci. Sed non poſſunt à bruto produci per ſolam carentiam intellectus. Ergo fiunt ab homine per intellectum, adeòque ab illo vt formaliter intelligente. Cùm ergo in ratione formali Verbi æterni, includatur reſpectus ad intellectum Patris, eò quia includatur notitia, quæ eſt expreſsiua, & declaratiua notitiæ ſimplicis ipſius Patris producentis, vt docet Riccardus 2. de Trin. *rectè Filius Verbum Patris dicitur, per quem Patris, qui fons eſt ſapientiæ, notitia manifeſtatur*; ideo non poteſt Pater illud producere, niſi vt intelligens.

Vnde patet reſponſio ad 3. Nam etiam in his, in quibus natura, intellectus, & voluntas diſtinguuntur, vt in creatis, ſaltem in probabili ſententia hæc diſtinguente, ea quæ dicunt ordinem ad intellectum, non poſſunt produci à natura ſine intellectu. Ergo neque in Deo poteſt Verbum produci, abſque cooperatione intellectus, in quo hæc diſtinguuntur ſola ratione.

Dices, intellectus præſupponit naturam fæcundam. Ergo præſupponit eius actum, pròut diſtinctum ab actu intellectus. Sed Verbum procedit ex fęcunditate naturæ. Ergo ex actu proprio ipſius, nullo modo intellectu cooperante.

Ne-

Nego consequentiam, quæ non valet in subordinatis, habentibus eumdem actum, vt probat Caiet. hic q.27.ar.5. Sicut ergo calor præsupponit in igne fœcunditatem ad extra, & tamen ignis non potest calefacere sine calore, qui non habet actum distinctum calefactionis, ab actu substantiæ calefactiuæ ignis; ita quamuis intellectus præsupponat fœcunditatem naturæ, quia tamen hæc est remota, & radicalis, non præsupponit eius actum, eò quia in ordine ad terminum ad intra, natura non habet actum distinctum ab actu intellectus. Atque adeo Verbum, quod procedit per intellectum, non solum procedit ex potentia intellectiua, tamquàm ex principio proximo *quo*, sed etiam ex fœcunditate naturæ, tamquàm ex remoto, & ex intellectione, tamquàm ex ratione formali, & actu communi vtriusq; principij *quo*, cuius principium *quod* est sola Persona, seu suppositum Patris.

Ad 4. Distinguo minorem, intelligere, præciso omni respectu, est actus essentialis, & communis, concedo: cum respectu paternitatis, nego minorem. Et distinguo consequens, intelligere primo modo sumptum, non est productio Verbi, concedo: secundo modo, nego consequentiam. Quia ergo non est generatio, nisi cum proposito respectu paternitatis, ideo vt est generatio, accipet notionaliter. Vnde sequitur,

hu-

huiusmodi intelligere, non posse conuenire, nisi Patri. Et quia actus notionalis differt realiter ab alio actu notionali, propter oppositos respectus; ideo processio Filij realiter distinguitur à processione Spiritus Sancti, quæ est per actum voluntatis notionalis.

Vnde patet responsio ad 5. & 6.

Ad 7. Distinguo maiorem, operatum est perfectius operatione, si hæc sit distincta ab operante, concedo: si indistincta, nego maiorem. Et admissa minori, nego consequentiam, quia intelligere Patris non distinguitur ab esse Patris. Ex quo, quia debet sequi terminus consubstantialis, ideo operatum neque est perfectius, neque imperfectius, sed æqualis perfectionis.

Ad 8. Nego minorem, cum sua probatione, cùm in tract. de vis. disp. 10. ar. 6. probatum fuerit, etiam Beatos videndo Deum formare verbum. Præterquamquòd licèt oppositum asseratur, non proinde infirmatur conclusio; neque enim hìc probamus existentiam Verbi æterni, ex eo quòd Pater intelligat, sed alibi probata eius existentia à Patre, asserimus, procedere à Patre per intellectum. Ergo ex vi conclusionis, non tenemur hìc tueri, quòd omne intelligere producat verbum, licèt hoc alibi vt verum sustineamus.

Ad 9. Nego maiorem, cùm alia attributa non sint actiua, præter omnipoten-

tiam,

tiam, quæ operatur ad extra per actionem transeuntem.

Ad 10. Nego consequentiam. Quia cùm probauerimus in paruis natur. disp. 1. ar. 2. memoriam non sensitiuam esse idem realiter cum intellectu, habent cōmunem actum, vt diximus de potentijs subordinatis, quod multò magis valet in identificatis.

Ad 11. Nego minorem. Et dico, diuinas processiones esse à natura remotè, & radicaliter, non autem proximè, & formaliter, quod illis solùm conuenit ratione intellectus, & voluntatis, ratione quorum natura fit proximè, & formaliter fœcunda, & communicabilis. Sicut enim natura creata non se communicat immediatè, sed per potentiam; ita & diuina. Neque obstat, quòd in creatis per intellectionem non communicetur natura intelligentis. Hoc enim prouenit primò quia intellectio accidit intelligenti. Et deinde quia intelligens est finitum, & limitatum; & ideo actionibus immanentibus non potest producere substantiam, quæ solùm terminat actionem transeuntem. At in diuinis intellectio est substātialis, & prouenit à principio infinitæ virtutis; & ideo licèt sit immanens, potest producere terminum substantialem; immò necessariò debet producere solum terminum substantialem, & producenti consubstantialem. Et ratio est, quia intellectio non est imma-

ma-

manens suppositaliter, sed solùm essentialiter, vt dictum est in solutione primi. Ergo debet esse ad terminum productum, intra eamdem substantiam intelligentis. Sed in tali substantia non potest esse accidens. Ergo debet esse ad terminum intelligenti consubstantialem.

ARTICVLVS IIII.

An Verbum procedat à Patre vt Deus?

Videtur non procedere, vt impiè blasphemabant Arriani, quibus adhæsere ex recentioribus Erasmus, Caluinus, Melanchton, Seruetus, & Valentinus, & ex vetustioribus Origenes, qui cùm præcesserit Arrium fermè per sæculum, meritò à Hyeronimo dicitur ep. 60. ad Io: Ep. Hyerosol. sub med. *Arrij pater, & aliarum hæresum radix, & parens*: Et ep. 65. ad Pammach. *fons Arrij*, quod confirmatur à diuo Tho: q. 34. ar. 1. ad 1. *Arrianorum fons Origenes inuenitur*. Eorum fundamenta sunt.

1. Dicitur Io: 17. *Hac est vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Ex quo ita arguunt, Christus distinguit se à Patre, & vocat Patrem solum Deum verum: Ergo se distinguit à Deo vero. Quod autem est distinctum à Deo vero, non est

est Deus. Ergo Christus, ex propria confessione, non est Deus.

2. Christus dixit Apostolis Ioan. 20. *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrũ.* In quò primò considerant ly *ascendo*, quod Deo non conuenit, qui est vbique. Et deinde ly *Deum meum, & Deum vestrum*. Vnde inferunt, quòd Pater sit Deus Christi, sicut aliorum. Sed aliorum non est Deus in vnitate naturæ. Ergo neque Christi.

3. Matth. 20. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ergo Filius non habet potestatem æqualem Patri.

4. Matth. 27. Christus querebatur de Patre, quòd fuerit relictus, *Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me?* Sed si esset Patri consubstantialis, non potuisset derelinqui. Ergo non est.

5. Qui nouit aliquid, non potest esse æqualis ignoranti. Sed Pater nouit quando sit futura dies iudicij, quod filius ignorat, vt ipsemet fatetur Marci 13. *De die illo nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque filius, nisi Pater.* Ergo non est illi æqualis.

6. Io. 14. Christus se vocat minorem Patre, *Pater maior me est.* Sed inter consubstantiales non datur maior, & minor. Ergo non sunt consubstantiales.

7. Vera diuinitas non patitur subiectionem. Sed Filius patitur subiectionem

nem à Patre, vt docet Apostolus 1. ad Cor. 15. *cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei.* Ergo non habet diuinitatem. Aliter non potuisset accipere præceptum, quod non datur nisi subdito, vt dicitur Io. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Neque potuisset obedire, vt dicitur ad Philipp. 2. *factus obediens vsque ad mortem.* Neque potuisset accipere potestatem, vt dicitur Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Si quidem Deus habet ex se omnem potestatem.

8. Vel generatio Verbi est iam in facto esse, vel in fieri? Si primum, ergo habuit finem. Sed quod habuit finem, habuit initium. Ergo generatio Verbi non fuit ab æterno. Si secundùm, ergo Verbum nondùm est perfectum. Sed quod non est perfectum, non est Deus. Ergo Verbum non est Deus.

Conclusio, *Verbum æternum procedit à Patre, vt Deus, secundùm vnitatem eiusdem diuinæ naturæ, & solius distinctionem Personæ.* Omnia sunt de fide.

Probatur 1. Multiplici loco sacræ scripturæ, vt Matth. 28. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; vbi ly *in nomine* denotatur vnitas deitatis, & alijs verbis trinitas personarum. Et Io. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ecce pluralitas personarum,

Et

Et hi tres vnum sunt. Ecce vnitas deitatis. Quod idem repetitur Io. 10. & alibi sæpe, *ego, & Pater vnum sumus*. Quæ loca considerans Aug. ser. 56. de verbis D. ait, *quòd ait vnum, audiant Arriani: quod ait sumus, audiant Sabelliani; & nec illi æqualem, & nec illi alterum negando, sint vani*. Et ep. 1. Io. c. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verũ Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna*. Et ad Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Super quem locum Aug. 2. de Trin. c. 13. post med. ait, *non solùm Pater Deus est, sed etiam filius; quod hæretici velint, nolint, coguntur fateri, dicente Apostolo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Et Io. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, &c.* Ad Titum 2. *Expectantes aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi*. Et infinita alia, quæ passim congeruntur ab auctoribus, & præcipuè à Fasolo q. 27. dub. 1.

2. Ex symbolo Niceno, *Credo in Deum Patrem, &c. & in vnum Dominum Iesum Christum Filium eius vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Deum verum de Deo vero*. Et in symbolo S. Athan. *Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus*

San-

Sanctus, & tamen non tres dij, sed vnus est Deus.

3. Quod procedit vt habens substantiam, & naturam diuinam, procedit vt Deus. Sed Filius procedit à Patre, vt habens diuinam substantiam, & naturam. Ergo procedit vt Deus. Maior, & consequentia sunt euidentes. Minor probatur, Filius procedit vt genitus de substantia Patris, hoc est vt accipiens per identitatem eamdem substantiam, & naturam diuinam Patris, vt probatum est disp. 18. ar. 6. Ergo procedit vt habens diuinam naturam. Et ideo Christus dixit de se ipso Io. 10. *Pater in me est, & ego in Patre*; hoc est in me est natura Patris, & in Patre est mea natura. Et paulò ante ibid. dixerat, *Ego, & Pater vnùm sumus*, non vnitate Personæ, sed naturæ diuinæ. Et Io. 14. *creditis in Deum, & in me credite*, quæ consequentia non valeret, nisi essent vnus, & idem Deus, vt obseruat August. lib. 1. de Trin. c. 12. sub finem.

Ad 1. Distinguo minorem subsumptã, quod est distinctum à Deo vero distinctione adæquata, non est Deus, concedo: inadæquata, nego minorem, & consequentiam. Cùm enim in hoc consistat mysterium Trinitatis, vt sint tres Personæ realiter distinctæ, quarum singulæ sint Deus, & omnes sint vnus Deus, vtique singulæ distinguuntur à Deo vero; nam Filius distinguitur à Patre, qui est verus Deus, & Pater distinguitur à Filio, qui

est verus Deus. Et ideo in Symbolo Nicæno dicitur, *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero*. Cum ergo dicitur, *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & Iesum Christum*; vel illa particula, *&*, refertur ad ly *Deum verum*; & sic vterque est ille Deus, qui solus est verus Deus; adeo vt particula *solum* non referatur ad ly *te*, ita vt solus Pater sit Deus, sed ad ly *verum Deum*, ita vt excludat alia à ratione veri Dei, quæ non sunt Pater, & Filius. Vel refertur ad ly *cognoscant*, ita vt faciat sensum, quod cognoscant Patrem, qui solus est verus Deus, & præterea Iesum Christũ, qui non est verus Deus? Et si hoc dicatur, admittitur contradictio in verbis Christi. Siquidem cùm hic sit sermo de cognitione beatificãte, *hæc est vita æterna, vt cognoscant*, non potest includere in eius obiecto primario creaturam, vt fusè probauimus in trac. de visione. Ergo cùm pariformiter asseratur, vitam æternam consistere in cognitione Patris, & Filij, euidenter sequitur, vtrumque esse obiectum beatificum, adeòque Deũ, vt probatum est in tract. de beatitudine. Ergo simul, & semel Christus se exclusisset, & inclusisset, in ratione formali deitatis. Nè ergo admittamus contradictionem in verbis Christi, dicendum est, eius verba facere primum sensum. Atque adeo, sicut cum Apostolus 1. ad Cor. 9. dixit, *an ego solus, & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi*, ly *solus*

non

non excludit Barnabam, sed ad aliorum ponitur differentiam, vt exponit Chrysostomus in talem locum; ita cum dicitur, *te solum Deum, & Christum*, ly *solum* non excludit Christum, à ratione veri Dei, sed ponitur ad differentiam aliorum.

Ad 2. Dico, in Christo Domino fuisse duas naturas, videlicèt diuinam, & humanam. Atque adeo multa illi conueniunt vt Deo, quæ sunt Dei propria, quæ illi conuenire non possunt vt homini, &. viceuersa. Quia ergo vt homo passus fuerat, & resurrexerat; ideo vt homo ascendit in Cœlum, & vt talis vocat Deum suum, dicente Cyrillo lib. 9. thesauri cap. 4. *Aliquando Christus vt Deus, & aliquando vt homo loquitur, vt & Deum, & hominem se verum ostendat.* Sicut ergo cum loquitur vt Deus, non amittit humanitatem, ita cum loquitur vt homo, non amittit diuinitatem. Et ideo dicit *ascendo*, & non *assumor*, seu *vehor*, vt ostendat, humanitatem operari, per virtutem sibi à diuinitate coniuncta communicatam. Contra verò Beata Virgo dicitur assumpta in cœlum, quia illud propria virtute non penetrauit, proprietate suppositi, sicut filius.

Vnde patet responsio ad 3. & 4.

Ad 5. Nego minorem, quoad secundam partem. Ad authoritatem oppositam dico, dictum Christi verificari de ipso, vt homo est, causaliter, & reduplicatiuè, Quamuis enim humanitas Chri-

sti specificatiuè sumpta, ratione vnionis hypostaticæ, & visionis beatificæ, verè sciat illum diem, vt patet ex eo, quòd omnia illum antecedentia, concomitantia, & subsecutura manifestauit, tamen causa sciendi non fuit humanitas, sed diuinitas; & ideo non sciuit vt homo. Eo modo quo homo albus, licèt videat, non videt vt albus, quia causa videndi non est albedo.

Ad 6. Respondet Athanasius in suo symbolo, in quo loquens de Christo ait, *æqualis Patri secundum diuinitatem, & minor Patre, secundum humanitatem*.

Ad 7. Patet responsio ex dictis; siquidem filius cum incarnatus est, subiectus est Patri, eiusque præceptis, illique obediuit vt homo, & vt talis, ab illo accepit potestatem.

Ad 8. Dico, generationem Verbi esse in facto esse, mixto cum perpetuo fieri, quatenus videlicèt eius terminus est ita in sua ratione completus, vt totum suum esse, complementum incessanter habeat à Patre, per generationem æternam, de qua numquam possit verificari quòd trãsierit. Ea planè ratione, qua imago Petri, quæ exprimitur in speculo, semper est in sua ratione perfecta, semper tamen exigit esse ab obiectu ipsius Petri; cum hoc tamen discrimine, quòd hæc imago possit non esse, quia potest Petrus non applicari speculo; Verbum autem non possit non esse, quia Pater non potest illud non generare.

AR-

ARTICVLVS IV.

An Verbum procedat vt imago Patris?

VIdetur quòd non, vt propugnat Durandus in 1.d. 28. q. 3. Primò quia Vbi non est similitudo, non est imago. Sed in diuinis Personis non est similitudo. Ergo non est imago. Maior patet ex definitione imaginis, allata disp. 4. ar. 1. Minor probatur, vel diuinæ Personæ comparantur ad inuicem secundum essentiam, vel secundùm relationes? Si primum, sunt idem, adeòque non habent distinctionem, necessariam ad rationem similitudinis. Si secundùm, sunt dissimiles, quia oppositæ. Ergo nullo modo dicunt ad inuicem similitudinem.

2. Ratio imaginis consistit in imitatione, vt docet diuus Thom. in 1.d. 28. q. 2. ar. 1. vnde dicta est imago quasi imitago. Sed Filius in diuinis non imitatur Patrem, neque Spiritum; non in essentia, in qua sunt vnum, & idem; neque in relatione, in qua discrepant. Ergo neque est imago Patris, neque Spiritus.

3. Quod in diuinis dicitur essentialiter, non dicitur personaliter. Sed ratio imaginis dicitur essentialiter, vt conueniens toti Trinitati, respectu creaturarũ. Ergo non dicitur personaliter, ita vt vna Persona sit imago alterius. Maior patet, quia quod est commuue, non est

proprium. Minor probatur, dicitur 1. Genes. *faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram*. Et infra, *creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum*. Super quem locum Aug. 7. de Trin. sub fin. ait, *faciunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ad imaginem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt subsistat homo imago Dei; Deus autem Trinitas*.

4. Si filius procederet à Patre vt eius imago, etiam Spiritus Sanctus procederet à Patre, & Filio, vt eorum imago. Sed hoc repugnat Athanasio, qui disserens de decretis Nicænæ Synodi sub med. ait, *quandoquidem vnus est Deus, necessarium est quoque, vnam esse Dei imaginem, quæ ipsius est Filius. Siquidem filius Dei (vt ex ipsis scripturis patet) ipse est Dei Verbum, & sapientia, imago, manus, & virtus*, & Riccardo Victorino lib. 6. de Trin. c. 19. ex professo probante oppositum. Ergo Filius non procedit vt Patris imago.

Conclusio, *Filius procedit à Patre, vt perfectissima eius imago*. Eius opposita est vel erronea, vel temeraria.

Probatur 1. Irrefragabili testimonio sacrorum codicum; siquidem dicitur de Verbo æterno Sap. 7. *Speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*. Ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui*. Ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis*. 2. Ad Cor. 4. *Christi, qui est imago Dei*. Ad He-

Hebræos 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*.

2. Ex vnanimi consensu Doctorum, & Patrum, passim appellantium filium imaginem Dei Patris, quorum catalogum recensent moderni authores. Ex quibus instar omnium, sint Augustinus, Ambrosius, & Hylarius, quorum primus lib. 6. de Trin. c. 2. sub med. ait, *non autem Pater, & Filius simul ambo imago; sed solus Filius imago est Patris*. Et secundus lib. de Incar. c. 10. sub med. *filius imago Dei, quia omnia quæ sunt Dei, videntur in filio, idest sempiterna diuinitas, atque maiestas*. Et tertius lib. de synod. super 1. con. Ep. Or. ait, *est ergo Pater, est et Filius, quia imago Patris est Filius*. Iure igitur concludit Carthusianus in 1. d. 28. q. 4. *Doctores, et Sancti Patres concorditer dicunt, Filium propriè, ac solum esse imaginem Patris, immò quòd sit naturalis, perfecta, et vnica Patris imago*. Et deinde loquens de sententia Durandi ait, *videtur non solùm erronea, sed item periculosa*, cui concinunt Zumel, & Molina, quorum primus illam vocat *falsam, et periculosam nimis in fide*: & alter *singularem, et parum consonam scripturis sacris*.

3. Ratione, Ille est imago, cui conueniunt omnes proprietates imaginis. Sed Filio conueniunt omnes proprietates imaginis, respectu Patris. Ergo est imago Patris. Maior, & consequentia sunt euidentes. Minor probatur, ad ratio-

nem imaginis requiritur 1. similitudo. Deinde expressio. Et demum origo, vt fusè prosecuti sumus disp. 4. ar. 1. Sed Filius est similis Patri, quia conuenit cum illo in vnitate eiusdem naturæ. Exprimit Patrem, quia est Verbum, & Filius illius, dicente Ambrosio loco cit. *Solus filius imagò inuisibilis Dei dicitur, quia in eo natura eiusdem vnitas, et eius maiestatis expressio est*. Habet originem ab illo, à quo solo procedit. Ergo habet omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt sit eius imago. Immò quia hæc habet modo perfectissimo, ideo est eius imago perfectissima.

Ad 1. Nego minorem. Quamuis enim filius non habeat mutuam similitudinem cum Patre, quæ verè, propriè, & simpliciter dicitur similitudo, tamen habet similitudinem non mutuam, fundatam in forma accepta ab exemplari, vt docet Suar. lib. 9. de Trin. c. 9. n. 5. per quam ita filius vt imago, est similis Patri, vt Pater tamquàm exemplar, non sit similis filio. Hoc autem est commune cuicumque imagini, vt docet Aug. lib. 6. de Trin. c. 10. sub init. *imago enim si perfectè implet illud, cuius est imago, ipsa coaquatur ei, non illud imagini sua*. Neque enim Cæsar est similis suæ statuæ, sed statua illi assimilatur. Cùm ergo filius sit similis Patri, quatenus exprimit omnia, quæ sunt in Patre, & Pater non sit similis filio, quia non exprimit omnia quæ sunt in filio, ideo filius est ima-

go

go Patris, & non Pater filij.

Ad 2. Nego minorem quoad primam partem; & ad eius probationem dico, filium neque imitari Patrem secundùm essentiam, vt est in se, neque secundùm relationem, vt præcisam ab essentia, sed secundùm vtramque simul, hoc est secundùm essentiam, vt modificatam relatione. Quia ergo essentia, vt modificata paternitate, est essentia vt se communicans: & vt modificata filiatione, est essentia vt communicata, ideo admittit realem distinctionem, sufficientem ad hoc, vt filius per eamdem essentiam, sub tali reduplicatione modificatam, imitetur Patrem, vt habentem eamdem essentiam, sub diuersa reduplicatione modificatam.

Dices, essentia vt modificata paternitate est Pater. Ergo est incommunicabilis, & non communicans.

Nego consequentiam. Quamuis enim Pater non sit communicabilis secundùm paternitatem, per quam formaliter constituitur in esse Patrem, tamen est communicabilis secundùm essentiam, per quam formaliter constituitur in esse Deum. Quia ergo essentiæ communicatio, in via originis, est actio suppositi, ideo essentia ex se non est communicabilis; aliter esset generans, & genita, quod infra videbimus esse falsum. Atque adeo fit communicabilis filio per hoc quòd supponitetur paternitate, nou quod reddat suppositum communicabile, sed

quòd constituat suppositum, per quod ipsa communicetur. Habemus euidentem instantiam in generationibus creatis; nam Petri materia e. g. non est communicabilis Paulo filio per viam seminariam, nisi actuetur forma Petri. Ergo est communicabilis, vt contracta ad formam Petri; & tamen ipsa forma Petri non communicatur, sed constituit suppositum illam communicans. Atque adeo cum dicitur, essentia vt modificata est communicans, seu communicabilis, ly *vt* non reduplicat formam modificantem, sed subiectum, in quo est modificatio, quæ quia distinguuntur virtualiter intrinsecè, ideo potest communicari vnum, & non aliud.

Ad 5. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, in talibus locis confundi imaginem cum exemplari, siue protothypo, de quo hic non loquimur, cùm potius sit imago, ad quam fit imitatio, non autem quæ fit imitatio. Sicut enim diximus in 2. phys. sæpè ab authoribus confundi ideam cum exemplari, ita hìc confunditur exemplar cum imagine.

ARTICVLVS V.

Soluitur postremum argumentum, in quo quæritur, an Spiritus Sanctus sit imago Patris, & Filij?

SAtis communiter cum Thomistis responderur ad 4. negando sequelam ma-

maioris. Et vt propugnent, Spiritum Sanctum non esse imaginem Patris, & Filij; supponunt 1. constitutiuum formale metaphysicum diuinæ essentiæ esse actu intelligere. Vnde inferunt, quòd cùm filius procedat per intellectum, ex vi suæ processionis, accipit naturam diuinam, adeòque procedit vt similis in natura. Contra verò quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, ex vi suæ processionis, non accipit formaliter naturam diuinam, & ideo non procedit vt similis in natura. Cùm ergo ad rationem imaginis requiratur similitudo secundùm naturam, ideo inferunt, Filium procedere vt imaginem, non autem Spiritum Sanctum.

2. Supponunt, Filium procedere, vt Verbum, & Spiritum Sanctum vt amorem. Sed amor non habet esse assimilatiuum, sicut Verbum. Ergo Spiritus non est imago, sicut Filius. Fundant hoc authoritate diui Tho. hic q.35.ar.2. hoc docentis, quod clariùs confirmat in 1.d.28.q.2.art.3.vbi ait, *Filius ex ratione suæ processionis, habet quòd sit imago, et inquantum procedit vt filius, quia filius dicitur ex hoc, quòd habet naturam patris; et inquantum procedit vt Verbũ, quia verbum est quædam similitudo in intellectu ipsius rei intellectæ. Sed Spiritus S. non habet hoc ex ratione suæ processionis, quia procedit vt amor, et ideo sicut non dicitur filius, quamuis accipiat sua processione naturam Patris, ita nec*

quòd constituat suppositum, per quod ipsa communicetur. Habemus euidentem instantiam in generationibus creatis; nam Petri materia e. g. non est communicabilis Paulo filio per viam seminariam, nisi actuetur forma Petri. Ergo est communicabilis, vt contracta ad formam Petri; & tamen ipsa forma Petri non communicatur, sed constituit suppositum illam communicans. Atque adeo cum dicitur, essentia vt modificata est communicans, seu communicabilis, ly *vt* non reduplicat formam modificantem, sed subiectum, in quo est modificatio, quæ quia distinguuntur virtualiter intrinsecè, ideo potest communicari vnum, & non aliud.

Ad 5. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, in talibus locis confundi imaginem cum exemplari, siue prototypo, de quo hic non loquimur, cùm potiùs sit imago, ad quam sit imitatio, non autem quæ sit imitatio. Sicut enim diximus in 2. phys. sæpè ab authoribus confundi ideam cum exemplari, ita hic confunditur exemplar cum imagine.

ARTICVLVS V.

Soluitur postremum argumentum, in quo quæritur, an Spiritus Sanctus sit imago Patris, & Filij?

SAtis communiter cum Thomistis responderur ad 4. negando sequelam ma-

maioris. Et vt propugnent, Spiritum Sanctum non esse imaginem Patris, & Filij; supponunt 1. constitutiuum formale metaphysicum diuinæ essentiæ esse actu intelligere. Vnde inferunt, quòd cùm filius procedat per intellectum, ex vi suæ processionis, accipit naturam diuinam, adeòque procedit vt similis in natura. Contra verò quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, ex vi suæ processionis, non accipit formaliter naturam diuinam, & ideo non procedit vt similis in natura. Cùm ergo ad rationem imaginis requiratur similitudo secundùm naturam, ideo inferunt, Filium procedere vt imaginem, non autem Spiritum Sanctum.

2. Supponunt, Filium procedere, vt Verbum, & Spiritum Sanctum vt amorem. Sed amor non habet esse assimilatiuum, sicut Verbum. Ergo Spiritus non est imago, sicut Filius. Fundant hoc authoritate diui Tho. hic q.35. ar.2. hoc docentis, quod clariùs confirmat in 1.d.28.q.2.art.3. vbi ait, *Filius ex ratione suæ processionis, habet quòd sit imago, et inquantum procedit vt filius, quia filius dicitur ex hoc, quòd habet naturam patris; et inquantum procedit vt Verbũ, quia verbum est quædam similitudo in intellectu ipsius rei intellectæ. Sed Spiritus S. non habet hoc ex ratione suæ processionis, quia procedit vt amor, et ideo sicut non dicitur filius, quamuis accipiat sua processione naturam Patris, ita nec*

imago, quamuis habeat similitudinem ad Patrem. Prò solutione sit.

Conclusio, *Spiritus Sanctus est perfectissima imago Patris, ac filii, non tamen intentionalis, sed naturalis*.

Probatur, & explicatur, imago naturalis est illa, quæ habet in se perfectam similitudinem cũ exemplari, seu prototypo, per hoc quòd fiat ad eius imitationem, vt docent Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Theodos. *cui dubium esse potest, imagines ita per omnia effectas esse oportere, sicut ipsa prototypa?* Et Ambros. de Incarn. cap. 10. sub med. *cur solus filius imago inuisibilis Dei dicitur, nisi quia in eo natura eiusdem vnitas, et eius maiestatis expressio est?* Et infra, *Filius imago Dei, quia omnia quæ sunt Dei, videntur in filio*: Et nos docuimus disp. 4. ar. 1. Imago intentionalis est species impressa, vel expressa, quarum prima continet virtualiter, & secunda formaliter similitudinem exemplaris. Quia ergo Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis formaliter, accipit à Patre, & filio naturam diuinam, vt infra probabimus, ideo procedit vt simillimus in natura, secundùm quam nihil est in vtroque, tamquam in sui prototypo, quòd in se non habeat, & quod non acceperit ex vi suæ processionis, ad imitationem vtriusque, iuxta sensum explicatum ar. 4. Atque adeo est perfectissima vtriusque imago. Quia tamen procedit extra lineam intellectus, secundùm quam habetur similitndo per

mo-

modum speciei, siue impressæ, siue expressæ; ideo non est imago intentionalis, sicut est Filius, qui procedit vt Verbum, sed naturalis, quia procedit vt amor. Et in hoc sensu loquuntur Athan. Basil. Damascen. Greg. Thaumat. Cyrill. & alij, qui vocant Spiritum Sanctum imaginem Filij, vel Patris, & Filij.

Hoc posito, Respondeo ad argumentum vltimum articuli quarti, Distinguẽdo maiorem, Spiritus Sanctus procederet à Patre, & Filio, vt eorum imago naturalis, concedo: intentionalis, nego. Et distinguo minorem, repugnat Athanasio dicere, Spiritum Sanctum imaginem naturalem, nego: intentionalem, concedo minorem. Et nego consequentiam. Quòd autem Athanasius excluserit solùm rationem imaginis intentionalis, patet 1. ex eius verbis allatis ab arguente, *siquidem Filius Dei est Dei Verbum, & sapientia*, quæ non possunt referri ad imaginem naturalem. Deinde quia si exclusisset à Spiritu rationem imaginis, etiam naturalis, sibi contradiceret, cùm sæpe oppositum docuerit, vt ep. ad Serapionem, incipiente *littera*, sub medium. *Quin etiam Filij imago, & est, & dicitur Spiritus; quos enim præcognouit, eos etiam prædestinauit conformes imaginis Filij sui*. Et in alia ep. ad eumd. incipiente *versatus sum*, sub med. *Est autem ipse Spiritus imago Filij. Scriptum est enim quos præsciuit, hos & prædestinauit*

conformes fieri imaginis Filij sui. Quibus verbis præcluditur aditus explicationi Gonettianæ, quòd ly *imaginis Filij* accipiatur intransitiuè prò ipso Filio; siquidem hoc admisso, non potuisset Athanasius hinc deducere, Spiritum esse imaginem Filij, vt patet in vtroque loco cit. Ergo hæc explicatio repugnat Athanasio.

Ad 1. Fundamentum Thomistarum nego suppositum, cuius falsitas apparebit, cum agemus de formali constitutiuo diuinæ essentiæ. Præterquamquòd licèt admittatur suppositum, ex illo non arguitur, nisi Spiritui Sancto deesse rationem imaginis intentionalis, quæ sola attenditur per intellectum, non autem naturalis, quæ non attenditur per talem lineam.

Ad 2. Distinguo minorem, amor non habet esse assimilatiuum, similitudine naturali, consistente in conuenientia prædicatorum essentialium, nego: similitudine intentionali, consistente in repræsentatione, & expressione talium prædicatorum, concedo minorem. Et distinguo consequens, Spiritus non est imago intentionalis, concedo: naturalis, nego consequentiam. Et iuxta hanc distinctionem est exponendus diuus Thomas. Quamuis ergo Spiritus Sanctus, vt vltimus terminus diuinæ fœcunditatis ad intra, non habeat ad intra vim repræsentatiuam, seu expressiuam similitudinis, quam habet cum Patre, & Filio; & ideo

ideo non possit esse imago intentionalis, sicut est Filius, per modum speciei expressæ, quia tamen verè habet in se huiusmodi summam conuenientiam in natura, quam accipit ex vi suæ processionis ideo est vera imago naturalis vtriusque, eo modo, quo Filius in creatis est imago Patris, licèt valde imperfecta, propter similitudinem, quam habet secundùm naturam distinctam.

ARTICVLVS VI.

An Verbum procedat ex cognitione solius diuinæ essentiæ, seclusis personalitatibus?

SCotus in 1.d.1.q.1. ar.2. & d.10. & d. 32 & quodl.14.ar.2. & alibi respondet affirmatiuè. Primò quia Personæ, & omnia relatiua sunt obiectum secundarium diuinæ cognitionis, respectu cuius sola essentia est obiectum primarium, hoc est non solùm terminatiuum, sed etiam motiuum. Sed Verbum per se procedit ex cognitione obiecti primarij, quod priùs cognoscitur, quàm secundarium. Ergo non procedit ex cognitione Personarum, nisi secundariò, & concomitanter, & quasi per accidens, sed ex cognitione solius essentiæ.

2. Verbum non procedit, nisi ex cognitione illius, quod formaliter repræsentat vt imago. Sed non repræsentat formaliter nisi essentiam, vt est formali-

ter imago. Ergo non procedit, nisi ex cognitione essentiæ. Probatur minor, Verbum non repræsentat vt imago, nisi id, ratione cuius est formaliter imago. Sed est formaliter imago Patris ratione essentiæ, secundùm quam est similis Patri, cui non est similis secundùm paternitatem. Ergo repræsentat solam essentiam, exclusis omnibus Personis.

3. Prius est in Patre esse Deum, quàm esse Patrem. Ergo priùs se cognoscit vt Deum, quàm vt Patrem. Sed producit Verbum per primam cognitionem. Ergo producit Verbum per cognitionem, vt terminatam ad solam deitatem, exclusa paternitate. Probatur minor subsumpta, in illo priori, quo se Pater cognoscit vt Deum, nondùm intellecta relatione paternitatis, per talem intellectionem producit terminum ad intra, quod est proprium cuiuscumque intellectionis, vt dictum est in trac. de visione. Ergo producit Verbum.

Conclusio, *Verbum procedit, non solùm ex cognitione essentia diuina, sed etiam ex cognitione totius Trinitatis, et omnium, qua sunt formaliter in ipso Deo.*

Probatur 1. Verbum procedit ex cognitione perfectissima Patris, qua Pater se cognoscit. Non esset autem perfectissima, nisi esset intuitiua, & comprehensiua, cùm intuitiua sit perfectior omni cognitione abstractiua, sicut comprehensiua omni intuitiua. Ergo procedit

ex

ex cognitione comprehensiua, & intuitiua, qua Pater se intuetur, & comprehendit. Sed vt intuitiua, cognoscit se prout est realiter in se; & vt comprehensiua, cognoscit quidquid est realiter in se, non solùm vt est Deus (adeòque cognoscit omnia attributa, & perfectiones absolutas, & actus liberos, realiter cum Deitate identificatos) sed etiam vt est Pater (adeòque cognoscit Filium, vt sui correlatiuum) & vt est spirator, & prima Persona, adeòque cognoscit seipsum, & Spiritum Sanctum, & per consequens totam Trinitatem.

Confirmatur, cognitio intuitiua habet de sua ratione formali intrinseca, & ex suo modo tendendi, vt feratur in obiectum, prout est in se formaliter existens, & subsistens, vt probatum est in tract. de visione. Sed Deus est in se existens realiter, per omnem perfectionem simpliciter simplicem, siue cōstitutiuam, siue attributalem; & est formaliter subsistens per triplex suppositum relatiuum. Ergo cognitio intuitiua Dei, per quam Pater producit Verbum, necessariò cognoscit, non solùm totam diuinam essentiam, cùm omnibus perfectionibus absolutis, quæ in illa sunt, sed etiam omnes, & singulas diuinas Personas, in quibus subsistit, & quibuscum realiter identificatur. Præterea cognitio comprehensiua cognoscit obiectum, quantum cognoscibile est. Ergo cognoscit quidquid est in illo formaliter per iden-

titatem. Quia ergo in Deo non solùm sunt perfectiones absolutæ, & relatiuæ, sed etiam actus liberi, ideo cognitio comprehensiua Patris, per quam generat Filium, extenditur, non solùm ad essentiam, & Personas, sed etiam ad actus liberos.

2. Ita se habet cognitio actualis ad intellectum Patris, in ordine ad productionem Verbi increati, sicut species impressa ad intellectum humanum, in ordine ad producendum verbum creatum. Sicut enim hæc fœcundat intellectum humanum, ita & illa diuinum. Sed species impressa virtualiter repræsentat totum illud, quod formaliter repræsentat expressa per illam producta. Ergo etiam actualis cognitio, per quam fœcundatur intellectus Patris, ad generationem verbi increati, repræsentat totum illud, quod repræsentatur per ipsum Verbum; cum hoc vno discrimine, quòd species impressa, vt realiter distincta, & prior natura verbo creato, solùm virtualiter repræsentat, quæ formaliter repræsentantur à verbo; illa verò cognitio, per quam procedit Verbum æternum, vtpote realiter cum illo identificata, repræsentat formaliter, vt cognitio primordialis, quæ à Verbo tamquam ab imagine repræsentantur. Sed Verbum æternum, vt imago Patris, repræsentat, non solùm eius essentiam, quæ cùm sit cum illo idẽtificata, non potest habere rationem prototypi, seu exemplaris, sed etiam paterni-

nitatem, & totum illud, quod est in Patre, nempe generationem actiuam, & spirationem actiuam, cum suis terminis correlatiuis. Ergo cognitio, per quam procedit, repræsentat hæc omnia.

Ad 1. Distinguo minorem, Verbum per se procedit ex cognitione obiecti primarij, cum exclusione secundarij, nego: cum illius inclusione, concedo minorem, & nego consequentiam. Et ratio est, quia cùm essentia diuina non possit intuitiuè, & comprehensiuè cognosci, nisi cognoscatur secundùm omnia, quæ habet formaliter in se quocumque modo, ideo quia habet etiam formaliter in se, quæ spectant ad rationem obiecti secundarij, cognitio inuitiua, & comprehensiua illius, necessariò, & essentialiter debet ferri etiam ad hæc, quibus non cognitis, hæc cognitio neque esset intuitiua, neque comprehensiua. Quamuis ergo prioritate *à quo* priùs cognoscatur essentia, quàm Personæ, tamquàm id, ex quo concipiuntur emanare personæ, modo supra explicato disp. 5. non tamen priùs prioritate *in quo*, quæ solùm verificaretur, cùm Personæ non essentialiter includerentur in essentia, vel saltem cum illa non necessariò, & essentialiter connecterentur; nam tali posita connexione, omnia simul cognoscuntur, in ratione obiecti terminatiui, licèt differant in ratione obiecti motiui, quod non facit ad rem.

Dices, ergo semper stat, quòd Personæ

næ cognoſcantur per accidens, & concomitanter. Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, cum earum cognitio non eſſet neceſſariò, & eſſentialiter requiſita, ad intuitionem, & comprehenſionem eſſentiæ.

Ad 2. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, imaginem non ſolùm repræſentare id, ratione cuius eſt imago, ſed etiam totum illud, quod eſt cum illo eſſentialiter connexum; aliter non repræſentaret totum exemplar, ſeu prototypum. Quia ergo exemplar eſt Pater, ideo debet repræſentare totum illud, quod eſt realiter Pater, nempe eſſentiam, & paternitatem. Et quia eſſentia eſt realiter etiam Filius, & Spiritus Sãctus, ideo Filius debet procedere vt imago Patris, ex cognitione totius illius, quod eſt realiter eſſentia, nempe totius Trinitatis.

Ad 3. Nego antecedens. Quamuis enim (vt obſeruat diuus Tho: q.33.ar.3. ad 1.) *communia abſolute dicta, ſecundùm ordinem intellectus noſtri, ſint priora, quàm propria*; tamen ſecundùm ſe non habent alium ordinem, quàm originis, qui cùm non detur inter eſſe Deum, & eſſe Patrem, ideo nullo ordine prioritatis vnum eſt prius alio, vt habemus in ſymb. S. Athan. *in Trinitate nihil eſt prius, aut poſterius*. Ergo eodem ſigno rationis, quo Pater ſe cognoſcit vt Deũ, ſimul etiam eadem cognitione ſe cognoſcit vt Patrem. Vnde corruit quod aſſumitur in minori ſubſumpta; neque enim

enim datur illud prius, quod fingitur ab arguente.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OBijcies 4. In illo priori originis, in quo Verbum producitur à Patre, non intelligitur productus Spiritus Sanctus; aliter esset in eodem signo originis cum Verbo, & sic non esset illo posterior secũdùm originem, quòd est hæreticum. Ergo non potest cognosci vt existens. Sed cognitio, per quam producitur Verbum, fertur in solum obiectum, vt existens, aliter non esset intuitiua. Ergo nõ fertur ad Spiritum Sanctum; adeòq; Verbum non procedit ex eius cognitione.

Nego antecedens, eiusque probationẽ. Et ratio est quia cùm prius, & posterius origine sint correlatiua, sunt simul cognitione. Ergo licèt vnum sit ab alio, non tamen cognoscitur post illud, sed simul. Vnde retorquetur argumentum. Sicut enim Filius cognoscitur à Patre in sui cognitione, licèt secundùm originem sit posterior, ita in cognitione Patris, & Filij cognoscitur Spiritus Sanctus, licèt vtroque posterior origine.

Ob. 5. Si Spiritus Sanctus cognosceretur illa cognitione, qua producitur Verbum, Spiritus Sanctus esset principium cõproductiuum Verbi. Sed hoc est erroneũ. Ergo per talẽ cognitionẽ nõ cognoscitur. Probo sequelã, obiectũ cognitio-

nis

nis est principiũ, nõ solùm ipsius cognitionis, sed etiam termini ad intra ipsius cognitionis, nempè verbi.

Nego maiorem, Ad cuius probationem dico, illam valere de obiecto motiuo, & determinatiuo, non autem de obiecto purè terminatiuo. Cùm ergo sola essentia sit obiectum motiuum, & determinatiuum, per modum speciei intelligibilis, & relationes sint solum obiectum purè terminatiuum diuinæ cognitionis, qua Pater producit Verbum, ideo concurrit quidem essentia, vt principium *quo* ad Verbi productionem, non tamen ipsum Verbum, & Spiritus Sanctus.

Dices, paternitas est virtualiter intrinsecè distincta ab essentia, vt probauimus disp. 9. ar. 5. & tamen concurrit vt principium ad generationem Verbi, quatenus concurrit vt obiectum paternæ cognitionis. Ergo hæc ratio non est vera.

Nego antecedens. Et dico, etiam Paternitatem in abstracto esse purum obiectum terminatiuum fæcundæ cognitionis, qua producitur Verbum; adeòque non esse illius principium, vt statuimus disp. 12. ar. 7. Et ratio est, quia etiam paternitas est extra rationem formalem obiecti motiui, & determinatiui diuinarum cognitionum. Cùm enim essentia radicaliter contineat vim, & perfectionem omnium relationum, & personalitatum, est per se sufficiens, & adæquata ratio mouendi, per modum speciei intelligibilis, diuinum intellectum ad quam-

cum-

cumque cognitionem, etiam ipsarum relationum, & personalitatum, quæ proinde non possunt excedere limites obiecti purè terminatiui. In quo comparantur cum rebus creatis, quæ licèt à Deo cognitæ, non tamen concurrunt per modū obiecti, ad diuinam cognitionem, cuius semper est vnum, & idem motiuum, nempe diuina essentia, vt dictum est in tract. de visione.

Ob. 6. Omnis cognitio præsupponit obiectum, ad quod est. Sed est impossibile, quòd Verbi productio præsupponat Verbum; aliter Verbum præsupponeretur ad Verbum. Ergo Verbum non procedit ex cognitione Verbi.

Nego maiorem, si nomen obiecti accipiatur prò termino; siquidem cognitio, etiam creata, non præsupponit verbum, quod producit ad intra, & à quo terminatur. Ergo neque diuina intellectio, qua producitur Verbum æternum, debet illud præsupponere, ita vt ly *præ*, denotet aliquam prioritatem, etiam rationis. Quod si recurratur ad prioritatem originis, iam respondimus, hanc nō tollere, sed trahere simultatem cognitionis. Quòd si ly *præ*, dicat solam necessariam connexionem à priori, denotando prioritatem originis, vera est maior, & falsa minor. Ad cuius probationem nego sequelam. Ex eo enim, quòd cognitio Verbi sit prior origine, quàm Verbum, non sequitur, Verbum esse prius Verbo. Nam (vt docet Caiet. hic

q. 3.

q.34. ar.3.) *Nullum inconueniens est, Verbum procedere ex se ipso, & Spiritu Sancto, vt notis Patri, idest ex notitia, quàm habet Pater de eis; immò hoc est necessarium*, cùm necessarium sit, Verbum procedere à Patre, ex cognitione sui comprehensiua, qua cognoscit se, & Verbum, cum hoc discrimine, quòd se cognoscat vt dicentem, & Verbum vt dictum.

Dices, Terminus cognitionis prius est in se, quàm in cognitione, qua dicitur cognitus. Ergo præsupponitur ad cognitionem, saltem secundùm prioritatem rationis.

Distinguo antecedens, terminus extrinsecus, qui non fit formaliter per ipsã cognitionem, concedo: terminus intrinsecus, qui fit formaliter per ipsam cognitionem, nego antecedens, & consequentiam, sub eadem distinctione. Quia ergo Pater cognitione sua fæcunda, ita intelligit suum Verbum, vt illud intelligendo producat, illi communicando totam, & eamdem essentiam, quam ipse habet, producendo in illa esse personale relatiuum proprium filij, ideo in nullo signo rationis, potest intelligi Verbum, vt cognitum à Patre, quin eodem signo cognoscatur vt productum. Et ratio est, quia cùm in tali Verbo idem formaliter sit produci à Patre, atque intelligi à Patre, fieri non potest, vt intelligi notionaliter, distinguatur à produci. Et in hoc conuenit cum verbo

crea-

creato, cuius productio cùm nihil sit aliud, quàm conceptio, vt diximus in trac. de vis. idem est in illo concipi obiectum, ac verbum produci, quamuis discrepet in multis alijs. Cognitio ergo Patris est quidem via ad Verbum, sed originis, quæ nullam dicit prioritatem rationis. Nam (vt docet Vasquez disp. 142.c.3.sub finem) *intellectio, qua producitur persona, non debet esse prior secundùm rationem, sed tantùm prior origine, quàm sit persona producta. Prioritas autem originis non est prioritas secundùm rationem; cùm ea quæ sunt origine priora aliis, soleant esse simùl ratione cum illis.*

Ob.7. Cognitio intuitiua, vt formaliter distincta ab abstractiua, est de obiecto vt existente. Sed filius non potest cognosci vt existens, ab illa cognitione, per quam producitur. Ergo vel hæc cognitio non est intuitiua, vel non terminatur ad filium, vt obiectum. Primum non potest dici, non solùm quia hæc cognitio esset imperfecta; sed etiam quia est illa eadem, per quam Pater cognoscit essentiam, & se ipsum, quæ est intuitiua. Ergo est verum secundum, quòd ad filium non terminetur, vt ad obiectum.

Nego minorem. Cùm enim hæc cognitio sit productiua Verbi, illud cognoscendo producit, cùm eius cognoscere non sit purè speculatiuum, sed etiam practicum. Sicut ergo Sacerdos in consecratione panis, dicendo *hoc est cor-*

pus,

pus, conuertit panem in corpus Chri
ita cum Pater intelligit Verbum, per
ipsum quòd intelligat, producit V
bum.

Ob 8. Si Verbum procederet ex co
tione sui, & Spiritus Sancti, esset i
go Spiritus Sancti. Consequens est
sum. Ergo & antecedens. Probatur
ior, quia procederet vt illi simile, &
illo expressum, tamquam à sui princi
intentionali.

Nego maiorem; Et dico, ad ration
imaginis non sufficere similitudinem
nam vnum ouum non est imago alteri
neque processionē vt à principio int
tionali, sed processionem realem v
principio reali; quam quia non hal
Verbum à se, & à Spiritu Sancto, id
neutrius est imago. Præterea tàm ipsu
quàm Spiritus non sunt principium
lius cognitionis, qua producitur Ve
bum, cuius sunt solùm termini, *ide*
non sunt exemplar, ad cuius imitatio
nem procedat Verbum. Pater autem e
principium, saltem communicatiuu
illius, & ideo est exemplar, ad cui
imitationem filius producitur, prod
ctione Personalitatis in concreto, qu
proinde est eius imago.



AR-

ARTICVLVS VIII.

An Filius procedat ex cognitione omnium creaturarum possibilium?

Videtur non procedere, vt apertè tuentur Scotus in 2.d.1.q.1.ar.2.Vasquez hic disp.143. Arubal. disp.125.c.5. Alarcon, Albertinus, & alij.

1. Quia si Verbum procederet ex cognitione omnium possibilium, qualibet implicante creatura, Verbum intrinsecè & essentialiter variaretur; adeòque eius æterna generatio haberet essentialem, & necessariam connexionem cum formica vt possibili e.g. Sed hoc est absurdum. Ergo falsum antecedens.

2. Ita se habet cognitio Patris ad generationem Verbi, sicut amor eiusdem ad productionem Spiritus Sancti. Sed amor diuinus non extenditur ad creaturas possibiles, vt est productiuus Spiritus Sancti. Ergo neque cognitio, vt est productiua Verbi.

3. Verbum dicit realem respectum ad id, ex quo procedit, veluti à cognito. Ergo si procederet ex creaturis possibilibus, vt cognitis, diceret ad illas realem respectum, quod communiter vt absurdum negatur.

4. Diuina cognitio producit Verbum, vt terminata ad solam essentiam. Ergo non illud producit, vt terminata ad crea-

turas possibiles. Probatur antecedens, diuina cognitio, vt terminata ad essentiam, est fecunda. Ergo generat.

Conclusio, *Verbum per se procedit ex cognitione omnium creaturarum possibilium*. Est diui Thomæ hic quæst. 34. ar. 1. ad 3.

Probatur 1. cum nostro Egidio in 1. d. 2. princ. 1. q. 1. Verbum procedit ex tota scientia necessaria Patris. Sed hæc terminatur ad omnes creaturas, vt possibiles. Ergo Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum, vt possibilium.

2. Verbum procedit ex cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ. Ergo ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Antecedens patet ex dictis ar. 6. Consequentia probatur, non potest comprehendi diuina essentia, nisi comprehendatur etiam omnipotentia, quæ est eius prædicatum constitutiuum essentiale. Sed omnipotentia comprehendi non potest, nisi clarè, & distinctè cognoscatur totum illud, quod in illa virtualiter continetur, cuiusmodi sunt omnes creaturæ possibiles. Ergo non potest comprehendi diuina essentia, nisi clarè, & distinctè cognoscantur omnes creaturæ possibiles. Iure igitur concludit Egidius in 1. d. 27. q. vlt. *Verbum diuinum ex tota scientia Dei oritur. Vnde quidquid est in Patre, & in scientia Patris, totum est in Verbo.* Rationem desumit ex Aug. qui lib. 15. de Trin. cap. 14. sub init. ait, *seipsum dicens Pa-*

Pater genuit Verbum sibi aquale per omnia; non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius verbo, quam in se ipso.

Ad 1. Nego minorem. Cùm enim rerum possibilitas nihil sit aliud, quàm diuina omnipotentia (vt fusè probatum est in disp. met. lib. 2. disp. 1. per totam) tantum abest, quòd sit absurdum, variari Verbum æternum, per solam impossibilitatem vnius pulicis, vt tota corrueret omnipotentia, adeòque totus Deus, cùm sit impossibile, retineri essentiam, vnico ablato prædicato essentiali. Non solùm ergo Verbi generatio, sed totus Deus habet necessariam, & essentialem connexionem cum possibilitate omnium, & singularum creaturarum, quæ omnes sunt possibiles, per vnam, eamdemque diuinam omnipotentiam.

Dices, ergo ideo Deus est Deus, quia est possibilis formica. Distinguo consequens; si ly *ideo*, dicat rationem causæ formalis adæquatæ, nego: inadæquatæ, concedo consequentiam. Sicut enim ideo est Deus, quia est æternus, immensus &c. ita est Deus, quia est omnipotens. Cùm ergo formica vt possibilis, non reduplicet, nisi possibilitatem, adeòque omnipotentiam, vera est causalis in sensu explicato.

Ad 2. Nego minorem; non quia diuinus amor, vt terminatus ad creaturas possibiles, sit necessarius, & inefficax, per affectum simplicis complacentiæ, & vt ter-

terminatus ad creaturas futuras, sit contingens, & liber, adeòque potuerit non esse, vt docet Fasolus hic q.34. ar.3. dub. 6. ad 5. (Vnde infert, Verbum non procedere ex cognitione creaturarū futurarum.) Sed quia amor Dei debet extendi ad totum illud, quod est bonum ipsi Deo. Cùm ergo sit bonum Dei, quòd omnes, & singulæ creaturæ sint possibiles, & à se producibiles; ideo debet extendi ad possibilitatem omnium, & singularum creaturarum. Quomodo autem dicatur liber, in ordine ad creaturas futuras, videbimus ar. sequenti, vbi fusiùs soluetur argumentum.

Ad 3. Nego antecedens. Primò quia statuimus ar.6. Verbum procedere etiam ex cognitione sui. Ergo diceret realem respectum ad seipsum, quod repugnat. Deinde quia referri ad aliud vt cognitū, est referri ad eius cognitionem, quæ per ly *vt* reduplicatur. Ergo si Verbum referretur realiter ad omnia ea, ex quibus vt cognitis procedit, referretur realiter ad diuinam cognitionem, quæ sibi à Patre communicatur, & quæ est sibi essentialis, quod est impossibile. Vnde sequitur, quòd licèt dicat realem respectum ad id, ex quo procedit, tamquam ex principio productiuo *quod*, sicut est Persona Patris, non tamen illum dicit ad omnia, quæ cognoscuntur cognitione, per quam procedit.

Ad 4. Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, ideo diuinam cognitio-

tio-

tionem, vt terminatam ad essentiam esse fæcundam, quia sub respectu paternitatis, est illius comprehensiua, adeòque terminatur etiam ad omnipotentiam, quæ est rerum possibilitas, & per illam, ad creaturas vt possibiles. Ergo non est fæcunda, vt terminatur ad solam essentiam, cùm sit impossibile, esse illius comprehensiuam, & ad illam solam terminari.

ARTICVLVS IX.

An Filius procedat ex cognitione omnium creaturarum actu existentium, & futurarum?

VIdetur quòd non, vt communiter tenent Thomistæ, quibus adhærent plures recentiores. Primò quia Deus cognoscit futura, & existentia per scientiam visionis, & decretum efficax liberum de illis ponendis. Sed vtrumque est posterius processione Verbi. Ergo hæc non potest per illa haberi. Consequentia est euidens. Maior patet. Minor probatur, quia necessarium præcedit liberum.

2. Processio Verbi est simpliciter, & absolutè necessaria, vt probatum est disp. 18. ar. 10. Ergo non potest essentialiter connecti, cum aliquo essentialiter contingenti; sicut sunt omnia existentia, vel futura extra Deum. Sed cognitio sequitur obiectum. Ergo eorum cognitio est contingens; adeoque non potest ex

illa procedere generatio necessaria, quæ semper esset eadem, licèt nihil esset futurum.

3. Quod est commune Patri, & Filio, non potest secundùm originem præcedere filium. Sed cognitio futurorum, & existentium extra Deum, est communis Patri, & Filio, eò quia sit innixa decreto, quod est commune toti Trinitati. Ergo non potest esse prior origine, quám generatio Filij.

4. Quod non est necessarium ad comprehensionem diuinæ essentiæ, non potest esse necessarium ad generationem Verbi, ad quam artic.6. solam essentiæ comprehensionem adstruximus necessariam. Sed ad comprehensionem essentiæ non requiritur terminatio cognitionis ad existentia, & futura. Ergo hoc non est necessarium ad generationem Verbi. Probatur minor, quia si Deus non decreuisset aliquid extra se facere, adhùc se comprehenderet, licèt nullum futurum cognosceret. Ergo hoc non est necessarium ad comprehensionem diuinæ essentiæ, quæ nullo modo pendere potest ex suppositione aliqua libera, & contingenti, cuiusmodi est diuini decreti, & rerum futuritionis.

5. Si Verbum procederet ex cognitione libera contingentium, etiam Spiritus Sanctus procederet ex amore libero eorùm. Sed hoc est absurdum, quia Spiritus Sanctus esset contingens. Ergo neque Verbum procedit ex scientia libera.

Con-

Conclusio, *Verbum procedit ex cognitione omnium conditionatè futurorum, non tamen ex cognitione absolutè futurorum, seu actu existentium.*

Probatur prima pars, conditionatè futura cognoscuntur à Deo per scientiam mediam, quæ antecedit omne liberum decretum Dei, vt supponunt illam admittentes. Ergo per scientiam omninò necessariam. Sed Verbum procedit per totam scientiam necessariam Patris, vt probauimus ar.8. Ergo procedit etiam per talem scientiam mediam, secundùm quam, conditionatè futura sunt cognoscibilia in eo signo, in quo filius gignitur, quidquid in contrarium enitantur Fasolus, Vasquez, Arubal, & Suarius, aduersùs Molinam, Valentiam, aliosque nobiscum sentientes. An autem sit admittenda hæc scientia in Deo, nec ne, examinabimus in loco. Prònunc loquimur in sententia illam admittentium.

Dices, non potest Deus videre actum contritionis, quem esset Petrus eliciturus in talibus circumstantijs, nisi videat connexionem determinatam, quam habet hic actus cum talibus circumstantijs. Sed hanc connexionem videre non potest, nisi per duplex decretum liberum, quorum primo velit ponere Petrum in talibus circumstantijs, & alio velit cum illo concurrere ad hunc actum. Ergo non potest videre hunc actum, vt conditionatè futurum, nisi per scientiam libe-

ram, & contingentem, ex qua non potest Verbum generari.

Nego minorem. Et ratio est, quia posito illo duplici decreto, actus contritionis Petri non est amplius conditionatè futurus, sed absolutè futurus. Ergo non spectat ad scientiam mediam, sed visionis. Probo sequelam, omne conditionatum, purificata conditione, transit in absolutum. Sed posito illo duplici decreto, purificatur conditio, sub qua est futurus hic actus contritionis. Ergo positis his decretis, hic actus est absolutè futurus. Atque adeo sicut ad hoc vt talis actus sit obiectum simplicis intelligentiæ, debet considerari in statu purè obiectiuo, antecedenti ad omnem futuritionem, siue absolutam, siue conditionatam; ita ad hoc vt sit obiectum sciētiæ mediæ, debet considerari in statu quodam medio, inter purè obiectiuum, & absolutè futurum, qui videlicèt dicat supra primum, actualitatem futuritionis, & infra secundum, dicat hanc actualitatem, quæ de facto non sit extra causas, sed esset, si purificaretur aliqua conditio, sub qua tantùm est futura. Ergo vt obiectum scientiæ mediæ, debet cognosci antecedenter ad omne decretum de illo ponendo, siue immediatum, siue mediatum, vt fusè probabitur in loco.

Probatur secunda pars, Quidquid est absolutè futurum, dicit necessariam, & essentialem dependentiam à decreto Dei de illo ponendo. Sed hoc decretum non po-

potest prouenire, nisi à tota Trinitate, cuius indiuisim sunt omnia opera ad extra. Ergo supponit illam vltimatè perfectam, & constitutam in suo esse completo. Sed hoc non esset, si Verbum procederet ex talium cognitione, cùm sit impossibile, Verbum præsupponi ad id, ex cuius cognitione producitur. Ergo Verbum non procedit ex cognitione absolutè futurorum.

Præterea quod est simpliciter, & absolutè necessarium, non potest procedere ex ijs, quæ faciunt suppositionem omnino contingentem. Sed generatio Verbi est simpliciter, & absolutè necessaria. Ergo non potest procedere ex principio contingenti, cuiusmodi est visio futurorum, quæ saltem potest non esse, secundùm terminationem ad contingentia.

Vnde patet responsio ad prima quattuor argumenta, quæ cùm optimè concludant prò secunda parte conclusionis, illa admittimus vt eius confirmationem. Nihil tamen probant contra primam partem, quæ cùm procedat de scientia necessaria, cuiusmodi est futurorum conditionatè, non infirmant conclusionem.

Ad 5. Nego maiorem. Vel enim procedit de contingentibus vt futuris, vel vt possibilibus? Si primum, cessat ratio comparationis, cùm ex talium cognitione negauerimus Verbum procedere. Si secundum, concedo quidem Verbum

nec notionale, quæ sunt absurda. Neque secundum, quia si gigneret per intelligere proprium, & notionale, ergo vel potentia absoluta non haberet proprium intelligere, & sic esset otiosa in Deo; vel si haberet, & non produceret Verbum, esset sterilis, & infœcunda, quod est absurdum. Quòd si loquamur de ipso intelligere, vt est actus, redit argumentum. Nam vel esset duplex, vel vnum commune? Neutrum dici potest, propter absurda illata. Ergo non potest in Deo admitti intellectus notionalis, vt distinctus ab absoluto, per quem Verbum gignatur.

2. Cuicumque intellectui correspondet suum dicere. Ergo si haberet duos intellectus, haberet duo dicere; atque adeo gigneret duo verba, quod est erroneum.

Conclusio, *Pater producit Verbum per intellectum notionalem, vt virtualiter intrinsecè distinctum ab absoluto*. Ita Henricus 1.p.summæ ar.4.q.3.& 6., quē sequuntur Carthus. in 1.d.24.q.5. & Argent. in 1.d.7.q.1.ar.1.

Probatur 1. Intelligere notionale, vt formaliter distinctum ab intellige absoluto, non potest prouenire ab eodem principio intellectiuo; Aliter cùm principium intellectiuum absolutum sit in omnibus Personis, omnes Personæ haberent intelligere notionale, adeòque producerent Verbum, quod est erroneum. Ergo debet prouenire à principio

pio distincto, cui tale intelligere approprietur. Sed distinctio inter hæc principia non potest esse realis, aliter cùm principium intellectiuum absolutum sit essentia, hæc realiter distingueretur à Patre, vt Verbum producente, quod est hæreticum. Ergo est distinctio rationis, non quidem rationis ratiocinantis, vel ratiocinatæ. Ergo est virtualis intrinseca, vt dictum est in disp. met. lib. 1. disp. 2. ar. 4. in fine. Quòd si comparetur cum voluntate notionali, distinguitur ab illa realiter, propter rationem inibi traditam.

2. Ideo essentia distinguitur virtualiter intrinsecè à proprietatibus personalibus, quia si ad inuicem comparentur, verificant propositiones contradictorias, vt toties alibi probauimus, & præcipuè hìc disp. 9. ar. 5. Sed etiam intellectus absolutus; & notionalis ad inuicem comparati, verificant propositiones contradictorias; nam ille est communis, non dicens, & infęcundus, hic autem proprius, dicens, & fęcundus. Ergo distinguuntur virtualiter intrinsecè.

3. Intellectus notionalis, vt formaliter talis, reduplicat proprietatem Patris, quam non reduplicat absolutus vt talis. Ergo dicit de formali suo constitutiuo formam paternitatis, quam non dicit alius. Sed quæ differunt per aliquam formam, differunt, secundùm distinctionem, importatam à tali forma. Ergo cùm paternitas distinguatur virtualiter in-

turas possibiles. Probatur antecedens, diuina cognitio, vt terminata ad essentiam, est fecunda. Ergo generat.

Conclusio, *Verbum per se procedit ex cognitione omnium creaturarum possibilium*. Est diui Thomæ hic quæst.34. ar. 1.ad 3.

Probatur 1. cum nostro Egidio in 1. d.2.princ.1.q.1. Verbum procedit ex tota scientia necessaria Patris. Sed hæc terminatur ad omnes creaturas, vt possibiles. Ergo Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum, vt possibilium.

2. Verbum procedit ex cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ. Ergo ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Antecedens patet ex dictis ar.6. Consequentia probatur, non potest comprehendi diuina essentia, nisi comprehendatur etiam omnipotentia, quæ est eius prædicatum constitutiuum essentiale. Sed omnipotentia comprehendi non potest, nisi clarè, & distinctè cognoscatur totum illud, quod in illa virtualiter continetur, cuiusmodi sunt omnes creaturæ possibiles. Ergo non potest comprehendi diuina essentia, nisi clarè, & distinctè cognoscantur omnes creaturæ possibiles. Iure igitur concludit Egidius in 1. d. 27. q. vlt. *Verbum diuinum ex tota scientia Dei oritur. Unde quidquid est in Patre, & in scientia Patris, totum est in Verbo.* Rationem desumit ex Aug. qui lib.15.de Trin.cap.14.sub init. ait, *seipsum dicens*

Pa-

Pater genuit Verbum sibi aquale per omnia; non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius verbo, quam in se ipso.

Ad 1. Nego minorem. Cùm enim rerum possibilitas nihil sit aliud, quàm diuina omnipotentia(vt fusè probatum est in disp.met. lib.2. disp.1. per totam)tantum abest, quòd sit absurdum, variari Verbum æternum, per solam impossibilitatem vnius pulicis, vt tota corrueret omnipotentia, adeòque totus Deus, cùm sit impossibile, retineri essentiam, vnico ablato prædicato essentiali. Non solùm ergo Verbi generatio, sed totus Deus habet necessariam, & essentialem connexionem cum possibilitate omnium, & singularum creaturarum, quæ omnes sunt possibiles, per vnam, eandemque diuinam omnipotentiam.

Dices, ergo ideo Deus est Deus, quia est possibilis formica. Distinguo consequens, si ly *ideo*, dicat rationem causæ formalis adæquatæ, nego: inadæquatæ, concedo consequentiam. Sicut enim ideo est Deus, quia est æternus, immensus &c. ita est Deus, quia est omnipotens. Cùm ergo formica vt possibilis, non reduplicet, nisi possibilitatem, adeòque omnipotentiam, vera est causalis in sensu explicato.

Ad 2. Nego minorem; non quia diuinus amor, vt terminatus ad creaturas possibiles, sit necessarius, & inefficax, per affectum simplicis complacentiæ, & vt

terminatus ad creaturas futuras, sit contingens, & liber, adeòque potuerit non esse, vt docet Fasolus hic q.34. ar.3. dub. 6. ad 5. (Vnde infert, Verbum non procedere ex cognitione creaturarũ futurarum.) Sed quia amor Dei debet extendi ad totum illud, quod est bonum ipsi Deo. Cùm ergo sit bonum Dei, quòd omnes, & singulæ creaturæ sint possibiles, & à se producibiles; ideo debet extendi ad possibilitatem omnium, & singularum creaturarum. Quomodo autem dicatur liber, in ordine ad creaturas futuras, videbimus ar. sequenti, vbi fusiùs soluetur argumentum.

Ad 3. Nego antecedens. Primò quia statuimus ar. 6. Verbum procedere etiam ex cognitione sui. Ergo diceret realem respectum ad seipsum, quod repugnat. Deinde quia referri ad aliud vt cognitũ, est referri ad eius cognitionem, quæ per ly *vt* reduplicatur. Ergo si Verbum referretur realiter ad omnia ea, ex quibus vt cognitis procedit, referretur realiter ad diuinam cognitionem, quæ sibi à Patre communicatur, & quæ est sibi essentialis, quod est impossibile. Vnde sequitur, quòd licèt dicat realem respectum ad id, ex quo procedit, tamquam ex principio productiuo *quod*, sicut est Persona Patris, non tamen illum dicit ad omnia, quæ cognoscuntur cognitione, per quam procedit.

Ad 4. Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, ideo diuinam cogni-

tionem, vt terminatam ad essentiam esse fæcundam, quia sub respectu paternitatis, est illius comprehensiua, adeòque terminatur etiam ad omnipotentiam, quæ est rerum possibilitas, & per illam, ad creaturas vt possibiles. Ergo non est fæcunda, vt terminatur ad solam essentiam, cùm sit impossibile, esse illius comprehensiuam, & ad illam solam terminari.

ARTICVLVS IX.

An Filius procedat ex cognitione omnium creaturarum actu existentium, & futurarum?

VIdetur quòd non, vt communiter tenent Thomistæ, quibus adhærent plures recentiores. Primò quia Deus cognoscit futura, & existentia per scientiam visionis, & decretum efficax liberum de illis ponendis. Sed vtrumque est posterius processione Verbi. Ergo hæc non potest per illa haberi. Consequentia est euidens. Maior patet. Minor probatur, quia necessarium præcedit liberum.

2. Processio Verbi est simpliciter, & absolutè necessaria, vt probatum est disp. 18. ar. 10. Ergo non potest essentialiter connecti, cum aliquo essentialiter contingenti, sicut sunt omnia existentia, vel futura extra Deum. Sed cognitio sequitur obiectum. Ergo eorum cognitio est contingens; adeoque non potest ex

illa procedere generatio necessaria, quæ semper esset eadem, licèt nihil esset futurum.

3. Quod est commune Patri, & Filio, non potest secundùm originem præcedere filium. Sed cognitio futurorum, & existentium extra Deum, est communis Patri, & Filio, eò quia sit innixa decreto, quod est commune toti Trinitati. Ergo non potest esse prior origine, quàm generatio Filij.

4. Quod non est necessarium ad comprehensionem diuinæ essentiæ, non potest esse necessarium ad generationem Verbi, ad quam aric. 6. solam essentiæ comprehensionem adstruximus necessariam. Sed ad comprehensionem essentiæ non requiritur terminatio cognitionis ad existentia, & futura. Ergo hoc non est necessarium ad generationem Verbi. Probatur minor, quia si Deus non decreuisset aliquid extra se facere, adhùc se comprehenderet, licèt nullum futurum cognosceret. Ergo hoc non est necessarium ad comprehensionem diuinæ essentiæ, quæ nullo modo pendere potest ex suppositione aliqua libera, & contingenti, cuiusmodi est diuini decreti, & rerum futuritionis.

5. Si Verbum procederet ex cognitione libera contingentium, etiam Spiritus Sanctus procederet ex amore libero eorum. Sed hoc est absurdum, quia Spiritus Sanctus esset contingens. Ergo neque Verbum procedit ex scientia libera.

Con-

Conclusio, *Verbum procedit ex cognitione omnium conditionatè futurorum, non tamen ex cognitione absolutè futurorum, seu actu existentium.*

Probatur prima pars, conditionatè futura cognoscuntur à Deo per scientiam mediam, quæ antecedit omne liberum decretum Dei, vt supponunt illam admittentes. Ergo per scientiam omninò necessariam. Sed Verbum procedit per totam scientiam necessariam Patris, vt probauimus ar.8. Ergo procedit etiam per talem scientiam mediam, secundùm quam, conditionatè futura sunt cognoscibilia in eo signo, in quo filius gignitur, quidquid in contrarium enitantur Fasolus, Vasquez, Arubal, & Suarius, aduersùs Molinam, Valentiam, aliosque nobiscum sentientes. An autem sit admittenda hæc scientia in Deo, nec ne, examinabimus in loco. Prònunc loquimur in sententia illam admittentium.

Dices, non potest Deus videre actum contritionis, quem esset Petrus eliciturus in talibus circumstantijs, nisi videat connexionem determinatam, quam habet hic actus cum talibus circumstantijs. Sed hanc connexionem videre non potest, nisi per duplex decretum liberum, quorum primo velit ponere Petrum in talibus circumstantijs, & alio velit cum illo concurrere ad hunc actum. Ergo non potest videre hunc actum, vt conditionatè futurum, nisi per scientiam libe-

ram, & contingentem, ex qua non potest Verbum generari.

Nego minorem. Et ratio est, quia posito illo duplici decreto, actus contritrionis Petri non est amplius conditionatè futurus, sed absolutè futurus. Ergo non spectat ad scientiam mediam, sed visionis. Probo sequelam, omne conditionatum, purificata conditione, transit in absolutum. Sed posito illo duplici decreto, purificatur conditio, sub qua est futurus hic actus contritionis. Ergo positis his decretis, hic actus est absolutè futurus. Atque adeo sicut ad hoc vt talis actus sit obiectum simplicis intelligentiæ, debet considerari in statu purè obiectiuo, antecedenti ad omnem futuritionem, siue absolutam, siue conditionatam; ita ad hoc vt sit obiectum sciētiæ mediæ, debet considerari in statu quodam medio, inter purè obiectiuum, & absolutè futurum, qui videlicèt dicat supra primum, actualitatem futuritionis, & infra secundum, dicat hanc actualitatem, quæ de facto non sit extra causas, sed esset, si purificaretur aliqua conditio, sub qua tantùm est futura. Ergo vt obiectum scientiæ mediæ, debet cognosci antecedenter ad omne decretum de illo ponendo, siue immediatum, siue mediatum, vt fusè probabitur in loco.

Probatur secunda pars, Quidquid est absolutè futurum, dicit necessariam, & essentialem dependentiam à decreto Dei de illo ponendo. Sed hoc decretum non po-

potest prouenire, nisi à tota Trinitate, cuius indiuisim sunt omnia opera ad extra. Ergo supponit illam vltimatè perfectam, & constitutam in suo esse completo. Sed hoc non esset, si Verbum procederet ex talium cognitione, cùm sit impossibile, Verbum præsupponi ad id, ex cuius cognitione producitur. Ergo Verbum non procedit ex cognitione absolutè futurorum.

Præterea quod est simpliciter, & absolutè necessarium, non potest procedere ex ijs, quæ faciunt suppositionem omnino contingentem. Sed generatio Verbi est simpliciter, & absolutè necessaria. Ergo non potest procedere ex principio contingenti, cuiusmodi est visio futurorum, quæ saltem potest non esse, secundùm terminationem ad contingentia.

Vnde patet responsio ad prima quattuor argumenta, quæ cùm optimè concludant prò secunda parte conclusionis, illa admittimus vt eius confirmationem. Nihil tamen probant contra primam partem; quæ cùm procedat de scientia necessaria, cuiusmodi est futurorum conditionatè, non infirmant conclusionem.

Ad 5. Nego maiorem. Vel enim procedit de contingentibus vt futuris, vel vt possibilibus? Si primum, cessat ratio comparationis, cùm ex talium cognitione negauerimus Verbum procedere. Si secundum, concedo quidem Verbum

procedere ex eorum cognitione, nego tamen, illam esse Deo liberam, cùm statutum fuerit esse necessariam. Ergo quomodocumque sumatur hæc propositio, semper est falsa. Quòd si ordine inuerso proponatur, & ex amore libero creaturarum, fiat illatio ad earum scientiam liberam, vt probetur, Verbum procedere ex cognitione libera futurorum, sicut Spiritus Sanctus procedit ex eorum amore libero; Nego suppositum. Et dico cum Caiet. hìc q.34.ar.3. & Henrico quodl.2.q.3. duplicem dari in Deo amorem creaturarum, alterum liberum, vtpote terminatum ad creaturas, secundùm proprias existentias, vt sunt in se, & alterum naturalem, & necessarium, vtpote terminatum ad creaturas, secundùm earum possibilitatem, sicut diximus dari duplicem scientiam, vnam necessariam, terminatam ad creaturas vt possibiles, & aliam liberam, terminatam ad creaturas vt existentes. Quia ergo admitto solùm, Spiritum Sanctum procedere ex amore necessario, ideo ex vi paritatis non arguitur, nisi Verbum procedere ex scientia naturali, & necessaria, quod non facit prò arguente.



AR-

ARTICVLVS X.

An Verbum procedat à Patre per intellectum notionalem, vt distinctum ab absoluto?

VIdetur non procedere per intellectum notionalem, vt distinctum ab absoluto. Primò quia vel est sermo de ipsa potentia intellectiua, vel de actu intellectionis? Si primum, ergo daretur in Patre duplex potentia intellectiua, nempe absoluta, & notionalis. Vel ergo vtraque esset fœcunda; & sic absoluta produceret Verbum absolutum, & notionalis notionale, quod trahit duplex absurdum, primum quòd detur Verbum absolutum, quod vt tale esset à tota Trinitate, adeoque à Spiritu Sancto, & ab ipso Verbo, quod vt secunda Persona, esset productiuum sui. Et alterum quòd daretur duplex Verbum, quod faceret Personarum quaternitatem, addendo tribus personis relatiuis, quartam absolutam. Vel esset fœcunda sola notionalis; & hæc vel gigneret Verbum per intelligere commune cum absoluta, vel per proprium, & distinctum? Non primum, quia actus communis non ponit distinctionem. Ergo vel vtraque potentia esset fœcunda, vel neutra; & sic vel daretur duplex Verbum, absolutum, & notionale, vel vnum tantùm vtrique correspondens, quod neque sit absolutum,

nec notionale, quæ sunt absurda. Neque secundum, quia si gigneret per intelligere proprium, & notionale, ergo vel potentia absoluta non haberet proprium intelligere, & sic esset otiosa in Deo; vel si haberet, & non produceret Verbum, esset sterilis, & infœcunda, quod est absurdum. Quòd si loquamur de ipso intelligere, vt est actus, redit argumentum. Nam vel esset duplex, vel vnum commune? Neutrum dici potest, propter absurda illata. Ergò non potest in Deo admitti intellectus notionalis, vt distinctus ab absoluto, per quem Verbum gignatur.

2. Cuicumque intellectui correspondet suum dicere. Ergo si haberet duos intellectus, haberet duo dicere; atque adeo gigneret duo verba, quod est erroneum.

Conclusio, *Pater producit Verbum per intellectum notionalem, vt virtualiter intrinsecè distinctum ab absoluto*. Ita Henricus 1.p.summæ ar.4.q.3.& 6., quẽ sequuntur Carthus. in 1.d.24.q.5. & Argent. in 1.d.7.q.1.ar.1.

Probatur 1. Intelligere notionale, vt formaliter distinctum ab intellige.absoluto, non potest prouenire ab eodem principio intellectiuo; Aliter cùm principium intellectiuum absolutum sit in omnibus Personis, omnes Personæ haberent intelligere notionale, adeòque producerent Verbum, quod est erroneum. Ergo debet prouenire à princi-

pio

pio distincto, cui tale intelligere approprietur. Sed distinctio inter hæc principia non potest esse realis, aliter cùm principium intellectiuum absolutum sit essentia, hæc realiter distingueretur à Patre, vt Verbum producente, quod est hæreticum. Ergo est distinctio rationis, non quidem rationis ratiocinantis, vel ratiocinatæ. Ergo est virtualis intrinseca, vt dictum est in disp. met. lib. 1. disp. 2. ar. 4. in fine. Quòd si comparetur cum voluntate notionali, distinguitur ab illa realiter, propter rationem inibi traditam.

2. Ideo essentia distinguitur virtualiter intrinsecè à proprietatibus personalibus, quia si ad inuicem comparentur, verificant propositiones contradictorias, vt toties alibi probauimus, & præcipuè hìc disp. 9. ar. 5. Sed etiam intellectus absolutus; & notionalis ad inuicem comparati, verificant propositiones contradictorias; nam ille est communis, non dicens, & infęcundus, hic autem proprius, dicens, & fęcundus. Ergo distinguuntur virtualiter intrinsecè.

3. Intellectus notionalis, vt formaliter talis, reduplicat proprietatem Patris, quam non reduplicat absolutus vt talis. Ergo dicit de formali suo constitutiuo formam paternitatis, quam non dicit alius. Sed quæ differunt per aliquam formam, differunt, secundùm distinctionem, importatam à tali forma. Ergo cùm paternitas distinguatur virtualiter in-

intrinsecè ab intellectu absoluto, taliter etiam ab illa distinguitur notionalis. Omnia sunt clara, præter minorem subsumptam, quam sic probo. Album vt album, distinguitur realiter à flauo, quia albedo realiter distinguitur à subiecto: quod idem dicò de nigro, calido, &c. Contra verò homo, vt intellectiuus, sola ratione distinguitur ab homine, vt sensitiuo, eò quia esse intellectiuum, vel sensitiuum, quæ reduplicantur, sola ratione ab homine distinguantur. Neque obstat, quòd intellectiuus realiter distinguatur à non intellectiuo, licèt esse intellectiuum non distinguatur realiter à subiecto; siquidem cùm hoc non sit verum, nisi *non intellectiuum*, accipiatur negatiuè (nam in sensu præcisiuo non infert distinctionem realem) hæc distinctio prouenit ex subiecto, & non ex forma. Et ratio est, quia *non intellectiuum*, negatiuè sumptum, dicit negationem potentiæ intellectiuæ, quæ cùm sit contradictoria ipsius potentiæ intellectiuæ, & malignantis naturæ, illam simpliciter negat, & excludit ab omni statu actualitatis, siue intra, siue extra subiectum, vt fusè probauimus in 1. phys. disp. 4. ar. 1. & in disp. met. lib. 3. disp. 1. ar. 3. Ergo quia in nostra sententia, potentia intellectiua non distinguitur à substantia animæ, destructiuum potentiæ intellectiuæ, est destructiuum ipsius animæ, vnde prouenit realis distinctio, nempe animæ à non anima.

Ad 1. Dico, conclusionem procedere, tàm de potentia, quàm de actu. Et proinde admittit in Patre, non solùm duplex intelligere, in linea intellectionis, sed etiam duplicem intellectum, in linea intellectus. Et admisso duplici intellectu, dico solùm notionalem esse fœcundum, & gignere Verbum per proprium intelligere, siue notionale. Ad illationem, quòd absolutus habeat actum sterilem, & infœcundum, admitto sequelam, quæ si esset absurda, etiam intelligere Filij, & Spiritus Sancti producerent sua verba, quod est hæreticum.

Dices, intelligere absolutum in Filio, & Spiritu Sancto non est fœcundum, non quia illi aliquid desit in linea intellectionis, sed quia desit respectus paternitatis, quo modificetur ad esse proprium, & notionale Patris. Ergo in linea intellectionis, sufficit intelligere absolutum.

Nego antecedens. Nam vel intelligere absolutum, vt formaliter intelligere, habet gignere Verbum, vel non? Si primum, ergo in quocumque reperiatur, producit Verbum; adeoque illud producit, etiam vt est in Filio, & Spiritu Sancto. Si secundum, ergo Verbum non producitur in linea intellectionis, sed extra illam, quod redderet probabilem opinionem Durandi, & Gregorij Ariminensis, quam impugnauimus disp. 19. ar. 1. Probo consequentiam, nam intelligere vt formaliter tale, neque esset

prin-

principium formale productionis Verbi, neque formaliter eius actio productiua. Ergo nullo modo concurreret ad eius generationem, cuius principium formale esset sola relatio paternitatis, quæ non est formaliter intelligere. Præterea nulla esset ratio, cur idem intelligere cum vno respectu sit productiuum, & non cum alio. Ergo vel deberent admitti tria Verba, vel nullum, quæ sunt absurda. Hæc autem cessant in nostra sententia, statuente fœcunditatem soli intellectioni notionali, quæ cùm sit in solo Patre, solus Pater producit Verbum.

Vnde patet responsio ad 2. Siquidem cùm dicere sit idem atque proferre, seu producere Verbum, non potest conuenire, nisi intellectui, & intellectioni notionali; & ideo non multiplicatur per intelligere absolutum.

ARTICVLVS XI.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OB. 1. Intelligere, vt est formaliter intelligere, non est notionale. Ergo constituitur in esse formaliter notionale, per annexam relationem paternitatis. Atque adeo qui admittit in Patre duo intelligere, vel debet admittere duos actus essentiales intelligendi, vt ponebat Henricus; vel duos per modum includentis, & inclusi, ita vt essentialis in-

includatur in notionali; & sic erit vnus actus essentialis, cum vno respectu paternitatis.

Nego consequentiam. Sicut enim æternitas, bonitas, immensitas &c. per relationē paternitatis nō fiunt Patri notionales; ita neq; fit notionale intelligere absolutū, quod in quocumq; sit, est semper tale, & nō potest nō esse tale. Cū ergo dicitur intelligere notionale, debet esse sermo de alio intelligere, quod ita sit propriū Patris, vt distinguatur ab alio omnibus cōmuni, quod neq; sit essētiale, vt volebat Hēricus, neq; cōstituatur ex actu essētiali, sed totum sit notionale, in tali linea.

Ob. 2. Actus intelligendi essentialis, in linea intellectionis, est infinitè perfectus, attingens omne cognoscibile, sub omni modo, quo est cognoscibile. Ergo non datur in Deo actus intelligendi notionalis, virtualiter ab illo distinctus; aliter darentur etiam iustitia, misericordia, & aliæ perfectiones notionales, præter essentiales, quod est absurdum.

Nego consequentiam, Primò quia etiam Personalitas Patris, in ratione personandi est infinita, continens in se omnem rationem personandi, & tamen admittit etiam personalitates filij, & Spiritus Sancti. Et deinde quia, in sententia Thomistarum, diuina essentia habet propriam subsistentiam absolutam, & tamen subsistit etiam per relatiuas. Ergo licèt Pater intelligat cum alijs essentialiter, intelligit etiam notionaliter.

Ad

Ad probationem consequentiæ nego sequelam, propter euidentem disparitatem; siquidem perfectiones absolutæ non sunt operatiuæ intra Deum, sicut intellectus, & voluntas. Ergo non debent, sicut hæ, multiplicari.

Dices, productio Verbi, & Spiritus Sancti est actio omnipotentiæ. Ergo etiam perfectiones absolutæ sunt operatiuæ ad intra.

Nego antecedens; aliter cùm omnipotentia sit communis, omnes Personæ generarent, & spirarent, quod est erroneum. Dico igitur, omnipotentiam esse id, per quod tota Trinitas operatur ad extra, eiusque terminum adæquatum esse omnes creaturas possibiles, quas Deus potest facere, vel non facere; adeòque, omnipotentiam non esse, nisi ad intrinsecè, & essentialiter contingentia, cuiusmodi non sunt Personæ productæ, quæ cùm sint Deus, sunt necessariæ in essendo. Ergo tantùm abest, quòd comprehendantur sub obiecto adæquato omnipotentiæ, vt constituant formaliter ipsum omnipotentem, qui est adæquata possibilitas actiua, & actus primus physicus omnium possibilium. Præterquamquòd per omnipotentiam Deus operatur transeunter. Ergo non operatur diuinas Personas, quæ cùm producantur vt Deus, producuntur à principio actiuo, immanenter operante in ipso Deo, cuiusmodi sunt eius intellectus, & voluntas notionales, vt probauimus disp. 5. ar. 3. &

fu-

fusiùs explicabitur, cùm agetur de æqualitate Personarum.

Ob. 3. Intelligere notionale non posset distingui ab essentiali, nisi per annexam relationem Paternitatis. Sed relatio non potest distinguere in linea intellectionis. Ergo in tali linea non potest dari intelligere notionale, virtualiter distinctum ab absoluto. Probatur minor, intelligere est perceptio vitalis obiecti, vt obiectum est. Sed relatio neque est actus vitalis, nec percæptio obiecti, sed est terminus naturæ, constitutiuus Personæ, dicens ordinem ad obiectum, non vt est obiectum, sed vt est eius correlatiuum. Ergo non potest distinguere, & constituere aliquod intelligere, distinctum ab essentiali.

Nego maiorem. Et dico, intelligere notionale distingui ab essentiali per relationem paternitatis, non tamquam per aliquod annexum, quod concipiatur per modum accidentis, siue aduenientis ipsi actui intellectionis essentialis, sed tamquam per formam constituentem, quæ se habeat de primario, & formali conceptu intellectionis notionalis, ita vt hac præcisa, nihil intelligatur remanere de tali intellectione; eo modo quo præciso rationali in homine, nihil hominis intelligitur remanere. Quamuis enim intelligatur remanere animal, secundùm genus, non tamen intelligitur remanere animal in homine, in quo non potest concipi, nisi vt contractum ad rationale.

Di-

Dices, præciso respectu paternitatis in Patre, intelliguntur remanere cum essentia omnes perfectiones absolutæ. Ergo intelligitur remanere intellectio essentialis.

Distinguo consequens, intelligitur remanere intellectionem essentialem, quæ fuit notionalis, nego: quæ fuit semper essentialis, & numquam notionalis, concedo consequentiam. Sicut ergo præciso rationali, remanet quidem animal, non tamen illud quod fuit rationale, sed aliud; ita & in casu nostro. Et ratio est, quia sicut rationale non accidit animali, quod est in homine, sed est in illo per identitatem, non solùm realem, sed etiam virtualem intrinsecam; ita notionalitas non accidit intellectioni fæcundæ Patris æterni, sed cum illa identificatur, etiam virtualiter intrinsecè. Ergo est ab illa impræscindibilis obiectiuè, licèt possit formaliter præscindi, quod non infert, nisi distinctionem rationis raciocinatæ, iuxta sensum à nobis expositum in disp. met. lib. 1. disp. 2. ar. 2.

Ob. 4. Dictum est in tract. de visione, cuicumque mentali conceptioni correspondere terminum intrinsecum, qui est verbum mentis. Ergo si præter intellectionem notionalem, daretur in Patre intellectio absoluta, nulla esset ratio, cur non gigneret suum verbum absolutum. Probatur consequentia, quia in creatis ad multiplicationem intellectionum, mul-

multiplicantur verba. Ergo etiam in diuinis.

Nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, intellectiones creatas, quia sunt semper de genere qualitatis, non posse multiplicari, nisi realiter, per realem successionem vnius post aliam; & ideo quia sunt principia omninò distincta, singula producunt sua verba à se indistincta. At in Deo, quia intellectio absoluta non distinguitur à notionali, nisi ratione, ideo non constituunt duo vera principia, secundùm realitatem. Atque adeo quia Verbum diuinum debet realiter distingui à principio actiuo dicente, non potest esse duplex, sed vnum tantùm. Hinc tamen caueas nè deducas, diuinum Verbum esse terminum vtriusque intellectionis. Sicut enim incarnatio facta est in Persona Verbi, & non in eius natura, licèt hæ sint realiter idem, & solùm virtualiter distinctæ; ita Verbum correspondet soli intellectioni notionali, licèt hæc sit realiter idem cum absoluta, ex vi distinctionis virtualis. Est autem potior ratio prò hac, quàm pro' illa, quia cùm productio Verbi sit actio, debet prouenire à supposito, & non à natura. Quia ergo intellectio absoluta est ab essentia, quæ de se formaliter non est suppositum, ideo non est vera actio, sicut est notionalis, quæ vt formaliter talis, est à supposito Patris.

Ob. 5. Vel vtraque intellectio haberet idem

idem obiectum, vel non? Si primum; ergo non haberent vnde distinguerentur. Si secundum, ergo intellectio, per quam procedit Verbum, non esset omnium perfectissima, quia non cognosceret quod cognoscitur ab alia, adeòque non cognosceret omne cognoscibile, cuius oppositum docuimus ar. 6. & seqq.

Resp. quòd vtraque sit intuitiua, & comprehensiua Dei; & ideo habent idem obiectum, & sunt realiter vna, & idem numero cognitio. Differunt autem in hoc, quòd absoluta respiciat Verbum, vt purum obiectum cognitum; notionalis autem illud respiciat, non solùm vt obiectum cognitum, sed etiam vt terminum suæ fæcunditatis; & ideo distinguuntur virtualiter intrinsecè. Neque est nouum, quòd idem realiter, secundùm diuersam formalitatem virtualem, præstet diuersum effectum formalem. Siquidem eadem Persona Patris, secundùm essentiam conuenit cum filio, à quo discrepat secundùm relationem: & idem Verbum secundùm hypostasim terminat humanitatem, quam non terminat (saltem formaliter) secundùm naturam.

Ob. 6. Diuus Thom. q. 9. de pot. ar. 9. ait, *non est in Deo nisi vnum simplex intelligere, & vnum simplex velle, quia intelligendo essentiam suam, intelligit omnia, & volendo bonitatem suam, vult omnia quæ vult*. Ergo non datur intelli-

li-

ligere notionale, vt virtualiter distinctum ab absoluto. Probatur consequentia, quia absoluta non multiplicantur, propter identitatem cum relatiuis. Vnde infert Gonettus, nullum theologum admittere in Deo intellectum notionalem, vt distinctum ab absoluto; adeòque neque duplex intelligere.


Nego consequentiam. Et dico, diuum Thomam loqui de vnitate, quæ resultat ex identitate reali, non autem de ea, quæ resultat ex identitate virtuali intrinseca. Ad probationem admitto, absoluta non multiplicari per identitatem cum relatiuis; & ideo dixi, intellectum notionalem, vt formaliter talem, non esse aliquod absolutum, vt annexum cum respectiuo, sed esse ex se formaliter talem, quod multiplicat quidem respectiua, nòn tamen absoluta. Ad illationem Gonetti nego suppositum; siquidem (vt ipsemet refert hìc disp.2.n.22.) Henricus, Argentinas, Marsilius, Richardus, & alij apertè sunt in hac opinione, distinguente intelligere notionale ab absoluto, tamquam duos actus intelligendi, in propria linea, quorum vnus nihil producat, & alius gignat Verbum. Vnde intulimus supra, dari etiam duplicem intellectum. His addi possunt Scotus, & Molina; quorum primus in 1. d.2.q.7.§. *Obijcitur*, ait, dicere Patris non esse idem, atque eius intelligere, sed hoc esse actum essentialem, & illud

pro-

productiuum, & notionalem; & alte
27.ar.1. disp.8. memb. 2. ait, hanc o
nionem de duplici actu intellectus
tris, esse veram, & amplectendam. E
hæc opinio non caret propugnatorib
vt somniauit Gonettus; & licèt carer
non caret solidissimis rationibus, quil
nitatur.



DI-



DISPVTATIO XX.

De Generatione Verbi.



STabilita processione Verbi à Patre, agendum superest de eius generatione, cuius quæstionem, vtpotè difficillimam, de industria transtuli ad hunc locum, vt ab alijs appositè secretam, vsque ad vltimas fibras enucleemus. Sed quia hæc materia necessariam habet connexionem cum processione Spiritus Sancti, ideo aliquid etiam cursim de illa agemus, quantum spectat ad comparationem cum ea, de qua agimus. Quæremus ergo 1. an verè in diuinis sit generatio? 2. An possit congruenter indagari eius discrimen à spiratione? 3. Eius discrimen inuestigantes examinabimus theologorum opiniones; & tandem in quo consistat formaliter, exponemus.



ARTICVLVS PRIMVS.

An verè in diuinis sit generatio?

VIdetur non esse, Primò quia (vt vidimus ex 1. de gener.) omnis generatio dicit materiam transeuntem, ex priuatione ad formam, ratione cuius aliter se habeat, ac se habuerit antea. Sed hæc Deo conuenire non possunt, non solùm quia dicunt materiam, sed etiam quia dicunt priuationem antecedentem, & transitum de non esse ad esse. Ergo Deo non conuenit generatio.

2. Terminus generationis, est compositum, cùm forma non sit ex forma, vel materia ex materia, vt inibi probatum est. Ergo cùm in Deum non cadat compositio, neque cadit generatio.

3. Omnis generatio dicit motum ad terminum. Sed motus Deo non conuenit, neque mutatio, cùm eius proprietas sit immobilitas. Ergo neque generatio. Probatur maior ex definitione; nam generatio dicitur *mutatio totius in tòtum, nullo sensibili remanente, &c.*

Pro resolutione aduertendum est, nos hìc nè verbum quidem intermiscere de quæstione *quid sit*, quàm agitabimus infra, sed tantùm sistere in quæstione *an sit*? secundùm quam quærimus, an vna ex duabus diuinis processionibus verè sit, & dicatur generatio, & vtra sit?

Conclusio, *Processio secundæ Personæ à Pri-*

à Prima, vere, & propriè est, & dicitur generatio. Est de fide, si demantur imperfectiones.

Probatur 1. Illa processio est vera generatio, per quam terminus procedit vt genitus, & filius naturalis. Sed processio secundæ Personæ est talis. Ergo est vera generatio. Consequentia est euidens. Maior patet, cùm nihil sit aliud generatio, quàm productio filij, seu geniti. Minor, in qua sola est difficultas, probatur primò ex symbolo S Athanas. *Filius à solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus*. 2. Ex symbolo Niceno, *credo in Iesum Christum filium eius vnigenitum; ex Patre natum ante omnia sæcula, genitum, non factum, &c.* Et ex formula fidei eiusdem Concilij, *credimus in vnum Filium Dei, natum ex Patre vnigenitum*. 3. Et ex symbolo Apost: *credo in Deum Patrem, &c. & in Iesum Christum filium eius vnicum*. 4. Ad Rom.8. *Proprio filio suo non pepercit*. 5. ex 1.Io.5. *Vt simus in vero filio eius*. 6. Ex Euang.eiusd.1 *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris*. 7. Ex Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui*. 8. Ex Conc.Nicæno lib.2. *In beata Trinitate confiteri nos oportet, semper verè Patrem veri filij, & filium verè filium veri Patris*. Et demum ex infinitis alijs locis sacrorum codicum, in quibus passim secunda Persona dicitur genitus, & filius.

2. Ex vnanimi consensu theologorum & Patrum, absque vlla dissensione con-

fitentium, processionem Verbi esse veram generationem. Et inster omnium sint Augustinus, Fulgentius, & Cyrillus, quorum primus ser. 38. de temp. post med. ait, *Patrem dum dicimus, significamus, eum filium genuisse, quia filius propriè de eo genitus dicitur, quia patrem habet, qui eum genuit*. Et secundus in respons. ad 2. Arrian. ait, *quis filium dicat, & genitum nesciat? Quis patrem valeat credere, quem non considerat genuisse? Genuit verè pater, & verè natus est filius*. Et postremus lib. 2. de Trinit. sub in. *propriè certè Deum patrem nominari, & esse affirmauimus, & non ad aliam causam, quàm quod genuerit ex seipso filium. Propriè autem & filium esse, & nominari asserimus, quia natus est ex Deo Patre*.

Neque obstat quòd Basil. lib. 5. aduersùs Eunomium dixerit, *nec filius, nec generatio, deitatis proprium est nomen, sed ex humana similitudine adductum; ex qua etiam Spiritus dictio traducta est*, cui videntur concinere Nazianzenus, & Dyonisius. Nam expresè loquuntur, non de eo, quod significatur per hæc nomina, sed de eo, ad quod significandum, ex vsu, & intentione hominum sunt imposita, vt patet, non solùm ex ijs, quæ in tali loco congerit Basilius, sed, & multò magis ex dictis in tract. de vera fide sub med. *vocabulum patris si eum integra eius significatione, sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo, impiè facimus;*

cimus; quandoquidem vnà cum eo, necessariò simul, & affectio, & defluxio seminis genitiui, & ignorantia, & infirmitas, & talia quæcumque ipso nomine euulgantur. Et rationem à priori affert Damascenus, qui libro 1. fidei post med. ait, *scire oportet, nomen paternitatis, filialitatis, & processionis, non ex nobis ad beatam illam diuinitatem translatum, sed contra inde nobis traductum. Propterea inquit Apostolus, flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas*, hoc est quòd si attendatur præcisè quod verè, & propriè signtficetur per hæc nomina, illud primò, & per se conuenit diuinis, & solùm per quamdam appropriationem transfertur ad creata, quamuis si attendatur id, quod intenderunt significare talium nominum impositores, oppositum accidat. Neque enim est nouum in scholis, quòd voces vnum significent, & ad aliud significandum fuerint impositæ. Egregiè igitur diuus Thom. hic q. 33. ar. 2. ad 4. docet, *generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati. Et quantò hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior, & perfectior est generatio, sicut generatio vniuoca est perfectior non vniuoca. Nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundùm formam. Vnde hoc ipsum, quòd in generatione diuina est eadem numero forma generantis, & geniti, in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantùm, ideo generatio, &*

per consequens paternitas per prius est in Deo, quàm in creaturis.

3. Ratione, illi processioni, verè, & propriè conuenit nomen generationis, de qua verè, & propriè verificatur illius definitio. Sed de processione Verbi verificatur definitio generationis, quòd sit *origo viuentis à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ*; nam tàm Pater, quàm Filius sunt viuentes, vt dicitur Io. 5. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso*. Habent principium coniunctum, quia habent communem essentiam. Demum filius procedit in similitudinem naturæ, quia ex vi processionis formaliter, accipit à Patre, non solùm similem, sed eamdem numero naturam Patris. Ergo processio Verbi est verè, ac propriè generatio, vt meliùs infra patebit.

Ad 1. Nego maiorem. Quamuis enim illa verificentur de generatione corruptibilium, non tamen verificantur de generatione Filij Dei, vt egregiè probant Thomas 1. p. q. 27. ar. 2. & Egid. in 1. d. 4. princ. 1. q. 1. & alij communiter theologi. Et ideo addidi in conclusione, *demptis imperfectionibus*, quia (vt obseruat Egid. loc. cit.) in diuinis ponimus speciem sine genere, *vt sapientia, quæ videtur esse species qualitatis, in Deo ponitur sine qualitate*. Et ratio à priori est, quia omnis ratio generica essentialiter importat in sua ratione formali potentiali-

ta-

tatem, quæ Deo conuenire non potest. Atque adeo licèt generatio secundum genus dicat motum, materialitatem, corruptibilitatem, nouitatem, compositionem, dependentiam, naturarum distinctionem, passionem, &c. non tamen hæc importantur à generatione Verbi, quæ non potest esse, vel intelligi, nisi vt contracta ad rationem diuinitatis, per quam contractionem excluduntur ab illa omnes imperfectiones, quæ solùm illi conueniunt ratione generis.

Ad 2. Patet responsio ex dictis; siquidem compositum cùm sit intrinsecè corruptibile, non potest terminare, nisi generationem essentialiter contingentem, cuiusmodi non est generatio æterna diuini Verbi.

Ad 3. Nego maiorem. Et dico, illam definitionem conuenire generationi corruptibilium, quam solùm æthnici cognouere. Vt autem contractam ad generationem viuentium, etiam ipsi illam aliter tradidere; nam 7. met. c. 8. dicitur *origo viuentis à viuente* &c. vt diximus in 3. probat. conclusionis. Illud ergo quod essentialiter constituit generationem viuentium, non sunt motus, materia, &c. sed alia tria, quorum primum est, quòd sit *viuentis à viuente*, per cuius defectum Adam non fuit genitus, sed creatus, quia factus est ex luto non viuente. Secundum, quòd sit *à principio coniuncto*, ob cuius defectum Eua non fuit genita ab Adam, licèt ex eius costa

facta fuerit, quia non fuit facta per coniunctionem Adami, qui neque in se, neque in semine coniunctus est Euæ; neque enim illa costa fuit destinata à natura ad productionem Euæ, cum vehementi inclinatione, quod est necessarium ad rationem seminis, vt dictum est in 1. de an. Tertium, quòd sit in similitudinem naturæ, ob cuius defectum, vermes qui nascuntur ex animalibus, non dicuntur eorum geniti, & filij, licèt habeant similitudinem secundum genus. Hæc autem omnia verificantur de processione filij æterni, vt nuper probatum est in arg. 3. Ergo hæc est verissima generatio, licèt neque sit motus, neque mutatio.

ARTICVLVS II.

An possit congruenter indagari discrimen inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti?

VIdetur non posse, Primò quia quod non est reuelatum in sacris paginis, de altissimo Trinitatis mysterio, explicari non potest. Sed in sacris paginis habemus quidem, dari in diuinis generationem Filij Dei ab æterno Patre; quid autem illa sit, non habemus. Ergo possumus illam credere per fidem, non tamen theologicis rationibus inuestigare. Consequentia est euidens. Maior patet ex dictis disp. 1. Minor probatur mul-

multiplici testimonio Doctorum, & Patrum, quorum primus sit Hylarius, qui lib. 2. de Trinit. sub init. ait, *si quis fortè intelligentiæ suæ imputabit, generationis huius sacramentum se non posse consequi, maiore hoc dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen; Archangeli nesciunt; Angeli non audierunt, sæcula non tenent; propheta non sentit; Apostolus non interrogauit; filius ipse non edidit.* 2. Irenæus lib. 2. c. 48. sub med. *inenarrabilis itaque generatio eius cùm sit, quicumque nituntur enarrare, non sunt compotes sui.* 3. Nazianzenus or. 5. con. aduer. Sp. Sancti, *tu rationem ingeniti Patris mihi explicas, & ego vicissim tibi filij generationem, velut naturæ eius interpres expediam, & Spiritus processionem aperiam, vt ambo insaniamus.* 4. Basil. homil. 25. de gener. Christi sub init. *Fateor indeprensum, ac verbis humanis inenarrabilem diuinæ generationis modum.* S. Chrysostomus hom. 2. in ep. ad Heb sub init. *Erubescant, & confundantur, qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur.* 6. Augustinus tract. 99. in Io. sub med. *Quid autem illic intersit inter procedere, & nasci, & longum est quærendo disserere, & temerarium cùm disserueris definire.* 7. Magister in 1. d. 13. litt. C. init. *Inter generationem filij, & processionem Spiritus Sancti, dum hic viuimus, distinguere non sufficimus.* 8. Gregorius Arim. ibid.

q. vn. *Differentiam spirationis à generatione, in vita ista per tales, quales nos sumus, explicari reputo impossibile*. Cui concinit ibid. Okamus q. vn. litt. H. *plenè distinguere inter illas processiones non est nobis possibile pro isto statu*. Et similia ferè inueniūtur penès omnes alios, quibus moti Patres Concilij Nicæni lib. 4. in formula fidei sub med. vnanimiter asserunt, *modus eius generationis à nulla mortali natura, vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi potest*.

2. Omnia ea, quæ conueniunt processioni Verbi à Patre, conueniunt etiam processioni Spiritus à Patre, & filio; nam vterque procedit vt viuens à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ. Ergo vel vtraque processio est generatio, vel neutra.

Conclusio, *Dependenter à lumine fidei, congruenter, & laudabiliter possumus inuestigare hoc discrimen, & assignare sufficientem, & probabilem rationem, cur vna processio sit generatio, & non alia*.

Probatur prima pars, primò ex infinita (vt ita dicam) multitudine theologorum, de facto huiusmodi discrimen inuestigantium, quorum labor, non sine laude, recipitur ab Ecclesia. Sed hoc non esset, si talis inuestigatio esset imprudens, & temeraria. Ergo pium, & commendabile est, cum humili subiectione ad fidei ductum, congruentes rationes inuestigare, ad hoc vt huius altis-

simi

ſimi myſterij veritas ſuauiter credibilis, & ſufficienter intelligibilis reddatur.

2. Iactis principijs fidei, de Perſonarum numero, & dignitate poſſumus laudabiliter ingenium inflammare, ad aſſignandas congruentes rationes, quibus oſtendatur, non ſolùm probabilitas talis numeri diuinarum Perſonarum, ſed etiam neceſſitas, eiuſque radicem ex originum natura, oppoſitione, & merito rimari. Ergo etiam ſuppoſito ex fide, quòd proceſſio ſecundæ Perſonæ, & non tertiæ ſit generatio, poſſumus ad fidei confirmationem, diſcriminis rationem inueſtigare. Immò Ioannes Maior in 1. d.13.q.vn.ſub med.putat indignum theologo, nullum conatum adhibere, ad huiuſmodi diſcrimen inueſtigandum, *turpe enim eſt* (ait ille) *theologo materiã tractanti, nihil penitus diſcriminis dare*; perinde quaſi vel Deus nobis credenda proponat impoſſibilia, vel eorum ſublimitatem deſides negligamus. Et Aug. 9 de Trin. c. 12. ait, *hæc quæſtio ſolet mouere homines, quos veritas Dei per humanam locutionem inuitat ad fidem. Cur non Spiritus quoque Sanctus à Patre Deo genitus vel credatur, vel intelligatur, vt filius etiam ipſe dicatur. Quod nunc vtcumque inueſtigare conamur.*

3. Ex diuerſitate principij, vel termini, vel modi procedendi oritur diuerſitas ipſius proceſſionis. Ergo cùm per fidem habeamus diuerſitatem talium terminorum, poſſumus rationibus inde

G 6 con-

congruenter deductis, apposite inferre diuersitatem talium processionum.

Probatur secunda pars, ex principijs essentialiter obscuris, non potest deduci, nisi consequentia sufficiens, & probabilis. Sed principia, vnde eruitur hoc discrimen, non cognoscuntur, nisi per fidem essentialiter obscuram. Ergo non potest hoc probari, nisi per consequentias obscuras, nempe nixas rationibus, sufficientibus quidem, non tamen euidentibus, sed probabilibus. Et ideo dicitur Isaiæ 53. *generationem eius quis enarrabit?* hoc est quis poterit claris, & euidentibus rationibus explicare? Quia Ergo rationes afferendæ, debent esse pedis se quæ fidei, ideo non possunt concludere, nisi obscurè, & probabiliter.

Ad 1. Nego minorem. Quamuis enim in sacris paginis non habeamus claram, & explicitam notitiam talis arcani, quoad eius modum, quia tamen habemus quoad substantiam illius, ideo habemus etiam implicitam quoad modum, qui proinde potest dici simpliciter reuelatus. Noluit autem Deus hoc explicitè reuelare, vt nobis relinqueret meritum humilitatis, & fidei, vt obseruat Bellarminus, qui lib. 2. de Christo c. 14. ait, *Spiritus Sanctus producitur similis in essentia Patri, & Filio, nec tamen est filius; cuius rei causa non est vsque adeo certa; scriptura siquidem rem docuit, causam tacuit, non in hac re solum, sed in multis*

etiam

etiam alijs, vt semper nos exerceat, & humiles discipulos habeat. Ad probationem dico, authores allatos esse exponendos, vel de reuelatione explicita, quoad generationis modum, vel de rationibus purè philosophicis, secundùm quas est semper innenarabilis hæc veritas. Et ideo Fulgentius in resp. ad 2. arg. Arrian. ait, *Filij generatio inenarrabilis est, ignorabilis non est*, hoc est enarrari non potest, vocibus desumptis ex lumine naturali, potest nihilominus cognosci per lumen deriuans ex fidei candelabro. Illi autem, qui dicunt, hanc veritatem in hac vita teneri non posse, loquuntur de tentione cognitionis claræ, seu intuitiuæ, quam hic habere non possumus, non autem de cognitione probabili à nobis afferta. Iure igitur concludit Dyonisius c. 1. de diu. nom. *de supersubstantiali, secretissimaq; deitate, neque dicere quidquam, neque cogitare præsumendum est, aliter quàm sacra eloquia piè, admodumque castè nobis tradiderunt*.

Ad 2. Nego antecedens, propter rationem infra afferendam, cum afferemus discrimen vnius processionis ab alia.



AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An verè in diuinis sit generatio?

VIdetur non esse, Primò quia (vt vidimus ex 1. de gener.) omnis generatio dicit materiam transeuntem, ex priuatione ad formam, ratione cuius aliter se habeat, ac se habuerit antea. Sed hæc Deo conuenire non possunt, non solùm quia dicunt materiam, sed etiam quia dicunt priuationem antecedentem, & transitum de non esse ad esse. Ergo Deo non conuenit generatio.

2. Terminus generationis, est compositum, cùm forma non sit ex forma, vel materia ex materia, vt inibi probatum est. Ergo cùm in Deum non cadat compositio, neque cadit generatio.

3. Omnis generatio dicit motum ad terminum. Sed motus Deo non conuenit, neque mutatio, cùm eius proprietas sit immobilitas. Ergo neque generatio. Probatur maior ex definitione; nam generatio dicitur *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, &c.*

Pro resolutione aduertendum est, nos hìc nè verbum quidem intermiscere de quæstione *quid sit*, quàm agitabimus infra, sed tantùm sistere in quæstione *an sit*? secundùm quam quærimus, an vna ex duabus diuinis processionibus verè sit, & dicatur generatio, & vtra sit?

Conclusio, *Processio secundæ Personæ à Pri-*

à Prima, vere, & propriè est, & dicitur generatio. Est de fide, si demantur imperfectiones.

Probatur 1. Illa processio est vera generatio, per quam terminus procedit vt genitus, & filius naturalis. Sed processio secundæ Personæ est talis. Ergo est vera generatio. Consequentia est euidens. Maior patet, cùm nihil sit aliud generatio, quàm productio filij, seu geniti. Minor, in qua sola est difficultas, probatur primò ex symbolo S Athanas. *Filius à solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus.* 2. Ex symbolo Niceno, *credo in Iesum Christum filium eius vnigenitum; ex Patre natum ante omnia sæcula, genitum, non factum, &c.* Et ex formula fidei eiusdem Concilij, *credimus in vnum Filium Dei, natum ex Patre vnigenitum.* 3. Et ex symbolo Apost: *credo in Deum Patrem, &c. & in Iesum Christum filium eius vnicum.* 4. Ad Rom.8. *Proprio filio suo non pepercit.* 5. ex 1.Io.5. *Vt simus in vero filio eius.* 6. Ex Euang.eiusd.1 *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris.* 7. Ex Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* 8. Ex Conc.Nicæno lib.2. *In beata Trinitate confiteri nos oportet, semper verè Patrem veri filij, & filium verè filium veri Patris.* Et demum ex infinitis alijs locis sacrorum codicum, in quibus passim secunda Persona dicitur genitus, & filius.

2. Ex vnanimi consensu theologorum & Patrum, absque vlla dissensione con-

 fiten-

fitentium, processionem Verbi esse veram generationem. Et inster omnium sint Augustinus, Fulgentius, & Cyrillus, quorum primus ser. 38. de temp. post med. ait, *Patrem dum dicimus, significamus, eum filium genuisse, quia filius propriè de eo genitus dicitur, quia patrem habet, qui eum genuit*. Et secundus in respons. ad 2. Arrian. ait, *quis filium dicat, & genitum nesciat? Quis patrem valeat credere, quem non considerat genuisse? Genuit verè pater, & verè natus est filius*. Et postremus lib. 2. de Trinit. sub in. *propriè certè Deum patrem nominari, & esse affirmamus, & non ad aliam causam, quàm quod genuerit ex seipso filium. Propriè autem & filium esse, & nominari asserimus, quia natus est ex Deo Patre*.

Neque obstat quòd Basil. lib. 5. aduersùs Eunomium dixerit, *nec filius, nec generatio, deitatis proprium est nomen, sed ex humana similitudine adductum; ex qua etiam Spiritus dictio traducta est*, cui videntur concinere Nazianzenus, & Dyonisius. Nam expresè loquuntur, non de eo, quod significatur per hæc nomina, sed de eo, ad quod significandum, ex vsu, & intentione hominum sunt imposita, vt patet, non solùm ex ijs, quæ in tali loco congerit Basilius, sed, & multò magis ex dictis in tract. de vera fide sub med. *vocabulum patris si eum integra eius significatione, sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo, impiè facimus;*

cimus; quandoquidem vnà cum eo, necessario simul, & affectio, & defluxio seminis genitiui, & ignorantia, & infirmitas, & talia quacumque ipso nomine euulgantur. Et rationem à priori affert Damascenus, qui libro 1. fidei post med. ait, *scire oportet, nomen paternitatis, filialitatis, & processionis, non ex nobis ad beatam illam diuinitatem translatum, sed contra inde nobis traductum. Propterea inquit Apostolus, flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas,* hoc est quòd si attendatur præcisè quod verè, & propriè signficetur per hæc nomina, illud primò, & per se conuenit diuinis, & solùm per quamdam appropriationem transfertur ad creata, quamuis si attendatur id, quod intenderunt significare talium nominum impositores, oppositum accidat. Neque enim est nouum in scholis, quòd voces vnum significent, & ad aliud significandum fuerint impositæ. Egregiè igitur diuus Thom. hic q. 33. ar. 2. ad 4. docet, *generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati. Et quantò hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior, & perfectior est generatio, sicut generatio vniuoca est perfectior non vniuoca. Nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundùm formam. Vnde hoc ipsum, quòd in generatione diuina est eadem numero forma generantis, & geniti, in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantùm, ideo generatio, &*

perconsequens paternitas per prius est in Deo, quam in creaturis.

3. Ratione, illi processioni, verè, & propriè conuenit nomen generationis, de qua verè, & propriè verificatur illius definitio. Sed de processione Verbi verificatur definitio generationis, quòd sit *origo viuentis à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ*; nam tàm Pater, quàm Filius sunt viuentes, vt dicitur Io.5. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso*. Habent principium coniunctum, quia habent communem essentiam. Demum filius procedit in similitudinem naturæ, quia ex vi processionis formaliter, accipit à Patre, non solùm similem, sed eamdem numero naturam Patris. Ergo processio Verbi est verè, ac propriè generatio, vt meliùs infra patebit.

Ad 1. Nego maiorem. Quamuis enim illa verificentur de generatione corruptibilium, non tamen verificantur de generatione Filij Dei, vt egregiè probant Thomas 1.p.q.27.ar.2.& Egid. in 1. d. 4. princ. 1.q.1. & alij communiter theologi. Et ideo addidi in conclusione, *demptis imperfectionibus*, quia (vt obseruat Egid. loc.cit.) in diuinis ponimus speciem sine genere, *vt sapientia, quæ videtur esse species qualitatis, in Deo ponitur sine qualitate*. Et ratio à priori est, quia omnis ratio generica essentialiter importat in sua ratione formali potentiali-

ta-

tatem, quæ Deo conuenire non poteſt. Atque adeo licèt generatio ſecundum genus dicat motum, materialitatem, corruptibilitatem, nouitatem, compoſitionem, dependentiam, naturarum diſtinctionem, paſſionem, &c. non tamen hæc importantur à generatione Verbi, quæ non poteſt eſſe, vel intelligi, niſi vt contracta ad rationem diuinitatis, per quam contractionem excluduntur ab illa omnes imperfectiones, quæ ſolùm illi conueniunt ratione generis.

Ad 2. Patet reſponſio ex dictis; ſiquidem compoſitum cùm ſit intrinſecè corruptibile, non poteſt terminare, niſi generationem eſſentialiter contingentem, cuiuſmodi non eſt generatio æterna diuini Verbi.

Ad 3. Nego maiorem. Et dico, illam definitionem conuenire generationi corruptibilium, quam ſolùm æthnici cognouere. Vt autem contractam ad generationem viuentium, etiam ipſi illam aliter tradidere; nam 7. met. c.8. dicitur *origo viuentis à viuente* &c. vt diximus in 3. probat. concluſionis. Illud ergo quod eſſentialiter conſtituit generationem viuentium, non ſunt motus, materia, &c. ſed alia tria, quorum primum eſt, quòd ſit *viuentis à viuente*, per cuius defectum Adam non fuit genitus, ſed creatus, quia factus eſt ex luto non viuente. Secundum, quòd ſit *à principio coniuncto*, ob cuius defectum Eua non fuit genita ab Adam, licèt ex eius coſtâ

facta fuerit, quia non fuit facta per coniunctionem Adami, qui neque in se, neque in semine coniunctus est Euæ; neque enim illa costa fuit destinata à natura ad productionem Euæ, cum vehementi inclinatione, quod est necessarium ad rationem seminis, vt dictum est in 1. de an. Tertium, quòd sit in similitudinem naturæ, ob cuius defectum, vermes qui nascuntur ex animalibus, non dicuntur eorum geniti, & filij, licèt habeant similitudinem secundum genus. Hæc autem omnia verificantur de processione filij æterni, vt nuper probatum est in arg. 3. Ergo hæc est verissima generatio, licèt neque sit motus, neque mutatio.

ARTICVLVS II.

An possit congruenter indagari discrimen inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti?

VIdetur non posse, Primò quia quod non est reuelatum in sacris paginis, de altissimo Trinitatis mysterio, explicari non potest. Sed in sacris paginis habemus quidem, dari in diuinis generationem Filij Dei ab æterno Patre; quid autem illa sit, non habemus. Ergo possumus illam credere per fidem, non tamen theologicis rationibus inuestigare. Consequentia est euidens. Maior patet ex dictis disp. 1. Minor probatur mul-

multiplici testimonio Doctorum, & Patrum, quorum primus sit Hylarius, qui lib. 2. de Trinit. sub init. ait, *si quis fortè intelligentia sua imputabit, generationis huius sacramentum se non posse consequi, maiore hoc dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen; Archangeli nesciunt; Angeli non audierunt, sacula non tenent; propheta non sentit; Apostolus non interrogauit; filius ipse non edidit.* 2. Irenæus lib. 2. c. 48. sub med. *inenarrabilis itaque generatio eius cùm sit, quicumque nituntur enarrare, non sunt compotes sui.* 3. Nazianzenus or. 5. con. aduer. Sp. Sancti, *tu rationem ingeniti Patris mihi explicas, & ego vicissim tibi filij generationem, velut natura eius interpres expediam, & Spiritus processionem aperiam, vt ambo insaniamus.* 4. Basil. homil. 25. de gener. Christi sub init. *Fateor indeprensum, ac verbis humanis inenarrabilem diuina generationis modum.* S. Chrysostomus hom. 2. in ep. ad Heb sub init. *Erubescant, & confundantur, qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur.* 6. Augustinus tract. 99. in Io. sub med. *Quid autem illic intersit inter procedere, & nasci, & longum est quærendo disserere, & temerarium cùm disserueris definire.* 7. Magister in 1. d. 13. litt. C. init. *Inter generationem filij, & processionem Spiritus Sancti, dum hic viuimus, distinguere non sufficimus.* 8, Gregorius Arim. ibid.

q. vn. *Differentiam spirationis à generatione, in vita ista per tales, quales nos sumus, explicari reputo impossibile.* Cui concinit ibid. Okamus q. vn. litt. H. *plenè distinguere inter illas processiones non est nobis possibile pro isto statu.* Et similia ferè inueniũtur penès omnes alios, quibus moti Patres Concilij Nicæni lib. 4. in formula fidei sub med. vnanimiter asserunt, *modus eius generationis à nulla mortali natura, vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi potest.*

2. Omnia ea, quæ conueniunt processioni Verbi à Patre, conueniunt etiam processioni Spiritus à Patre, & filio; nam vterque procedit vt viuens à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ. Ergo vel vtraque processio est generatio, vel neutra.

Conclusio, *Dependenter à lumine fidei, congruenter, & laudabiliter possumus inuestigare hoc discrimen, & assignare sufficientem, & probabilem rationem, cur vna processio sit generatio, & non alia.*

Probaur prima pars, primò ex infinita (vt ita dicam) multitudine theologorum, de facto huiusmodi discrimen inuestigantium, quorum labor, non sine laude, recipitur ab Ecclesia. Sed hoc non esset, si talis inuestigatio esset imprudens, & temeraria. Ergo pium, & commendabile est, cum humili subiectione ad fidei ductum, congruentes rationes inuestigare, ad hoc vt huius altissimi-

simi mysterij veritas suauiter credibilis, & sufficienter intelligibilis reddatur.

2. Iactis principijs fidei, de Personarum numero, & dignitate possumus laudabiliter ingenium inflammare, ad assignandas congruentes rationes, quibus ostendatur, non solùm probabilitas talis numeri diuinarum Personarum, sed etiam necessitas, eiusque radicem ex originum natura, oppositione, & merito rimari. Ergo etiam supposito ex fide, quòd processio secundæ Personæ, & non tertiæ sit generatio, possumus ad fidei confirmationem, discriminis rationem inuestigare. Immò Ioannes Maior in 1. d.13.q.vn.sub med.putat indignum theologo, nullum conatum adhibere, ad huiusmodi discrimen inuestigandum, *turpe enim est* (ait ille) *theologo materiā tractanti, nihil penitùs discriminis dare*; perinde quasi vel Deus nobis credenda proponat impossibilia, vel eorum sublimitatem desides negligamus. Et Aug.9 de Trin.c.12. ait, *hæc quæstio solet mouere homines, quos veritas Dei per humanam locutionem inuitat ad fidem. Cur non Spiritus quoque Sanctus à Patre Deo genitus vel credatur, vel intelligatur, vt filius etiam ipse dicatur. Quod nunc vtcumque inuestigare conamur.*

3. Ex diuersitate principij, vel termini, vel modi procedendi oritur diuersitas ipsius processionis. Ergo cùm per fidem habeamus diuersitatem talium terminorum, possumus rationibus inde

etiam alijs, vt semper nos exerceat, & humiles discipulos habeat. Ad probationem dico, authores allatos esse exponendos, vel de reuelatione explicita, quoad generationis modum, vel de rationibus purè philosophicis, secundùm quas est semper innenarabilis hæc veritas. Et ideo Fulgentius in resp. ad 2. arg. Arrian. ait, *Filij generatio inenarrabilis est, ignorabilis non est*, hoc est enarrari non potest, vocibus desumptis ex lumine naturali, potest nihilominus cognosci per lumen deriuans ex fidei candelabro. Illi autem, qui dicunt, hanc veritatem in hac vita teneri non posse, loquuntur de tentione cognitionis claræ, seu intuitiuæ, quam hic habere non possumus, non autem de cognitione probabili à nobis afferta. Iure igitur concludit Dyonisius c. 1. de diu. nom. *de supersubstantiali, secretissimaq; deitate, neque dicere quidquam, neque cogitare præsumendum est, aliter quàm sacra eloquia piè, admodumque castè nobis tradiderunt.*

Ad 2. Nego antecedens, propter rationem infra afferendam, cum afferemus discrimen vnius processionis ab alia.



AR.

ARTICVLVS III.

An possit assignari discrimen inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti? Refellitur opinio Thomistarum.

SVppono vt certum inter theologos, processionem Filij à Patre esse veram generationem, per quam secunda Persona dicitur gigni à Patre, ab eoque nasci, vt verus Filius, per veram natiuitatem, vt definitum est in Concilijs Nicæno 1. Constantinopol., Ephesino 1., & 11. Tolet, in symbolis, & confess. fidei; processionem verò Spiritus Sancti non esse propriè generationem, quia per illam non procedit vt natus, sed vt datus, vt expresè asseritur ab Aug. lib. 14. & 15. de Trin., & cum eo ab omnibus alijs theologis, à quibus proinde concluditur, Spiritum Sanctum non esse Filium. De hoc igitur, vtpote articulo fidei, nulla est controuersia penès Catholicos. Quænam autem sit differentia inter has processiones, ratione cuius vna dicatur generatio, & non alia, hoc est illud, quod quæritur; & est totum punctum quæstionis præsentis, in cuius solutione desudarunt ingenia theologorum; & in quo est tanta difficultas, vt ipse Augustinus ingeniorum phænix to: 6. lib. 3. con. Maximin. c. 14. sub in. quasi desperans, se posse veram distinctionem afferre, humi-

militer, & demisſè confiteatur, *quid autem inter naſci, & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamuis bipes ſit omne, quod homo eſt. Hoc ſcio. Diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio; ac per hoc quia & illa, & iſta eſt ineffabilis.*

Nos ergo priuſquàm noſtram proferamus opinionem, aliorum celebriores opiniones, ad trutinam theologicam reuocabimus.

Celeberrima eſt ſententia Thomiſtarum, qui veſtigijs inhærentes diui Thomæ 1.p.q.27.ar.4. docent, ſecundam perſonam procedere vt Filium, & non tertiam, quia illi, ex vi proceſſionis formaliter, communicatur natura producentis. Atque adeo quia ad rationem Filij requiritur ſimilitudo in natura, inferunt, ſecundam perſonam, per veram generationem, procedere vt Filium, à prima, quam reſpicit tamquàm ſuum verum patrem. Contra verò quia Spiritus Sanctus, ex vi proceſſionis formaliter, non accipit naturam producentis, ideo non procedit vt ſimilis in natura, & per conſequens non procedit vt Filius; vnde inferunt, eius proceſſionem non eſſe generationem. Probant autem aſſumptum, quia ſupponunt, ſolam intellectionem eſſe conſtitutiuum formale di-

diuinæ essentiæ. Cùm ergo Filio ex vi processionis, communicetur formaliter ipsa intellectio, ideo inferunt, illi communicari formaliter naturam diuinam. Contra verò quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, ideo ex vi processionis formaliter, communicatur illi solùm amor, seu volitio, quæ est extra conceptum quidditatiuum diuinæ essentiæ, quæ proinde solùm illi communicatur materialiter, & identicè, quatenus est identificata cum volitione, quam dicunt virtualiter intrinsecè distingui ab intellectione. Cùm ergo supponant, ad rationem formalem generationis requiri, quòd sit communicatiua formaliter naturæ generantis, inferunt, procesionem Spiritus Sancti non esse generationem.

Sed hęc sententia sustineri non potest. Primò quia nititur falso fundamento, quòd videlicèt constitutiuum formale diuinæ essentiæ sit actu intelligere, cùm oppositum statuatur in loco. 2. Quia etiamsi admittatur suppositum, non tamen promouetur intentum; per hoc enim præcisè, quòd secunda Persona, ex vi processionis formaliter, accipiat naturam Personæ producentis, non proinde est Filius, vt probabitur infra. Et ratio est, quia etiam Spiritus Sanctus, ex vi processionis formaliter, accipit naturam Spiratoris, aliter non procederet formaliter vt Deus, quod repugnaret symbolo, *Deum de Deo, Deum verum de Deo*

vero. Ergo aliunde petenda est ratio generationis, & Filiationis.

Alij pressiùs interpretantes doctrinam diui Thomæ in loco cit., & fideliùs adhærentes eius verbis, nè transferant quæstionem præsentem, ad aliam de constitutiuo diuinæ essentiæ, putant ex ipsa natura intellectionis,& volitionis secundùm genus, deduci discrimen generationis à processione. Dicunt ergo,ideo processionem Verbi esse generationem,quia est per intellectionem, aliam verò non esse, quia est per volitionem. Ad hoc probandum, duo supponunt ex philosophia. Primum est,omnem generationem inducere similitudinem, inter generans, & genitum, iuxta commune proloquiũ, *omne generans generat sibi simile, secundùm speciem*. Alterum est, quòd omnis intellectio de sua ratione formali intrinseca, & ex suo modo tendendi, habet inducere similitudinem, quod non conuenit volitioni. Hoc autem probant ex natura intellectus, & voluntatis; nam ille intelligendo fit omnia, eò quia per actũ intelligendi trahat quodammodo ad se obiecta intellecta, cùm intellectio ex suo modo tendendi, habeat repræsentare obiectum, & dare illi esse intentionale cogniti, præter esse reale, quod in illo præsupponitur, vt probat Pallauicinus lib.8.c.57.n.433. Voluntas autem potiùs fertur in obiectum, per quamdam inclinationem, & impulsum. Quibus positis, ita arguunt, intellectio diuina Patris, vt

est

est formaliter intellectio, habet inducere similitudinem, & vt est formaliter diuina, & infinitè perfecta, habet producere simile infinitè perfectum, in omni ratione similitudinis, adeòque non solùm in repræsentando, sed etiam in essendo. Amor autem, quia neque secundum genus, neque secundùm speciem est inductiuus similitudinis, cùm sit vitalis inclinatio, motio, seu impulsus voluntatis in obiectum, ideo non habet ex sua ratione formali intrinseca, producere terminum similem producenti. Sed processio per principium inductiuum similitudinis est generatio. Ergo processio per intellectum est generatio, & non processio per voluntatem, vt concludit diuus Thomas in loc. cit. dicens, *quod procedit per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt Filius, sed magis procedit vt spiritus, quo nomine quædam vitalis motio, & impulsus designatur, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.*

Sed neque hæc opinio taliter explicata sustineri potest. Primò quia sicut intellectio inducit similitudinem, per hoc quòd trahit obiectum ad intelligentem; ita amor inducit similitudinem, & multò perfectionem, quia trahit amantem ad amatum. Siquidem multò perfectior est similitudo, quæ resultat ex coniunctione affectiua amantis cum amato, quàm quæ resultat ex coniunctione intentionali cogniti cum cognoscente.

Er-

Ergo ex hoc capite nulla est disparitas, quia sicut intellectus intelligendo fit res intellecta, ita voluntas amando fit res amata, quod multò fortiùs fit per impulsum ad obiectum, quàm per tractionem obiecti ad se.

Neque obstat, quòd intellectus intelligendo obiectum, recipiat ab illo speciem, quæ est eius imago; nam hæc potest quidem inducere similitudinem in repræsentando, non autem in essendo, & secundùm naturam, quæ requiritur ad generationem. Ergo hæc similitudo, quæ inducitur per speciem intentionalem, quia est solùm in esse intelligibili, & non in esse physico, impertinenter se habet, in ordine ad generationem Filij, qui potest quidem ex vi illius, procedere formaliter vt Verbum, non autem vt genitus, seu Filius naturalis. Ergo hinc non potest desumi discrimen generationis à processione.

2. Quia vel intellectio Patris habet inducere similitudinem, vt est formaliter intellectio, vel vt est diuina, & infinita? Non primum, quia vt talis, habet solùm producere expressionem repræsentatiuam obiecti, quæ si sufficeret ad generationem, omnis intellectio, etiam creata, esset generatio, quod est absurdum. Neque secundum, primò quia ratio diuini, cuicumque formalitati superaddita, illam perficit in sua linea, cùm ratio specifica non trahat genus extra propriam rationem. Ergo quia simili-

li-

litudo intentionalis non sufficit ad rationem generationis, licèt hæc perficiatur in infinitum, numquam exibit ex genere insufficientis. Deinde quia si ratio diuini constitueret intellectionem, in esse formaliter generationem, superaddita volitioni, illam etiam faceret generationem, & sic esset duplex generatio, quod est hæreticum. Ergo non ideo processio Filij est generatio, & non Spiritus, quia illa est per intellectum, & hæc per voluntatem.

Dices, voluntas amando nihil recipit ab amato, neque aliquid ponit in illo, ratione cuius illi assimiletur. Ergo neque vt diuina potest esse assimilatiua.

Nego antecedens. Nam (vt docet diuus Tho: hìc q. 37. ar. 1.) *sicut ex hoc quòd aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quadam intellectualis conceptio rei intellecta in intelligente, qua dicitur verbum; ita ex hoc quòd aliquis rem aliquã amat, prouenit quadã impressio (vt ita loquar) rei amata in affectu amantis, secundùm quàm amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligente*. Et diuus Aug. 13. confess. c. 9. ait, *pondus meũ amor meus; amore feror quòcumque feror*. Vnde Io: Baptista Gonet oculatissimus interpres diui Thomæ disp. 2. de Trin. ar. 4. §. 1. n. 130. Ait, *obiectum volitionis debet esse præsens voluntatis, eique aliquò modo coniungi. Et cùm hac vnio*

non

non possit fieri mediante specie, & similitudine obiecti (quia vis appetitiua non petit assimilari obiecto, sed in illud ferri) debet fieri per inclinationem, et propensionem. Quam doctrinam didicerat ex diuo Tho: qui 1.2.q.28.ar.1.ad 3. ait, *cognitio perficitur per hoc, quòd cognitum vnitur cognoscenti, secundùm suam similitudinem. Sed amor facit, quòd ipsa res, quæ amatur, amanti aliquo modo vniatur.* Et hoc hauserat ex Aug. 8. de Trin. afferente, *amor est quasi iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens*; hoc est (vt explicatur hìc à diuo Tho:) copulans per vnionem affectus, & copulare intendens per vnionem realem. Quare triplex vnio concomitatur amorem, vna per modum causæ, & est vnio similitudinis: alia per modum quidditatis, seu causæ formalis, & est impetus, seu impulsus in rem amatã: & alia per modum effectus, & est vnio realis, quam amans appetit cum amato.

Ex quibus elicio cùm ipso Gonetto loc. cit. non solùm ab intellectione produci terminum intrinsecum, per quem obiectum fit præsens intellectui, sed etiam ab amore pruduci suum terminum intrinsecum, per quem obiectum fit præsens voluntati. Quamuis enim terminus amoris, seu volitionis non sit imago obiecti, sicut est terminus intellectionis, est tamen pondus, & im-

impulsus, ita expressus, quia philosophi nullum illi proprium nomen indiderunt.

ARTICVLVS IV.

An possit desumi hoc discrimen ex ratione formali imaginis?

VIdetur posse, vt apertè tuentur Didacus Ruiz hic disp. 6. Vasquez disp. 113. c. 7. Fasolus q. 27. ar. 2. dub. 9. Alarcon, Turrianus, & alij, quibus non dissentiunt Scotus in 1. d. 10. q. vn. ad 1. Zumel, Torres, & plures alij, qui omnes docent, ideo Verbum procedere per veram generationem à Patre, quia procedit vt eius imago; Spiritus autem quia non procedit vt imago, ideo neque est genitus, neque filius. Fundamenta possunt esse

Primò quia omnis filius est imago Patris. Ergo est de ratione filij procedere vt imago patris. Probatur consequentia; aliter ratio imaginis esset separabilis à ratione filij; & sic posset aliquis procedere ab alio vt filius, & non vt imago, vel vt imago, & non vt filius, quod repugnat.

2. Filius, præcisa ratione imaginis, conuenit cum Spiritu Sancto in omnibus alijs. Ergo præclusa hac via, nullo modo potest assignari discrimen, vnius processionis ab alia, vt inferunt Anselmus

mus in monol. c. 53. Ricchard. à S. Vict. lib. 6. de Trin. c. 19. Vasquez loc. cit. & alij.

3. Si Spiritus procederet vt imago Patris, ac Filij, procederet vt filius vtriusque. Ergo ideo non procedit vt filius, quia non procedit vt imago, quæ proinde est ratio formalis filij. 5

Conclusio, *Ratio imaginis vel non requiritur, vel non sufficit ad constituendum discrimen generationis à processione.*

Probatur euidenter; nam vel loquimur de imagine intentionali, vel de naturali? Si primum, illa certè non requiritur ad veram generationem, cùm nullus filius creatus sit imago intentionalis Patris; & tamen nullus vmquam dubitauit de vera eius generatione, natiuitate, seu filiatione. Ergo licèt Spiritus Sanctus non procedat, vt imago intentionalis Patris, ac Filij, adhùc posset esse filius vtriusque, si haberet quæ sunt necessaria ad veram natiuitatem. Si verò loquamur de imagine naturali, hæc requiritur quidē ad veram generationem, non tamen sufficit; aliter si sufficeret, etiam Spiritus Sanctus (quem disp. 19. ar. 5. asseruimus esse veram imaginem naturalem Patris, ac Filij) esset filius vtriusque; quòd esset confundere, & non distinguere diuinas processiones. Ergo vel non requiritur, vel non sufficit.

Dices, secunda Persona non solùm procedit vt filius, sed etiam vt Verbum.

Er-

Ergo debet esse imago naturalis, & intentionalis. Atque adeo ad veram rationem generationis diuinæ requiritur, quòd terminus sit imago vtroque modo.

Distinguo antecedens, secunda Persona procedit etiam vt Verbum, quatenus est purus terminus diuinæ generationis, nego: quatenus est terminus diuinæ generationis per actum intelligendi, concedo antecedens. Et distinguo consequens, debet esse imago vtroque modo, vt terminat generationem quoad substantiam, nego: vt terminat generationem quoad modum, & substantiam, concedo consequentiam. Quia ergo esse Verbum appellat modum in terminio generationis, ideo non respicit generationem quoad substantiam, sed quoad modum. Atque adeo si per impossibile secunda Persona non procederet vt verbum, sed vt simile in natura, modo infra explicando, adhuc esset verè genita, & filius Patris, quia adhuc haberet similitudinem in essendo, licèt non haberet in repræsentando. Per hoc ergo quòd procedat etiam vt Verbum, non habet vt sit simpliciter filius, & genitus, sed solùm quòd sit filius, & genitus nobilior, & perfectior; sicut Pater non habet quod sit simpliciter generans, per hoc quòd agat per intellectum, quod illi conuenit singularissimo modo, sed per hoc quòd producat sibi simile in natura, modo infra explicando.

Ad

Ad 1. Distinguo antecedens, omnis filius est imago naturalis Patris, concedo: est imago artificialis, vel intentionalis, nego antecedens. Et distinguo consequens, est de ratione filij procedere vt imago naturalis Patris, concedo: vt imago intentionalis, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, rationem imaginis intentionalis esse separabilem à ratione filij, non autem rationem imaginis naturalis. Siquidem verbum creatum est imago intentionalis; & non filius; & filius creatus est verè filius, quamuis non exprimat formaliter patrē, quem non habet repræsentare in linea intelligibili, adeòque non sit eius imago intentionalis.

Ad 2. Nego antecedens. Primò quia hæc discrepantia non habet locum, nisi in ordine ad imaginem intentionalem, quæ probat quidem à posteriori discrimen vnius processionis ab alia, quatenus in diuinis nō cōuenit, nisi Filio; non tamē probat á priori, & de ratione formali intrinseca ipsius generationis. Deinde quia cùm aliunde habeamus discrimen, quod inquirimus, ad illud nullo modo confert ratio imaginis in repræsentando, licèt multum conferat ratio imaginis in essendo.

Ad 3. Nego antecedens, quia verè Spiritus Sanctus procedit vt imago vtriusque, sicut statuimus loco cit. & tamen neutrius est Filius. Ergo ratio imaginis non est ratio formalis filiationis, nisi re-

ſtringatur ad naturalem, modo explicando.

ARTICVLVS V.

An poſſit aſſignari diſcrimen generationis à proceſſione, ex eo quòd per illam communicetur natura fæcunda, quæ per hanc non communicatur?

VIdetur non poſſe, vt acerrimè tuentur Thomiſtæ, cum Henrico, Alberto, Aureolo, Gabriele, Suar, Vaſq. Bannes, Gonetto, & alijs, Primò quia ad rationem generationis ſufficit, quòd ſit productio termini, in ſimilitudinem naturæ. Nomine autem naturæ non poteſt intelligi aliquod relatiuum, ſecundùm quod in diuinis non poteſt eſſe ſimilitudo. Ergo non poteſt intelligi fæcunditas, ſeu potentia ſe communicandi, quæ ſaltem in obliquo, importat aliquod reſpectiuum; atque adeo ſecundùm illam, non eſt attendenda ratio generationis.

2. Si per impoſſibile Filius non ſpiraret Spiritum Sanctum, vel hic produceret quartam perſonam adhùc filius eſſet filius, & Spiritus non fieret filius, vt docet Vaſquez. Ergo communicatio naturæ fæcundæ, impertinenter ſe habet ad generationem.

3. Mullus eſt verè filius equæ, & aſini, à quibus verè generatur, licèt ab illis accipiat

cipiat naturam sterilem. Ergo ratio fæcunditatis non exigitur necessariò, in termino generationis.

4. Vel requiritur in termino similis fæcunditas, quæ est in generante, vel sufficit quæcumque, quocumque modo in actum proditura? Si primum, ergo neque filius est genitus, quia non accipit à Patre naturam communicandam per aliam generationem. Si secundum, ergo etiam Spiritus Sanctus est filius, eò quia habeat virtutem se communicandi ad extra, per largitionem suorum munerum. Sed vtrumque est absurdum. Ergo nullo modo requiritur hæc fæcunditas.

5. Si de ratione filij est accipere naturam fæcundam, est etiam assimilari in vi spiratiua. Sed hoc est falsum; aliter Latini ad conuincendos Græcos, quòd Spiritus procedat etiam à filio, vsi fuissent hoc argumento, nempe non fore filium, nisi spiret cum Patre: item non disputarent, an filius distingueretur à Spiritu, si hic ab illo non procederet, quia ablata processione ab illo, tolleretur eius filiatio. Ergo non est de ratione filij accipere à Patre naturam alteri communicandam.

6. Sol, astra, & Angeli habent veram naturam, licèt non habeant potentiam producendi aliud suppositum sibi simile. Ergo non est de ratione naturæ talis fæcunditas; atque adeo potest filius illam à Patre accipere, absque asserta fæcunditate.

Pro resolutione, notandum est primò, generationem viuentium definiri communiter cum Philosopho 7.met. cap. 8. *Origo viuentis à viuente, principio coniuncto, in similitudinem naturæ*. Quæ definitio, demptis imperfectionibus, applicatur etiam diuinis processionibus. Quod idem dico de terminis natiuitatis, filiationis, paternitatis, &c. An autem conueniat generationi passiuæ, & processioni, & quomodo conueniat, in hoc est tota difficultas, non quoad primas particulas, cùm in omnibus diuinis processionibus, sit ratio originis viuentis à viuente, per identitatem eiusdem naturę, sed quoad postremam, *in similitudinem naturæ*.

Notandum 2. ex 5.met.c.4. ad natiuitatem, præterea, quæ sunt communia, cuicumque processioni substantiali, requiri, quòd nascens ita cum suo principio coniungatur, vel immediatè quoad naturam, vel mediatè quoad eius semen, vt per talem coniunctionem, habeat incrementum in se, vel in semine, dilatando naturam generantis. Et ideo ait Philos.loc.cit. *nasci dicuntur quæcumque incrementum per aliud habent, tangendo, & connascendo, aut adnascendo, sicut embriones*. E.g. ideo Petrus filius Ioannis, dicitur ab illo nasci, quia ita coniungitur cum Ioanne, per acceptionem eius seminis, vt propaget eius naturam, in cuius similitudinem oritur, accipiendo semper materiam nouam, ex vi talis semi-

ſeminis, per quam creſcit, vt facit embryo, qui ex vi paterni ſeminis, augetur in dies per nouum motum ab intrinſeco, adeòque vitalem, poſito quòd in illo conſiſtat formaliter ratio vitæ rerum generabilium, vt diximus in 1. de an. Dixi *vel in ſe, vel in ſemine,* primò, quia ſi aliter fiat hoc incrementum, vt in Eua per coſtam Adami, non conſtituitur natiuitas, quia illud, per quod fit incrementum in procedente, debet eſſe à natura determinatum ad talem finem, cum vehementi inclinatione ad illum, cuiuſmodi eſt ſemen, & non fuit coſta Adami in Eua. Deinde quia licèt procedens non habeat incrementum in ſe per acceptionem nouæ materiæ, ſatis eſt quòd illud habeat in ſemine, per quod natura patris ad filios propagetur. Quare ſi Petrus ita naſceretur perfectus à Ioanne, vt nullum in ſe acciperet incrementum, adhuc diceretur filius Ioannis, quia poſito quòd ab illo habeat ſemen prolificum, poteſt per illud habere incrementum in filijs à ſe gignendis. Quod idem dico de fæminis, quæ vel habent ſemen prolificum (vt multi aiunt, & nos conceſſimus in 1. de an. & alibi) vel ſaltem neceſſarium ad generationem prolis, tamquàm collatiuum materiæ fœtus.

Notandum 3. Ad filiationem non ſufficere ſolam natiuitatem ab alio; nam vermes, & capilli naſcuntur ab hominibus, quorum non ſunt filij, eò quia non procedant vt ſimiles in natura; neque ſo-

lam similitudinem in natura, quia Eua non fuit filia Adami, quamuis ab eo processerit in similitudinem naturæ. Requiritur ergo vtraque simul, nempe natiuitas, & similitudo in natura. His positis, sit.

Conclusio, *Sufficienter assignatur discrimen, inter generationem Filij, et processionem Spiritus Sancti, per hoc, quod ille ex vi processionis, accipiat formaliter à Patre naturam fœcundam, quam non accipit Spiritus Sanctus.* Ita diuus Bonauentura, Alensis, Ricardus Victorinus, Zuniga, Martinonus, &c. penes Gonet disp.2.ar.2.§.11.n.145. Perez in tract. de Trin.n.159.

Probatur. Omne procedens ab alio per veram natiuitatem, & similitudinem in natura, procedit ab alio, vt Filius, per veram generationem. Sed omne quod accipit à producente naturam fœcundam, ex vi processionis, procedit ab alio per veram natiuitatem, & similitudinem in natura. Ergo omne quod accipit à producente naturam fœcundam, ex vi processionis, procedit vt Filius, per veram generationem. Ergo tota ratio discriminis inter generationem, & processionem, adæquatè attendenda est penès hoc, quòd accipiatur ex vi processionis, natura fœcunda, vel infœcunda, vnde tamquam ex radice, pullulat formaliter ratio generationis, vel processionis. Postrema consequentia est euidens, cùm distinctio formalis non distinguatur à prin-

principio discretiuo, vt probatum est in disp. met. lib. 1. disp. 2. ar. 5. Prima consequentia concludit in *Barbara*. Maior patet ex definitione generationis, allata in 1. Notando. Minor patet ex alijs Notandis. Ergo solùm superest probandum assumptum, quòd Verbum ex vi processionis formaliter, accipiat naturam fœcundam à Patre, quam non accipit Spiritus Sanctus. Hoc autem.

Probatur 1. Verbum procedit vt terminus primæ operationis principij intellectiui, & Spiritus Sanctus vt terminus secundæ. Sed prima operatio est intellectio, de cuius ratione est, non esse per se formaliter quietatiuam (vt diximus in tract. de beat. cum nostro Egid.) sed tendere vlteriùs, faciendo in suo termino incrementum: & secunda operatio est amor, qui dicit de sua ratione formali quietem in suo termino, & negationem tendentiæ ad alium terminum. Ergo Verbum procedit vt simile fœcunditati Patris, & Spiritus Sanctus vt dissimilis; quatenus videlicèt illud non accipit naturam Patris, sub pura ratione naturæ, vt facit Spiritus, sed vt fœcundam, & alteri communicandam.

Dices, ergo totum hoc discrimen habetur per hoc, quod Filius procedat per intellectum, & Amor per voluntatem.

Nego consequentiam. Quamuis enim radix fœcunditatis in Deo habeatur per hoc, non tamen hoc sufficit, vt principiū formale proximum, de quo agimus.

2. Verbum procedit, vt simile in natura Patris. Ergo procedit vt fœcundum ad intra. Antecedens patet, aliter non esset imago perfectissima Patris, vt mox videbimus. Consequentia probatur, natura *est principium motus, & quietis in eo, in quo inest primò, & per se*, vt dictum est in 2. phys. Sed in Deo non possunt admitti imperfectiones, quæ inuoluuntur in tali definitione. Ergo admittitur natura sine motu, sed cum eius propagatione, quæ est quasi motus ad alium terminũ ad intra. Sed hæc propagatio conuenit soli Filio, qui propagat ad Spiritum, naturam acceptam à Patre. Ergo illi soli conuenit natura fœcunda, vt formaliter talis.

3. Verbum procedit vt imago perfectissima Patris, quem perfectissimè repræsentat. Non repræsentaret autem per modum imaginis, perfectissimè Patrem, nisi acciperet essentiam *intellectionis* paternæ, vt Spiritui communicabilem, quo præciso, non exprimeret paternam fœcunditatem. Ergo procedit à Patre, vt ab illo accipiens essentiam intellectionis comprehensiuæ Patris, cum fœcunditate, per quam illam communicet Spiritui Sancto; & ideo habet incrementum in se, propagando ad alium terminum ad intra naturam Patris. At Spiritus Sanctus licèt habeat coniungi cum Patre, & Filio per immensitatem, & identitatem eiusdem naturæ, quam accipit ab illis, nullum tamen habet incremen-

mentum, non personale; quia est vltima persona, neque essentiale, quia eius natura nō propagatur ad alium terminum. Ergo non accipit naturam fęcundam; & ideo non procedit vt natus, sed vt datus.

Neque obstat, quòd Spiritus Sanctus per talem processionem acquirat in se formaliter aliud suppositum à principio producente; hoc enim non est incrementum, quia spectat ad constitutionem intrinsecam sui, in esse terminum talis processionis, cuiusmodi non est incrementum Verbi, quod est extra rationem intrinsecam sui constitutiuam, in esse terminum processionis à Patre; cùm virtus spiratiua, quam accipit à Patre, non sit ad se, sed ad aliud.

Dices, granum frumenti procedit ab alio grano in similitudinem naturæ, accipiendo ab illo naturam fœcundam, & tamen non est eius Filius. Ergo hoc non sufficit ad Filiationem.

Nego consequentiam, quia purè vegetabilia, non procedunt à viuente, cum dicatur Io: 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*



ARTICVLVS VI.

Soluuntur Obiecta.

AD 1. Nego minorem, si sermo sit de generatione diuina, vt formaliter tali. Primò quia si nomine naturæ intelligamus essentiam, & quidditatem Dei, etiam Spiritus Sanctus esset Filius, vtpote qui procedit à Patre, & Filio, in similitudinem, immò in identitatem eiusdem essentiæ, vt videbimus infra. Ergo debet intelligi aliquid aliud, supra essentiam, quod aliud non potest esse, nisi fęcunditas. Deinde cùm natura sit principium motus in eo in quo inest, & in Deo non posit esse motus, debet dari aliquid, quod sit quasi motus, per quod saluetur conceptus naturæ, nempe fæcunditas, seu propagabilitas illius ad alium terminum, vt dictum est. Quia ergo propagatio non potest esse, nisi per actionem productiuam, & hæc non fit nisi à supposito, ideo propagabilitas in Deo, necessariò inuoluit aliquod respectiuum, posito quòd omne diuinum suppositum sit respectiuum. Hoc non accidit in creatis, in quibus supposita sunt absoluta; & ideo eorum propagabilitas nihil inuoluit respectiui, saltem ex hoc capite.

Dices, in diuinis non attenditur similitudo, secundum relationem, sed solùm secundùm essentiam, vt docet S. Tho:

hic

hic q.36.ar.4.ad 3. Ergo cùm fæcunditas in Patre, & Filio sit extra rationem essentiæ, & solùm habeatur per relationem personalem, non potest per illius communicationem, Filius dici similior Patri, quàm sit per communicationem solius essentiæ.

Nego antecedens. Et dico, diuum Thomam in tali loco loqui de similitudine primaria, quæ cùm fundet Personarum æqualitatem, non potest esse, nisi secundùm essentiam quoad substantiam; non autem de secundaria, quæ cùm fundet distinctionem principiorum actiuorum, necessariò debet attendi secundùm modum essentiæ, qui solus in illa multiplicatur. Quia ergo fæcunditas spectat ad modum diuinæ essentiæ, ideo secundùm illam requiritur similitudo, vt distinguatur terminus genitus, & natus à spirato, & dato. Quis autem neget, fæcundum ratione fæcunditatis præcisè, habere specialem aliquam conuenientiam cum fæcundo, quam non habet cum non fæcundo. Cùm ergo Filius, præter illam communem similitudinem essentialem, quam habet Spiritus Sanctus cum Patre, habeat etiam similitudinem specialem, secundum fæcunditatem, potest simpliciter dici similior Patri, cum quo aliam dissimilitudinem non habet, quàm esse ab illo genitum. Quia ergo ad rationem generationis requiritur similitudo quoad substantiam, & quoad modum; ideo Filius est genitus, & non Spiritus.

Instabis, disp. 23. ar. 9. dicitur, inter diuinas relationes esse dissimilitudinem. Ergo neque possunt habere similitudinem secundariam.

Respondeo ibi esse sermonem de relationibus oppositis, cuiusmodi non est modus fæcunditatis. Sicut ergo Filius est similis Patri secundùm spirationem, ita est secundùm fæcunditatem, quæ in re non distinguitur à spiratione in Filio.

Ad 2. Nego antecedens quoad vtramque partem, non solum propter rationes infra afferendas, sed etiam quia secunda persona, vtpote quæ procedit per intellectum, per suam proprietatem personalem est intellectio passiua, per quam essentia diuina, & omnia alia obiecta constituuntur formaliter, in esse intellecta, respectu quorum ipse Deus, seu diuinæ Personæ, constituuntur formaliter, in esse intelligentes actiuè, per intellectionem absolutam. Ergo de sua ratione formali intrinseca habet, vt sit terminus primæ operationis principij intellectiui; quæ cùm necessariam habeat connexionem cum secunda operatione, quæ est actus voluntatis, necessariò terminus primæ operationis est prior origine ipso termino secundæ. Ergo vt formaliter producens per intellectum, secunda Persona accipit à Prima naturam fæcundam; quam non accipit tertia, vt formaliter producens per voluntatem. Atque adeo si fingatur oppositum, quòd tertia producat quartam Personam, & secunda non

non producat tertiam, vtraque persona dimouetur ab eo, quod est sibi essentiale. Ergo neque secunda esset filius, neque tertia Spiritus Sanctus. Vnde corruit vis illationis.

Ad 3. Nego antecedens, quoad secundam partem. Et dico, mulum esse per se fæcundum, vt videre est in ijs, qui nascũtur in Africa, & Asia, qui generant, vt equi, & asini; licèt in aliqua parte Europæ, habeant accidentaliter impeditam potentiam proximam generandi, retenta semper potentia remota, & radicali, quæ sufficit ad intentum. Videantur quæ diximus ad hanc rem in 2. de an. disp. 1. ar. 1. ad 1. Nam funditùs tollunt difficultatem. Neque obstat quòd ibid. lib. 2. disp. 2. ar. 17. dixerimus, mulum non habere potentiam generatiuam; nam ibi locuti sumus de potentia formali, & proxima, non autem de remota, & radicali.

Ad 4. Dico, requiri in termino similem fæcunditatem, quæ est in generante, secundùm intensionem, non autem secundùm extensionem. Sicut ergo cum Pater in creatis communicat filio potentiam generandi sibi similem, non communicat illi potentiam generandi se ipsum, sed suppositum distinctum; ita in diuinis cum Pater communicat filio potentiam producendi sibi similem, non communicat potentiam ad se ipsum, sed ad aliud. Et ratio à priori est, quia cùm in Deo non possint esse, nisi duæ processiones, vna nempe per intellectum, & altera

tera per voluntatem, completa prima per Verbum, quod est eius terminus adæquatus, non potest ipsi Verbo communicari virtus ad alium terminum eiusdem processionis; aliter vel esset ad se ipsum, vel ipsum non esset vltimus, & adæquatus terminus talis processionis, quæ sunt absurda. Ergo debet illi communicari virtus, ad producendum terminum alterius processionis, quæ est per voluntatem. Vnde sequitur, quòd Spiritus nullo modo possit recipere naturã fæcundam; siquidem vel illam propagaret per intellectum, vel per voluntatem? Non primum, quia ipse est origine posterior processione per intellectum. Ergo non potest ad illam vllo modo concurrere. Neque secundum, quia per ipsum Spiritum vltimò, & perfectissimè terminatur processio per voluntatem. Ergo cùm non possit concurrere ad seipsum actiuè, neque potest ad terminum talis processionis.

Ad 5. Nego minorem. Ad cuius probationem dico aliud esse medium, quo de facto vsi fuerunt illi Patres, & aliud medium, quo potuissent vti. Primum fuit illis arbitrarium; & ideo non valet consequentia, hoc medio non vsi fuerũt, ergo hoc medium non est sufficiens. Siquidem aliquando in Doctorum cœtibus præualet authoritas vnius, aut alterius, qui respuunt vt insufficiens quod alieno innotescit ingenio, & non amplexantur vt verum, nisi quod adorant vt suum.

Be-

Bene ergo concludit hìc Arriaga disp. 47. sec. 6. esse quidem de fide canones, & definitiones Conciliorum, non tamen eorum argumenta. Miror ergo, quomodo Gonettus, vir cæteroqui versatus in theologicis potuerit in nostram doctrinam obtrudere hoc argumentum. Quoad secundum quòd potuerint illo vti, est certum omnibus illis, quibus apparet vis, & efficacia talis medij, nec habent mentem alieno arbitrio præpeditam. Quid autem esset, si de facto vsi fuissent? Ad hoc probandum nolo vti alia authoritate, nisi ipsius Gonetti, vt hinc conijciat quanti illum faciam. Refert ipse disp. 2. n. 152. quemdam locum Florentini, desumptum ex vlt. sess. §. *quoniam Græci*, & est huiusmodi, *credentes Spiritum Sanctum nequaquam ex filio procedere, necesse est, vt Spiritum Sanctum intelligant à solo Patre procedere, ac consequenter non esse filium*. Ergo ex mente Florentini valet consequentia, Spiritus Sanctus non procedit à Filio. Ergo non datur filius. Sed hæc consequentia non valeret, nisi esset de ratione filij accipere à Patre naturam fæcundám. Ergo hæc doctrina consonat Florentino.

Ad euadendam vim huius illationis, à se optimè percæptam, mirum est quod inuenit ingeniosus Gonettus. Ait enim, illam non esse immediatam, & formalem, sed solùm materialem, ac mediatam. Quod ita probat, si Spiritus à Filio non procederet, Filius non accepisset à Patre

vim

vim spiratiuam, adeòque nec diuinam naturam, per cuius carentiam non esset filius. Probat consequentiam, filius non opponitur Patri secundùm vim spiratiuam, sicut non opponitur secundùm essentiam. Ergo si illã non accepisset à Patre, neque hanc accepisset. Vnde infert, quòd non esse filium, non sequitur immediatè, ex non acceptione virtutis spiratiuæ, sed ex non acceptione naturæ diuinæ; vnde concludit, hanc sequelam non esse formalem, & immediatam.


Sed hæc euasio retorquetur euidenter contra ipsum. Nam vel ratio filiationis inuoluit formaliter vim spiratiuam, vel non? Si primum, ergo est de ratione filij accipere formaliter vim spiratiuam, adeoque naturam fæcundam, quod confirmat contra ipsum nostram conclusionem. Si secundum, ergo non valet illatio ex negatione virtutis spiratiuæ, ad negationem filiationis, quæ posset adæquatè haberi sine illa. Præterea ex eo quòd Pater, & Filius non opponantur in vi spiratiua, & natura, non video quomodo inferatur, ex nõ communicatione vnius, non communicatio alterius; siquidem etiam Pater, & Spiritus Sanctus non opponuntur in vi generatiua, & natura diuina; & tamen communicatur natura, non communicata virtute generatiua. Ergo si virtus spiratiua non sit de ratione filij, sicut virtus generatiua non est de ratione Spiritus, ex eo, quòd secundùm illam filius non opponatur Patri,

tri, non sequitur, non posse à Patre communicari naturam, & produci filiationem adæquatè, non communicata virtute spiratiua. Ergo illatio Concilij in tantum valet, inquantum supponit, esse de ratione filij virtutem spiratiuam, ex cuius non communicatione, immediatè, & formaliter infertur, non esse filium, ex carentia prædicati essentialis.

Ad 6. Dico, Solem, & astra non esse viuentes; & ideo non sunt causæ vniuocæ, sed æquiuocæ. Nos autem hic loquimur de sola generatione viuentium, quæ sola conuenit Deo, demptis imperfectionibus, vt dictum est. Quoad Angelos dico, ex eo quod operentur per actus immanentes distinctos, non posse producere, nisi terminos illis proportionatos, nempe in genere qualitatis, quod non euenit in Deo, cuius actio est suum esse, & ideo potest producere terminum substantialem ad intra.



DI-



DISPVTATIO XXI.

De Persona Spiritus Sancti.



Væstioni de Filio, quæstionem de Spiritu S. appositè subnectimus, vt totam Sanctissimam Triadem percurramus. Quæremus ergo 1. An Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio? Cuius occasione originem Græci schismatis indagabimus. 2. An distingueretur à filio, si ab illo nō procederet? 3. An procedat à Patre, & Filio per voluntatem? 4. An procedat à Patre per Verbum? 5. An procedat à Patre, & Filio, tamquam à duobus principijs? 6. An Pater, & Filius dicant eamdem relationem ad Spiritum? 7. An habeant eamdem potentiam spiratiuam? 8. An spiritus necessariò procedat ab vtroque? Et demum, an procedat ex amore creaturarum?

ARTICVLVS PRIMVS.

An Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio?

VIdetur non procedere, vt apertè asserunt Græci Schismatici, quorum author fuit Theodoretus Episcopus Cyrensis, qui tamen deinde suum errorem retractauit in Concilio Calcedonensi, opera S. Leonis Papæ, quamuis diuus Thomas hic q.36.ar.2. ad 3. dicat, hunc errorem multò ante tempore, deriuasse ex Nestorianis, quod accidit sub annum 430. Theodoreto accessit Theophilactus tempore Nicolai primi, sub annum 860. nec desunt qui cum diuo Tho. loc. citat. inter eius asseclas recenseeant Damascenum, quamuis hic tàm obscurè locutus fuerit, vt Cardinalis Bessarion in or. dog. in fine Conc. Flor. illum vt sentientem cum Latinis contra Grecos adduxerit. Et post illos hic error tàm altas radices fixit, non solùm inter Græcos, sed etiam inter Armenos, Rhutenos, & Moschas, vt huiusmodi nationes in apertissimum traxerit schisma, à quo nondùm recesserunt, ab anno 1052.

Eorum rationes, potissimùm ductæ ex praua intelligentia aliquorum locorum sacræ scripturæ, & alicuius ex Patribus, fidelissimè à nobis referentur inferiùs, nè videamur in re tanti momenti, inauditos Græcos velle damnare.

Con-

Conclusio, *Spiritus Sanctus non solùm procedit à Patre, sed etiam à filio.* Est de fide.

Prima pars admittitur ab omnibus Christianis, exceptis Macedonianis, qui dicebant, Spiritum Sanctum procedere ex solo Deo filio, tamquàm eius creaturam, quos redarguit Athanas. in duabus epistolis ad Serapionem, vt videre est penès Valentiam tom. 1. disp. 2. q. 10. p. 2. Præterea hoc idem negabat Eunomius, quem penès eumdem ibid. confutat diuus Basil. lib. 2. con. Eun. sub fin. & lib. 3. sub initium. Quia tamen hi nullum habebant apparens fundamentum, ad suum tuendum errorem, ideo sequacium turba infeliciter destituti, recesserunt e campo. Tota ergo controuersia redacta est ad alteram partem, an videlicèt Spiritus Sanctus procedat etiam à filio, quod vsque adhùc à Græcis impugnatur, vt innuimus disp. 2. ar. 3 initio.

Probatur ergo secunda pars 1. ex multiplici definitione Ecclesiæ, vt in Conc. Barensi sub Vrbano 2. in Lateranen. sub Innoc. 3. c. 1. vt refertur in c. *firmiter* de Sum. Trin. in Florentino sub Eugenio 4. post sess. 25. in litt. vnionis, in Lugdunensi sub Gregorio X. vt habetur in c. *vnic.* de Summa Trin. Toletano 1. c. 2. Tolet. 3. c. 1. Tolet. 4. c. 1. Tridentino sess. 3. in confess. fidei. Et in symbolo S. Athanasij, *Spiritus Sanctus à Patre, & filio, non factus, nec creatus, sed procedens.* In quo aduertendum est, hoc symbolum

fuisse

fuisse recitatum in Concil. Tolet. 4. c. 1. quod fuit celebratum ante schisma Græcorum, anno 633. & fuisse ab omnibus, tamquam verum, & catholicum approbatum. Et demum vt articulus fidei additum est in symbolo Nicæno, *qui ex Patre, Filioque procedit*, vt legitur in 7. Synodo Gen. act. 7. Et cum tali additione fuit recitatum, cum omnium approbatione, in Toletano 8. sub annum 653.

2. Ex multiplici testimonio sacrorum codicum. Nam dicitur Io. 16. sub med. *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quacumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annunciabit vobis*. Super quem locum Didymus lib. 2. de Spiritu S. sub med. ait, *non loquetur à se, hoc est non sine me, et sine Patris arbitrio, quia inseparabilis à me, et Patris est voluntate, quia non ex se est, sed ex Patre, et me est; hoc enim ipsum quòd subsistit, et loquitur, à Patre, et me illi est*. Multò tamen clariùs apparet hæc veritas ex ijs, quæ superaddidit Christus Dominus in eod. loc. cit. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Ergo Spiritus S. accipit aliquid à filio. Hoc autem, siue sit virtus, siue scientia, siue quodlibet aliud, non potest accipi, nisi per processionem, vt vnanimi consensu docent theologi, & Patres. Ergo hinc arguitur, Spiritum procedere à filio. Nè tamen videretur ab illo solo procedere, ideo additur, *omnia*

omnia quacumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, hoc est, *accepit per vnitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius*, vt optimè interpretatur Ambrosius lib.2.de Spir. S. c.12. sub in. Quem locum exponens Hylarius lib. 8.de Trin.sub med.ait, *hoc quod accipit, siue potestas est, siue virtus, siue doctrina, filius à se accipiendum esse dixit, & rursum hoc ipsum significat accipiendum esse à Patre. Cum enim ait, omnia quacumque habet Pater, sua esse, & idcirco dixisse se, de suo accipiendum esse, docet etiam à Patre accipienda, à se tamen accipi, quia omnia quæ Patris sunt, sua sunt.* Præterea dicitur 1. ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et ad Galat. 4 *Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corde vestro, clamantem abba Pater.* Non potest autem dici Spiritus Filij, quia sit eius seruus, vel quasi frater, sed quia spiratur ab eo, sicut dicitur in ordine ad Patrem, ad Rom.8.*Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Ergo procedit etiam à Filio. Demum Io.20. *Insufflauit, & dixit eis accipite Spiritum Sanctum*. Quem locum exponens Augustinus lib.15. de Trin.c.26. ait, *insufflauit, & dixit accipite Spiritum Sanctum, vt etiam de se procedere ostenderet.*

3. Spiritus Sanctus mittitur à Filio, ad sanctificandos homines, & charismatum

tum dona elargienda, vt patet ex Io: 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et eiusdem 16. *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Non posset autem mitti, nisi ab illo procederet. Ergo procedit ab illo. Probatur minor, omnis missio est, vel per imperium, vel per consilium, vel per authoritatem producentis naturalis, vt patebit in loco. Sed hæc missio non potest esse per imperium Filij in Spiritum Sanctum, quia non est illo fortior, neque per consilium, quia non est sapientior. Ergo est per solam productionem naturalem.

Neque potest hoc argumentum infirmari à Græcis dicendo, hanc missionem saluari per solam largitionem donorum, quæ dicuntur Spiritus Sancti. Primò quia datur etiam ipse Spiritus Sanctus, vt dicitur ad Rom.5. post in. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et 1. ad Cor.6. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, quem habetis in vobis.* Deinde quia si hoc valeret, posset etiam dici, Patrem, & Filium mitti à Spiritu Sancto, quia etiam hic potest dici author donorum, quæ sunt propria Patris, ac Filij, quod est absurdum. 3. Etiam missio Filij in mundum, potuisset dici missio per eius largitionem donorum, quod euerteret mysterium incarnationis. Ergo

go debet accipi in proprietate sermonis, vnde arguitur processio.

4. Pater communicat Filio omnia, in quibus illi non opponitur, vt definitum est in Florentino, & refertur ab Eugenio quarto in litteris vnionis his verbis, *omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem*; quod fuit elicitum ex illo Io. 16. *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Sed Pater non opponitur Filio quoad spirationem actiuam, secundùm quam non constituitur formaliter in esse Patrem. Ergo illam communicat Filio.

Dices, si Pater communicaret Filio totum id, in quo ei non opponitur, communicaret etiam Spiritui Sancto totum id, in quo ei non opponitur. Sed Pater non opponitur Spiritui Sancto quoad generare. Ergo illud Spiritui Sancto communicaret.

Distinguo minorem, Pater non opponitur immediatè Spiritui quoad generare, concedo: non opponitur mediatè, nego minorem, & cum illa consequentiam. Dico ergo, quòd in ijs, quæ sunt per se ordinata, quod est principium secundi, mediante illo, est principium tertij, & sic deinceps. Cùm ergo in diuinis sit perfectissimus ordo, Pater qui est principium Filij, per illum est principium Spiritus Sancti. Sed est principium Filij per generare. Ergo per generare est principium mediatum Spiritus San-

 cti

cti, quatenus per generare communicat Filio vim, & virtutem spirandi Spiritum Sanctum. Eadem igitur oppositione, qua Pater, & Filius, vt spirantes, opponuntur Spiritui Sancto, opponuntur etiam vt generans, & generatus, cum hoc vno discrimine, quòd vt spirantes opponantur immediatè, & vt generans, & genitus mediatè. Et ideo generare, vel generari non possunt communicari Spiritui Sancto. Potest autem communicari Filio spirare, quia Pater nullam habet oppositionem cum Filio per spirare, neque mediatam, neque immediatam, neque directam, neque indirectam.

5. Argumento hinc deducto, quæ non differunt purè materialiter, non possunt procedere ab eodem principio, nisi cum aliquo ordine; aliter procederent confusè, vt opera artificiata. Sed in diuinis nullus est alius ordo, quàm originis. Ergo ita debent ab eodem procedere, vt vnum insuper procedat ab alio, per quod secundum procedat à primo, tertium à primo per secundum, quartum per tertium, & sic deinceps. Cum igitur ipsi Græci concedant, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, quem ideo vocant spiritum Filij, illique consubstantialem, tenentur fateri procedere etiam à Filio, nisi velint asserere, eos differre purè materialiter, quod esset blasphemum.

6. Et elicitur ex modò dictis, Filius

procedit à Patre per intellectum, vt Verbum, & Spiritus Sanctus per voluntatem vt amor. Sed est impossibile, quòd aliquid ametur, nisi secundùm quod conceptione mentis apprehenditur vt bonum. Ergo Spiritus Sanctus producitur à principio productiuo intellectionis, cooperante ipsa intellectione producta; vt infert hìc diuus Tho: q.36.ar.2.& patet etiam ex ijs, quæ videmus in creatis; nam eo ipso quòd intelligatur homo producere in se amorem alicuius obiecti, intelligitur etiam præcessisse in eodem eiusdem cognitionem, & illam influere in talem amorem, de cuius ratione formali est non ferri in incognitum; & intellecto influxu cognitionis in amorem, intelligitur etiam influxus ipsius cognoscentis in eumdem amorem, ad quem neque intelligens, neque intellectio habent vllam oppositionem, sed potiùs summam connexionem.

Dices, requiritur cognitio, vt pura conditio, non autem vt causa influens. Ergo hinc non probatur processio amoris à cognitione, sed solùm necessaria connexio, eo modo quo requiritur cognitio finis, ad hoc vt possit finalizare, absque vllo influxu cognitionis ad finis bonitatem.

Nego antecedens. Ad paritatem finis creati, imprimis nego suppositum; & dico, cognitionem finis, vt eius formalem virtutem, influere physicè ad consecutionem finis, secundùm realitatem,

vt

vt probauimus in 2. phys. disp. 5. ar. 2. Deinde nego paritatem, quia cùm cognitio finis distinguatur physicè à fine, potest illi accidere, adeòque requiri tantùm per modum conditionis necessariò connexę, vt multi autumant cum Caiet. loc. cit. At in Deo cognitio est substantia; atque adeo cùm bonum cognitum influat in amorem, & cognitio sit Verbum, quod est conceptio mentis paternæ, quam format de sua essentia, vt infinitè bona, ideo Verbum non est pura conditio, sed principium influens in ipsum amorem, vt probat hic Caietanus.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Argumenta Græcorum.

OBijcies 1. In diuinis non debemus admittere, nisi quæ habemus e sacris paginis. Sed in his habemus quidem, Spiritum Sanctum procedere à Patre, vt patet ex Io: 17. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit;* nusquam autem quòd procedat à Filio. Ergo hoc asserere est temerarium.

Primò nego maiorem; nam plura habemus ex traditionibus Apostolicis, quæ non habentur explicitè in sacra scriptura, & tamen vt verissima, vniuersa orthodoxa Ecclesia sequitur, & amplectitur. Ergo licèt hoc expresè non haberetur in sacris paginis, quia tamen nihil in illis

inuenitur contradicens, ideo non debet vt falsum repudiari, sed standum est totius Ecclesiæ definitioni. Aliter neque Deus creasset Angelos, quorum creatio in scriptura non inuenitur, saltem expressè.

2. Nego minorem. Quamuis enim hoc expressè non habeatur, habetur tamen sufficienter in multis locis, vt probat diuus Tho: q.36.ar.2.ad 1. quorum plura retulimus in 2. probatione conclusionis, & cætera passim congeruntur à theologis. Neque obstant loca Isaiæ 46. & 61. loquentis de Christo, *& nunc Dominus misit me, & Spiritus eius*: & Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me*. Nam in ijs Christus Dominus loquitur secundùm humanitatem, vt communiter exponuntur ea loca, & patet ex illis *vnxerit me*, & *euangelizare pauperibus*, quæ verificari non possunt nisi de Verbo humanato; de quo non possunt exponi, quæ nos adduximus, siquidem vt tale, non potuisset promittere missionem Spiritus Sancti, neque dicere quòd ille accipiet de suo. Neque obstat, quod Christus loquatur de futuro *accipiet*, Primò quia processio Spiritus Sancti, sicut fuit ab æterno, ita est semper futura. Deinde quia tempore Christi Spiritus Sanctus prò futuro erat nobis manifestaturus illam scientiam, quam acceperat à Patre, & Filio, non per exclusionem ignorantiæ, quam habere non

po-

potuit, sed per processionem substantialem. Multò minus valet elusio Theophilacti, *de meo accipiet*, idest de meo thesauro, qui est Pater; nam præcluditur via taliter interpretandi per verba subsequentia, *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Ergo quamuis possint intelligi de scientia Patris, tamen quia hæc est etiam Filij, etiam sequitur quòd eam Spiritus à Filio accipiat; aliòquin non esset verum dictum Christi.

Dices, Christus explicitè dixit Io:15. Spiritum Sanctum procedere à Patre, non tamen dixit, à se procedere. Ergo ideo reticuit, quia non procedit.

Nego consequentiam. Primò quia (vt obseruat hìc diuus Tho:) ómnia quæ in scripturis dicuntur de Patre, debent etiam dici de Filio, licèt opponatur dictio exclusiua, exceptis ijs, in quibus opponuntur, quod probat primò ex illo Matthæi 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater*, in quo non excluditur quòd Filius cognoscat seipsum; sicut cum dicit, *neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*, non excludit, quòd Pater cognoscatur à se, & à Spiritu. Deinde ex illo Matth. 16. *caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*, non excluditur quòd etiam ipse Petro reuelauerit. Præterea Christus dicit, Paracletum à Patre procedere, suam processionem omittens, ex motiuo humilitatis, suam gloriam reticendo. 3. Quia hoc ipsum quod est procedere à

filio, habetur à Patre, tamquàm à primo principio, à quo in filium deriuauit spirandi virtus. Per hoc autem non exclusit suam spirationem actiuam. Cum enim dixit, Spiritum Sanctum esse spiritum veritatis, vtique voluit inferre, illum à se procedere, qui est essentialiter veritas, vt obseruat Cyrillus in ep. quam scripsit ad Nestorium ex Concilio Alexandrino, in qua hæc habet, *spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est; vnde ab isto similiter, sicut à Patre procedit*. Et hanc Epistolam in omnibus approbarunt Concilia, Ephesinum, Synodus quarta Generalis act. 1. & 5. Synod. V, act. vlt. Synod. VI. act. 17. & Synodus VII. act. 7.

Ob. 2. In symbolo Synodi Constantinop. ita fuit definitum. *credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum*, &c. Vbi nulla fit mentio processionis à filio. Idem legitur in symbolo Concilij Nicæni. Immò in Concilio Ephesino cap. 7. prohibetur sub anathemate aliam fidem profiteri. Et Leo III. Rom. Pont. qui præfuit Ecclesiæ circa annum 800. iussit, hoc symbolum argentea sculptum lamina; absq; illa additione, *Filioque procedit*, reponi sub altari, iuxta corpus diui Pauli, vt refert Magister in 1. d. 11. litt. B. Ergo cùm illa additio facta fuisset ducentis ante annis, videtur fuisse ab illo reprobata.

Resp. 1. Non fuisse in talibus Concilijs,

lijs explicitè positum hunc articulum, quia ad illa vsque tempore, tenebatur vt certa hæc processio, & nullus vmquam de illa dubitauit. Surgentibus deinde hæresibus, oportuit illas redargui per alia Concilia, non constituendo noua symbola, neque nouos articulos condendo, sed veteres debitis particulis explicando. Sicut ergo ipsum Conc. Constanipolitanum allatum à Græcis, addidit Symbolo Nicæno *ex Patre procedentem*, aduersùs Macedonianos hoc negantes: & Concil. Calcedon eid. symbolo addidit, *Spiritum Sanctum non ingenitum, neque genitum*; ita potuit Ephesinum addere, *filioque procedit*. Quia hoc non est contradicere Niceno symbolo, in quo nihil est contrarium, sed illud explicare. Prohibitio ergo Ephesini aliam fidem profitendi, non cadit supra nos, qui non profitemur nouam fidem, sed veterem explicamus. Cùm enim in illo Concilio solùm fuerit definitum, dari Spiritum Sanctum, & nihil fuerit definitum de eius processione, consentaneum deinde fuit, quòd retenta hac fide, de illius processione definiretur, quæ definitio cùm sit conformis doctrinæ de Spiritu Sancto, non est noua fides, neque veteris contrarietas, sed eius explicatio, & confirmatio. Et idem dicimus de facto Leonis III. quo talis Pontifex voluit ostendere, à se in omnibus approbari illud symbolum, non autem

reprobari congruam eiusdem explicationem.

Ob.3. In Conc. Ephes. citat. quod est tertium Generale, lectum fuit symbolum Nestorij, cum refutatione anathematum Cyrilli, quam panxerat Theodoretus, in quibus habebatur, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, nec tamen Patres damnarunt hoc assertum. Ergo illud approbarunt.

Nego consequentiam. Et dico, non semper in Concilijs explicitè damnari quidquid erroris in illis recitetur, quod sit extra controuersiam principalem, propter quam sunt coacta talia Concilia. Cùm ergo Ephesinum illud non fuerit coactum propter hunc errorem, sed propter alios impij Nestorij, circa hunc Patres habuerunt se merè præcisiuè, eius damnationem remittentes ad alia Concilia. Nè autem eius silentium videretur tacita approbatio, iuxta legem, *qui tacet, consentire videtur*, ideo Patres voluerunt, in eodem Concilio legi epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua disertè hic error confutabatur, & apertissimè oppositum dicebatur. Cùm ergo illam in omnibus approbassent, & nullo modo approbassent symbolum Nestorij, sequitur euidenter, reprobasse etiam errorem oppositum, saltem indirectè, cùm sit euidens consequentia ad reprobationem vnius, aperta, & manifesta approbatio oppositi.

Ob.4. Damascenus lib.4.c.11, ait, *Ex*

Fi-

Filio Spiritum non dicimus, Spiritum verò filij nominamus. Et Greg. Nazianz. in or. ad Episcopos Ægypti ait, *omnia quæ habet Pater, habet Filius, excepta causalitate*. Ergo per hos Sanctos Spiritus non procedit à filio. Præterea Basil. ep.43. ait, *nullam, secundum propriam notionem, communionem habet filius cum Patre*. Cùm ergo vna ex notionibus Patris sit spiratio actiua, in hoc non conuenit cum filio.

Resp. primò, Damascenum vt in hoc errantem damnari à diuo Tho: hic q.36. ar.2. ad 3. dicente, *hunc errorem secutus fuit Theodoricus Nestorianus, & plures post ipsum, inter quos fuit etiam Damascenus; vnde in hoc eius sententiæ non est standum*. Quia tamen initio primi articuli inclinauimus in eius defensionem, ideò placet hìc, cum bona venia diui Thomæ, sentire cum Valentia 1.to. disp. 2.q.10.p.2. dicente, *agere ibi Damascenum de modo loquendi, nempe vt processio Spiritus Sancti à filio potiùs per particulam* per, *quàm*, ex, *significetur, vt simul indicaretur contra Macedonium procedere ex Patre*. *Quòd autem rem non neget Damascenus, patet ex cap.18. eiusdem libri, vbi Spiritum Sanctum vocat imaginem filij*. Cùm ergo ad rationem imaginis requirantur expressio, & processio, vt probauimus disput.4. artic. 1. sequitur quòd Spiritus, procedat à filio.

Durandus in 1.d.11.q.1. ad 3. ait, Da-

reprobari congruam eiusdem explicationem.

Ob. 3. In Conc. Ephes. citat. quod est tertium Generale, lectum fuit symbolum Nestorij, cum refutatione anathematum Cyrilli, quam panxerat Theodoretus, in quibus habebatur, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, nec tamen Patres damnarunt hoc assertum. Ergo illud approbarunt.

Nego consequentiam. Et dico, non semper in Concilijs explicitè damnari quidquid erroris in illis recitetur, quod sit extra controuersiam principalem, propter quam sunt coacta talia Concilia. Cùm ergo Ephesinum illud non fuerit coactum propter hunc errorem, sed propter alios impij Nestorij, circa hunc Patres habuerunt se merè præcisiuè, eius damnationem remittentes ad alia Concilia. Nè autem eius silentium videretur tacita approbatio, iuxta legem, ***qui tacet, consentire videtur***, ideo Patres voluerunt, in eodem Concilio legi epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua disertè hic error confutabatur, & apertissimè oppositum dicebatur. Cùm ergo illam in omnibus approbassent, & nullo modo approbassent symbolum Nestorij, sequitur euidenter, reprobasse etiam errorem oppositum, saltem indirectè, cùm sit euidens consequentia ad reprobationem vnius, aperta, & manifesta approbatio oppositi.

Ob. 4. Damascenus lib. 4. c. 11, ait, *Ex*

Fi-

Filio Spiritum non dicimus, Spiritum verò filij nominamus. Et Greg. Nazianz. in or. ad Episcopos Ægypti ait, *omnia quæ habet Pater, habet Filius, excepta causalitate.* Ergo per hos Sanctos Spiritus non procedit à filio. Præterea Basil. ep. 43. ait, *nullam, secundum propriam notionem, communionem habet filius cum Patre.* Cùm ergo vna ex notionibus Patris sit spiratio actiua, in hoc non conuenit cum filio.

Resp. primò, Damascenum vt in hoc errantem damnari à diuo Tho: hìc q. 36. ar. 2. ad 3. dicente, *hunc errorem secutus fuit Theodoricus Nestorianus, & plures post ipsum, inter quos fuit etiam Damascenus; vnde in hoc eius sententiæ non est standum.* Quia tamen initio primi articuli inclinauimus in eius defensionem, ideò placet hìc, cum bona venia diui Thomæ, sentire cum Valentia 1. to. disp. 2. q. 10. p. 2. dicente, *agere ibi Damascenum de modo loquendi, nempe vt processio Spiritus Sancti à filio potiùs per particulam* per, *quàm*, ex, *significetur, vt simul indicaretur contra Macedonium procedere ex Patre. Quòd autem rem non neget Damascenus, patet ex cap. 18. eiusdem libri, vbi Spiritum Sanctum vocat imaginem filij.* Cùm ergo ad rationem imaginis requirantur expressio, & processio, vt probauimus disput. 4. artic. 1. sequitur quòd Spiritus, procedat à filio.

Durandus in 1. d. 11. q. 1. ad 3. ait, Da-

mascenum, ante promulgationem articuli, de processione Spiritus à filio, verè illam negasse; sed post promulgationem cautè locutum esse, *non dicimus Spiritum ex filio*, loquendo in sensu communi Græcorum, neque asserendo, neque negando. Sed hæc defensio non satisfacit; nam sciens definitionem Ecclesiæ, oppositam communi errori Græcorum, nè inuidiam sibi Schismaticæ nationis conciliaret, maluit latibulum quærere sub communi vocabulo, *non dicimus*, quàm palam sub vexillo pugnare veritatis. Vnde posset contra ipsum formari hoc validum argumentum, quando dixit, *non dicimus*, vel se cum errantibus contribulibus numerauit, vel non? Si primum, ergo errauit cum illis, etiam post definitionem Ecclesiæ, & meritò incidit in censuram diui Thomæ. Si secundum, ergo mentitus est in iniuriam catholicæ veritatis.

Dico igitur, Sanctum Doctorem numquam negasse processionem Spiritus à filio, sed illam semper obscurè propugnasse, propter metum Græcorum, & in hoc solo errasse, quòd in re tanti momenti, debebat clarè profiteri catholicam veritatem. Atque adeo cùm dixit, *non dicimus ex filio Spiritum Sanctum*, se connumerauit cum errantibus, non tamen secundùm id, in quo errabant, nempe secundùm processionem quoad substantiam, sed solùm secundùm id, in quo non errabant, nempe secundùm mo-

modum processionis; neque enim Spiritus est ex filio, sicut ex Patre, nam ex illo non est, tamquam ex primo principio, ex se habente virtutem spiratiuam, sicut est ex Patre. Et ideo postquàm asseruit, *ex filio Spiritum non dicimus*, statim addidit, *sed spiritum filij nominamus*, quod significat eius processionem à filio, vt diximus in 1.ar. Et vt exprimeret diuersitatem quoad modum, addidit, *quemadmodum ex Sole radius, & splendor; ipse enim fons est radij, & splendoris*, (loquens de Patre) *at per radium nobis splendor tribuitur*. Sicut ergo radius est à Sole, & splendor à Sole per radium; ita Spiritus est à filio, tamquam splendor à radio; & est à Patre per filium, tamquam per radium, immediatè à Patre deriuantem, modo infra explicando. Videatur Fasol. q.36.ar.2.n.3. egregiè pugnãs pro S.Doctore.

Resp. 2. Nazianzenum negasse solùm filio causalitatem in ipsum filium, nempe *generare*, non autem causalitatem in Spiritum Sanctum per *spirare*, vsurpando terminum *causalitatem*, prò potentia productiua, more Græconicum. Hoc autem apertè colligitur 1. ex or. 5. de theol. in qua quærens, cur Spiritus non sit filius, ait, *nihil deesse illi dicimus; verum manifestationis, mutuaque eorum relationis differentia, diuersa quoque ipsis nomina procreauit*. Vnde sequitur, per Nazianzenum Spiritum Sanctum, & filium differre solùm per mutuam rela-

ita Spiritus procedit à filio. Vocauit autem illum verbum filij, non quòd verè illi conueniat esse verbum ad intra, sed quòd dicatur ad extra, vt dicitur ad Heb. 1. *portansque omnia verbo virtutis suæ*, hoc est quòd sicut filius dicitur verbum patris, quia est locutio illius ad intra, ita cùm Spiritus sit locutio filij ad extra, dicitur eius verbum. Et c. 12. eiusd. lib. ait, *Spiritus est ex Deo per filium, non vocatur autem filius filij, ne Tri[illegible]utetur esse infinita multitudine, [illegible] aspecta sit, filios ex filijs habere, quemadmodum fit in hominibus*. Ergo neque Basilius est contra nos.

ARTICVLVS III.

Soluuntur alia argumenta Græcorum.

OB. 5. Spiritus Sanctus est vnus. Ergo debet ab vno procedere. Probatur consequentia, 1. quia sufficienter, & perfectissimè à solo Patre procedit. Ergo superflua est processio à filio. 2. Quia Spiritus Sanctus est simplicissimus. Ergo non potest procedere à duobus; aliter causa esset composita, & effectus simplex, quod repugnat.

Distinguo consequens debet procedere ab vno suppositaliter, nego; ab vno in ratione principij, concedo consequentiam. Nam etiam creaturæ singulæ, licèt vnæ, procedunt à triplici diuino supposi-

si-

hypotesim impossibilem, ex qua sequitur vtraque pars contradictionis, sicut sequeretur, si conciperemus, dari solùm in homine rationalitatem, ablata animalitate. Nam sicut daretur homo, & non daretur, ita virtus Patris esset, & non esset sufficiens ad Spiritum Sanctum.

Ob.6. Si Spiritus non procederet à filio, adhùc procederet à Patre. Sed in diuinis non differunt esse, & posse. Ergo si posset in tali hypothesi existere per solam processionem à Patre, de facto ab illo solo procedit.

Nego maiorem. Cùm enim fiat hypothesis impossibilis, infert vtrumque contradictorium. Neque quidquam euincitur per illud axioma, quia non est verum, nisi *posse* supponat prò potentia reali. Cùm ergo in casu nostro supponat prò chimærica, non potest inferre existentiam realem; alioquin neque de facto procederet à Patre, quia possumus de illo loqui, vt à se existente, ex hypothesi quòd non procederet à Patre.

Ob.7. Spiritus noster in nobis non procedit à nostro verbo. Ergo neque Spiritus Dei à Verbo ipsius.

Distinguo antecedens, Spiritus noster, hoc est noster amor, non procedit à nostro verbo mentali, nego: à verbo vocali, concedo antecedens. Et distinguo consequens, Spiritus Dei non procedit à verbo interno ipsius Dei, nego: à verbo externo, idest ab illa apparentia, seu signis externis, quibus Deus nobiscum loqui-

tur,

tur, concedo consequentiam, quæ non facit ad rem. Retorqueo igitur argumentum, noster amor de obiectis procedit ex notitia, seu verbo, quod formamus ipsorum. Ergo etiam amor Dei ad intra procedit ex Verbo Patris intelligentis.

Ob. 8. Nihil procedit ab eo, in quo quiescit. Sed Spiritus S. quiescit in filio, vt dicitur in legenda S. Andreæ, *pax vobis, & vniuersis, qui credunt in vnum Deum Patrem, & vnum eius filium, & in Spiritum Sanctum procedentem ex Patre in filio permanentem*. Ergo Spiritus Sanctus non procedit à filio.

Nego maiorem: nam etiam filius dicitur manere in Patre, à quo procedit. Dicitur ergo Spiritus quiescere in filio, vt amor in amante, vel secundùm naturam assumptam, vt dicitur Ioan. 1. *super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat*. Vel ergo est sermo de immanentia ad intra, & conuenit etiam filio, respectu Patris; vel de immanentia ad extra, & non facit ad rem, quia neque probat processionem, neque eius negationem.

Ob. 9. Non minùs conuenit cum Patre Spiritus, quàm Filius, cui sunt omnino æquales. Sed Spiritus non conuenit cum Patre secundùm generationem Filij. Ergo neque filius secundùm spirationem Spiritus Sancti.

Distinguo maiorem cum Duran. in 1. d. 11. q. 1. ad. 1. Non minùs conuenit cum Patre Spiritus, quàm Filius, quoad absolu-

luta, & essentialia, concedo: quoad relatiua, & notionalia, nego. Et admissa minori, nego consequentiam. Ad probationem de æqualitate, dico quòd cùm hæc attendatur præcisè secundùm essentialia, & absoluta, verè omnes Personæ sunt æquales, vt videbimus. Hinc tamen non sequitur, quòd omnes Personæ æqualiter participent de relatiuis; aliòquin ab inuicem non distinguerentur. Ergo filius participat de virtute spiratiua Patris, licèt spiritus non participet de generatiua.

Ob. 10. Gabriel, & Raphael, absque vllo ordine originis, procedunt à Deo, vt specie distincti. Ergo etiam diuinæ Personæ.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia Angeli habent compositionem ex genere, & differentia, per quam speciè distinguuntur, quam non habent diuinæ Personæ. Ergo nisi hæ distinguantur in via originis, non haberent per quid distinguerentur. Alia Græcorum argumenta vide penes Bellarminum to:1.disp. 2.lib.2.c.27. vbi fusè afferuntur eorum solutiones.



AR-

ARTICVLVS IV.

An Spiritus Sanctus distingueretur à filio, si ab illo non procederet?

NEgant Thomistæ cum diuo Thoma hic q.36.ar.2.in corp. Contra verò affirmant Scotistæ cum Scoto in 1. d. 11. q.2. Sed (vt ingenuè loquar) huiusmodi quæstio plus habet apparentiæ, quàm veræ soliditatis. Siquidem si benè percipiantur termini theologici, vix vllus remanet ambigendi locus, & libenter illam vt inutilem omisissem, nisi vtrinque haberet magni nominis authores. Quia ergo communiter tractatur, ideo & nos illam maiore qua possumus breuitate, exagitabimus.

Conclusio, *Si Spiritus Sanctus non procederet à filio, nullo modo distingueretur ab illo*. Ita Egid.in 1.d.11.ar.1.q 3. Greg.Arim.in 1.d.11. qu.vnic.ar.2. cum omnibus Thomistis.

Probatur euidenter ex dictis disp.20. ar.5. Est de ratione filii, vt est formaliter filius, dicere intrinsecum,& essentialem respectum originis actiuæ ad Spiritum Sanctum. Ergo ablato hoc respectu, non esset amplius filius; adeòque non distingueretur à Spiritu Sancto. Consequentia est euidens. Cùm enim tota ratio distinctiua sit filiatio, & spiratio, vtraque ablata, nihil remaneret, per quod distinguerentur. Ablato autem hoc re-

spe-

ſpectu, tolleretur ſpiratio ex hypotheſi, & filiatio ex illa formaliter conſtituta. Ergo tolleretur tota ratio diſtinctiua. Antecedens probatur 1. Per diuum Auguſtinum lib. 5. de Trin. cap. 14. Spiritus non eſt filius, quia non procedit vt natus ſed vt datus. Ad rationem autem natiuitatis requiritur fæcunditas, vt dictum eſt loc. cit. Ergo ideo Spiritus non eſt filius, quia non procedit vt fæcundus; & à commutata ratione ideo filius eſt filius quia procedit vt fæcundus. At ſi non ſpiraret, non procederet vt fæcundus. Ergo non eſſet filius.

2. Ideo ratio ſuppoſiti, ſeu Perſonæ communicatur ex vi proceſſionis Amori, quia non inuoluit formaliter reſpectum originis ad illum. Ergo ſi filiatio non inuolueret formaliter reſpectum originis ad Amorem, etiam ipſa communicaretur. Intantum ergo non communicatur, inquantum in ſua ratione formali intrinſeca, includit reſpectum originis ad Amorem, vel ſaltem eſſentialem, & neceſſariam connexionem cũ ſpiratione actiua, ratione cuius redditur incommunicabilis.

3. Vel ſpiratio actiua conſtituit filium, in eſſe filium, vel non? Si primum, ergo illa ablata, non remaneret formaliter filius. Si ſecundum, ergo illi quodammodo accidit, vt forma diſparata; atque adeo non eſſet in illo ratio diſtinctiua, quæ ſemper debet eſſe conſtitutiua, vt probatum eſt in diſp. met. & hic diſp. 16.

4. Spi-

4. Spiratio actiua est proprietas personalis Patris, ac filij, vt probatum est disp. 19. ar. 9. Ergo constituit formaliter vtrumque in esse formaliter tales. Probo consequentiam, si Pater non constitueretur formaliter in esse Patrem, etiam per spirationem actiuam, Spiritus Sanctus non distingueretur à Patre, nisi in esse spiratum, & spirantem, cum omnimoda conuenientia in omnibus alijs. Sed hoc est hæreticum, eò quia faceret Spiritum Sanctum Patrem filij, à quo spiratur. Ergo Pater constituitur formaliter in esse Patrem, non solùm per generare, sed etiam per spirare.

Dices, ergo spiratio actiua, vt proprietas Patris, esset filio incommunicabilis, quòd est erroneum.

Nego consequentiam, primò quia spiratio non est proprietas Patris, nisi vt modificata paternitate, vt dictum est loc. cit. Non communicatur autem secundũ modificationem, sed secundùm puram virtutem spiratiuam. Deinde non omnia, quæ ingrediuntur conceptum formalem intrinsecum vnius Personæ, sunt alteri incommunicabilia; nam essentia inuoluitur in conceptu formali intrinseco cuiuscunque Personæ (siquidem Personæ constituitur formaliter ex natura, & subsistentia, vt probauimus in disput. inct lib. 2. disp. 3. ar. 1.) & tamen est omnibus communis. Illud ergo solùm est incommunicabile in diuinis, quod habet rationem formæ intrinsecè denominantis

nantis

nantis talem naturam suppositatã, cuiusmodi est sola subsistentia. Cùm ergo in Patre forma intrinsecè denominãs sit paternitas, sicut in filio est filiatio, ideo illa sola est filio incommunicabilis. Dixi *filio*, quia licèt spiratio actiua ex isto capite posset communicari etiam Spiritui Sancto, tamen quia illi opponitur in via originis, ideo redditur illi incommunicabilis ex alio capite.

Instabis, spiratio actiua non est proprietas personalis Patris, ac Filii. Ergo non est illorum constitutiua.

Distinguo antecedens, non est proprietas personalis Patris, ac Filii, in esse formaliter Patrem, ac Filium, concedo: in esse primam, ac secundam Personam, nego antecedens. Et distinguo consequens, illos non constituit in esse Patrem, ac filium, transeat: in esse tales Personas, nego consequentiam, cùm oppositum statuerimus disp. 16. ar. 9. Dixi *transeat*, quia proprietas personalis intelligitur propria illa, quæ primò intelligitur aduenire personæ, & nullam aliam supponit, vt sunt paternitas, & filiatio. Hoc tamen non tollit, quòd etiam secunda, (quæ dicitur à diuo Thom. proprietas personæ, & non personalis) realiter non constituat personã. Sicut enim in essentia concipimus attributa, vt perfectiones secundarias, adeòque illa excludimus à conceptu formali metaphysico essentiæ, non tamen excludimus à conceptu, & constitutione reali illius,

se-

secundùm quam omnes sunt æquè primæ; ita in personis, licèt secundùm nostrum modum concipiendi, vna dicatur per prius ad alias, tamen secundùm realitatem, omnes sunt æquè primò constitutiuæ. Quia ergo solùm metaphysicè distinguimus à prima, & secunda persona esse Patrem, & filium, ideo possunt secundùm istam præcisionem, constitui formaliter per vnam proprietatem, & non per aliam, quod non valet in esse primam, & secundam personam, secundum quam considerationem attendimus totum illud, quod est realiter ex parte obiecti, in vtraque persona.

Dices 3. Spiratio actiua non est de ratione filij, vt est formaliter filius, sed solùm vt est secunda persona. Ergo circumscripta spiratione actiua, tolleretur quidem ratio secundæ personæ, non tamen ratio filij, secundum quam adhùc distingueretur à Spiritu Sancto.

Primò retorqueo argumentum, ablata spiratione actiua, cum retentione filiationis, auferretur à filio esse secundam personam. Ergo vel esset prima, vel tertia, vel neutra. Non prima, quia vt filius illi opponeretur. Nec neutra, quia excluderetur à Trinitate. Ergo esset tertia persona, à qua proinde non distingueretur. Deinde nego consequentiam, quia cùm ratio filii fundetur formaliter in esse secundam personam, hac ablata, non potest intelligi remanere filiationem; aliter remaneret relatio in abstra-

cto,

cto, circumscripto concreto relatiuo, quod repugnat. Sicut ergo licet esse sensitiuum, non constituat formaliter in homine esse rationale, non tamen potest intelligi remanere in illa rationale, circumscripto animali, cuius est proprium esse sensitiuum, ita non potest intelligi remanere in filio filiationem, circumscripta ratione secundæ personæ, cuius est proprietas spiratio actiua.

Dices 4. Priùs innotuit filius æternus, quàm Spiritus Sanctus. Ergo debuit esse in Ecclesia sufficiens conceptus filij; & nati, etiam præciso respectu ad Spiritum Sanctum.

Distinguo antecedens, priùs innotuit conceptu aliquo confuso, & incompleto seu inadæquato, concedo: adæquato, & claro, nego antecedens, & cum illo consequentiam. Sicut enim prius quàm innotesceret Trinitas Personarum, habebatur in veteri testamento, confusior conceptus de Deo; ita de filio, prius quàm cognosceretur ordo, quem habet ad Spiritum Sanctum.

Dices 5. Si Filius non esset formaliter Filius, nisi acciperet naturam fœcundam, nec Pater esset formaliter Pater, nisi illam daret. Ergo etiam Pater vt Pater includeret formaliter respectum ad Spiritum Sanctum, adeòque nec ipse posset intelligi sine spiratione, quod pugnat cum dictis disp. 13. ar. 5.

Nego postremam consequentiam. Et dico, in loco citato accipi Patrem secun-

dùm

dùm constitutionem, metaphysicam, secundùm quam includit solam paternitatem. Hìc autem loquimur secundùm constitutionem physicam, & in sensu reali, secundùm quam includit vtramq; relationem, per quas constituitur in esse primam personam. Ergo nulla est contradictio. Prò cuius intelligentia, dico, Filium posse considerari vt est purus terminus productionis ad intra per intellectum, seu vt est formaliter Verbum, & vt est genitus, seu natus. Sub prima consideratione non dicit, nisi respectum ad producentem, seu dicentem, tamquam ad sui principium, & sub secunda dicit etiam respectum ad Spiritum Sanctum. Licèt enim realiter dicat vtrumque respectum, tamen potest metaphysicè considerari sub vno, & non sub alio.

Dices demum, ablato hoc secundo respectu, non intelligeretur formaliter remanere Filium, & ideo non distingueretur à Spiritu Sancto. Ergo includit spirationem actiuam essentialiter, & formaliter, non solùm vt est secunda persona, sed etiam vt Filius.

Distinguo antecedens, non intelligeretur formaliter remanere Filium, si ly *formaliter*, dicat formam, seu constitutiuum intrinsecum, concedo: si dicat formalitatem metaphysicam, nego antecedens. Et distinguo consequens dicit formaliter respectum ad S.S. hoc est tamquam constitutiuum essentiale, concedo: hoc est tamquam formalitatem propriam

priam

priam metaphysicam, nempe quòd hic respectus inuoluatur formaliter in conceptu metaphysico, & formalitate filiationis, nego consequentiam.

ARTICVLVS V.

Soluuntur Obiecta.

OB. 1. Quæstio hæc procedit purè metaphysicè, & ab hypothesi impossibili, quòd remaneant omnes Personæ, ablato solo respectu originis à Filio ad Spiritum Sanctum; ea planè ratione, qua quærimus, an daretur peccatum, ex hypothesi impossibili negationis Dei, supponendo per impossibile, quòd remaneant creaturæ liberæ, cum tota indifferentia, quam nunc habent. Ergo male soluitur quæstio, dicendo quòd non remaneret Filius. Hoc enim destruit hypothesim, ex cuius sola constantia procedit quæstio.

Nego consequentiam. Et dico, hypothesim impossibilem esse duplicis generis. Nam alia dicit impossibilitatem, seu repugnantiam intrinsecam ipsi subiecto de quo est quæstio, vt siquis quæreret, an homo discurreret, ex hypothesi quòd non esset rationalis? Et hæc dicitur hypothesis implicans in ipsis terminis, & nullum potest ex illa argumentum formari, quia semper ex illa sequitur vtraque pars contradictionis. Alia dicit impossibilitatem extrinsecam subiecto,

& ex hac possumus argumentari, quia non repugnat in ipsis terminis, vt est allata in argumento, ex negatione existentiæ Dei, ad malitiam peccati. Et ratio est, quia implicantia Dei traheret quidem implicantiam creaturarum, non tamen de formali, sed solùm virtualiter, & consecutiuè; adeòque possumus adhùc retinere conceptum formalem adæquatum hominis, præciso metaphysicè omni respectu ad Deum, quem vt homo non dicit formaliter, & intrinsecè, sed solùm vt creatura ad creatorem, quod est extra conceptum formalem quidditatiuum hominis. Hoc posito, quia nos asseruimus, esse de conceptu formali intrinseco Filij, vt Filius est, accipere naturam fæcundam à Patre, iam Filius dicit de formali respectum ad Spiritum Sanctum, vt terminum passiuum suæ productionis. Ergo si loquamur de illo, ex hypothesi ablationis talis respectus, loquimur repugnantia in ipsis terminis, & non concludimus, nisi contradictoria. Quare tota hæc quæstio reducitur ad hoc, an Filius dicat de formali respectum ad Spiritum Sanctum, quo stabilito, conciliantur authores.

Ob. 2. Filius constituitur formaliter in esse Filium, per generari, sicut Amor per spirari. Sed præciso à Filio respectu spirationis actiuæ, adhùc remaneret in illo generari, & in Amore spirari à Patre. Ergo adhùc distinguerentur, eò quia Filius, vt Filius sit formaliter Verbum,

quod

quod non est formaliter Amor.

Nego minorem. Cùm enim ad generari requiratur acceptio naturæ fœcundæ (vt dictum est) præciso hoc respectu, non potest intelligi remanere generari. Quare si per impossibile non daretur tertia Persona, secunda non esset Filius, quia non generaretur, sed produceretur à Patre.

Ob.3. Priùs, & principaliùs Personæ distinguuntur per relationes, quàm per origines, vt probat Angelicus q.40.ar.2. Ergo si præciso respectu originis remanerēt relationes, remaneret sufficiens earum distinctiuū. Cōsequentia patet. Antecedens probatur, per illud distinguuntur Personæ, per quod constituuntur formaliter in esse tales. Sed constituuntur formaliter per relationes, & non per origines, vt probatum est disp.16.ar.6. & seqq. Ergo per illas, & non per origines distinguuntur. Sed præcisa origine Spiritus à Filio, remanerent relationes paternitatis, filiationis, & processionis à Patre. Ergo adhùc Personæ distinguerentur.

Nego minorem subsumptam, propter rationem toties inculcatam, quòd filiatio, vt formaliter talis, non solùm sit respectus productionis passiuæ ad Patrem, sed etiam dicat respectum spirationis actiuæ ad Spiritum Sanctum, quo præciso, non remanet adæquatum constitutiuum filiationis, sed solum inadæquatum; & ideo non remanet Filiatio.

Ob.4. Si supponamus, Spiritum San-

ctum à solo Filio procedere, adhùc distingueretur à Patre, eò quia (vt docet diuus Tho: loc.cit.) *origo, seu processio non significetur vt aliquod intrinsecum, sed vt via quadam à re, vel ad rem.* Ergo etiam distingueretur à Filio, si procederet à solo Patre.

Nego antecedens. Quamuis enim origo non significetur vt aliquid constitutiuum intrinsecum, tamen fundat relationem, quæ intrinsecè constituit, vt proprietas personalis. Ablata igitur origine, auferretur relatio, per cuius ablationem auferretur ratio intrinseca Personæ, adeòque ipsa Persona, que proinde non posset fundare distinctionem ab alijs.

Ob. 5. De facto Spiritus Sanctus, nulla facta suppositione, distinguitur à Filio, vt Filius est. Sed à Filio vt Filio non potest distingui per oppositionem originis, quia ab illo non procedit vt Filio, sed vt spiratore. Ergo non ideo distinguitur à Filio, quia ab illo procedit, sed quia habet relationem personalem, quæ exigit distingui à relatione personali Filij. Sed hanc retineret, etiam ex hypothesi, quòd non procederet ab illo. Ergo adhùc retineret distinctionem ab illo.

Nego minorem. Quamuis enim Spiritus non opponatur immediatè Filio, vt Filio, opponitur tamen mediatè, vt dictum est disp. 12. ar. 6. qua sola oppositione cessante, sicut non posset intelligi rema-

manere Filium, ita nec eius distinctionem à Spiritu Sancto.

Ob.6. Quidquid potest Filius, accipit à Patre. Sicut ergo Pater dedit Filio virtutem spiratiuam, per quam ipse Pater, vt principium inadæquatum, spiraret amorem, ita potuisset se solo per modum principij adæquati, illum spirare. Sed in tali hypothesi Spiritus Sāctus esset idem omninò qui nunc est, quoad prædicata intrinseca personalia. Ergo sicut nunc distinguitur à Filio, etiam tunc distingueretur. Quòd autem potuisset Pater non dare Filio virtutem spiratiuam, probatur 1. Sicut Pater intelligendo se ipsum producit Verbum, quod est terminus intrinsecus suæ intellectionis notionalis; ita cognoscendo se, vt infinitè bonum, potuisset se solo producere amorem, qui sit terminus ad intra suæ volitionis notionalis. Deinde Pater vt Pater, prò illo priori originis, quo intelligitur potens spirare, habet potentiam, & virtutem proximam spirandi perfectissimam, & sufficientem. Ergo per illam immediatè, absque alterius consortio, potest adæquatè producere Spiritum Sanctum. Cùm enim in hoc nulla inuoluatur contradictio, potest metaphysicè concipi vt non repugnans. Sed si taliter produceret Spiritum Sanctum, non produceret illum intrinsecè diuersum, ab eo qui nunc est. Ergo adhùc distingueretur à Filio.

Nego consequentiam, quæ solùm va-

leret, si Pater liberè daret Filio virtutem spiratiuam. Cùm ergo illam det ex naturali necessitate, vt probauimus disp. 18. ar. 10. ideo non potuit illam non dare. Et ratio est, quia cùm in æternis sit idem posse, & esse, si posset Pater se solo spirare, absque cooperatione Filij, defacto ita spiraret, cuius oppositum statuimus ar. 1. Ad 1. probationem nego paritatem. Disparitas est, quia Verbum est terminus primæ operationis paternæ; Amor autem est terminus secundæ. Ergo illud est à solo principio intellectiuo; hic autem ab intellectiuo, & volitiuo cooperantibus. Ad 2. Nego consequentiam. Cùm enim sufficientia paternæ virtutis sit vna, & eadem indiuisa cum virtute Filij, si hæc intelligatur ablata in Filio, non potest intelligi remanere in Patre, vt diximus ar. 3. ad 5. & probatur euidenter paritate omnipotentiæ, licèt essentialis. Vt autem omninò tollatur difficultas, placèt hìc aliquantò altiùs doctrinam examinare.

De conceptu naturæ intellectiuæ est, vt per suam primam operationem constituatur in ratione intelligentis, atque vt intelligendo det obiecto quod intelligit, quoddam esse intellecti, & dicti, quod esse intellecti, & dicti nomine verbi, & imaginis significatur, vt obseruat Esparsa hìc q. 42. ar. 3. Et ratio est, quia cùm Deus intelligat intellectione essentiali improducta, non potest dicere sibi obiecta, neque habere eorum imagines, nisi

nisi producat in se intellectionem purè passiuam, quæ simul habeat rationem Verbi, quatenus exprimit totum id, quod Pater intelligit, & imaginis, quatenus illud idem Patri intelligenti, & dicenti repræsentat, vt est in se. Quare & est imago Patris, quatenus est cognitio, qua Pater cognoscendo se ipsum, constituitur per illam in esse cogniti, & est imago aliorum obiectorum, quatenus est cognitio, qua illa respectu Patris, constituuntur in esse cognita. Ergo ad hoc vt Pater producat Verbum, non requiritur alterius Personæ cooperatio. Ad hoc autem vt producat amorem, quia hic non potest esse de bono incognito, requiritur concursus ipsius Verbi, quod non potest pura conditio, vt dictum est ar.1.in fine.

Dices, in creatis per vnam, eamdemque intellectionem constituitur principium intellectiuuum, in esse actu intelligentis, & obiectum in esse actu intellecti. Ergo hinc non probatur in diuinis productio Verbi, vt est intellectio purè passiua, distincta realiter ab actiua.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia principium intellectiuum creatum intelligit per intellectionem à se productam, sibi intrinsecè immanentem, & inhærentem, vt qualitatem realiter distinctam; Deus autem per intellectionem essentialem, & improductam. Cùm ergo de ratione verbi sit, quòd producatur; neque enim potest esse propriè verbum,

nisi sit vera dictio, & dictio non potest esse, nisi detur productio dicens, ideo intellectio actiua in Deo non potest esse verbum, sicut potest in creatis. Idem dico de imagine, de cuius ratione est, vt producatur ad similitudinem prototypi. Ergo potest quidem dari in intellectione actiua creata, non autem in diuina.

Vrgebis, ergo Deus per solam intellectionem actiuam non est adæquatè, & completè intelligens. Consequens est absurdum, eò quia faceret talem intellectionem imperfectam. Ergo & antecedens.

Concedo consequentiam. Ad cuius probationem dico, sequi totum oppositum, videlicèt hoc ideo esse, quia diuina intellectio est infinitè perfecta, ratione identitatis realis cum suo principio intellectiuo diuino, ratione cuius cùm sit formaliter improducta, non potest esse verbum, seu imago, vt dictum est.

Ob. 7. Spiritus Sanctus per hoc quod sit principium actiuum terminationum liberarum, videlicèt volitionum de creaturis, non amittit rationem Spiritus, neque ratione talis fæcunditatis, acquirit rationem Filij. Ergo licèt Filius amitteret respectum spirationis actiuæ, non proinde amitteret rationem Filij, adeòque adhùc distingueretur à Spiritu Sancto.

Primò nego antecedens, ex falso supposito, quòd Spiritus Sanctus sit principium actiuum terminationum liberarum.

rum. Cùm enim hæ sint adæquatè Deo intrinsecæ, non producuntur. Præterea quia sunt ad terminum contingentem, non constituunt fæcunditatem ad intra. Demum si considerentur in ordine ad terminum extra Deum, constituunt quidem fæcunditatem ad extra, sed communem toti Trinitati, quæ non sufficit ad rationem filiationis, ad quam requiritur fæcunditas, per quam propagetur natura sui principij, quod non habetur per liberas terminationes.

ARTICVLVS VI.

An Spiritus Sanctus procedat per voluntatem?

QVamuis fusè disp. 5. ar. 3. probatum sit, omnes diuinas processiones esse per actus intellectus, & voluntatis, & disp. 19. ar. 1. processionem filij esse per actum intellectus; vnde sequitur, processionem Spiritus esse per actum voluntatis, tamen placet hìc eamdem quæstionem, contractam ad solam processionem Spiritus Sancti, iterum ad trutinam reuocare, vt nonnulla quæ supererant, ad exactionem difficultatis addamus.

Videtur ergo Spiritus Sanctus non procedere per voluntatem, vt voluit Durandus in 1. d. 6. q. 2. n. 5. vbi oppositam sententiam vocat imaginationem quorumdam non bonam, cui videntur acce-

dere Ariminensis, Okam, & Ricardus, licèt hi non negent, Spiritum procedere per voluntatem, & Verbum per intellectum, sed potius negant, intellectum, & voluntatem distingui vllo modo ab essentia. Quare negant, per illos procedere vt distinctos; vnde inferunt, in diuinis non distingui principium *quod* à principio *quo*, vt acutè obseruat, & probat Fasolus q.27.ar.1.n.221.& seqq. Fundamenta possunt esse.

1. Ideo Filius procedit per modum naturæ, quia procedit à Patre vt illi consubstantialis. Sed etiam Spiritus Sanctus procedit vt consubstantialis Patri, & Filio. Ergo procedit per modum naturæ, & non per voluntatem.

2. Spiritus Sanctus procedit connaturaliter. Ergo per modum naturæ. Sed quod procedit per modum naturæ, non procedit per voluntatem. Ergo Spiritus Sanctus non procedit per voluntatem.

3. Si Spiritus Sanctus procederet per modum voluntatis, procederet modo creaturæ. Sed hoc est hæreticum, cùm eius productio maiorem habeat conuenientiam cum productione Verbi, quàm cum productione creaturarum. Ergo non procedit per modum voluntatis.

4. Actus voluntatis non potest esse, nisi ad præcognitum. Ergo si Spiritus Sanctus esset per modum voluntatis, priùs esset cognitus, quàm productus. Cùm ergo cognitio diuina ad intra sit intuitiua, & hæc sit ad terminum vt actu

exi-

existentem, antequàm produceretur Spiritus Sanctus, existeret, quod est impossibile. Ergo non procedit per voluntatem.

5. Sola artificiata procedunt per modum voluntatis. Sed Spiritus Sanctus non potest esse artificiatus. Ergo non procedit per modum voluntatis.

Conclusio, ***Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio per voluntatem.*** Ita diuus Tho. q. 27 ar. 3. Egid. in 1. d. 10. p. 1. q. 1. & 2. & communiter omnes alij.

Probatur 1. Cùm Filius procedat per intellectum, & nulla sit alia operatio in Deo, præter voluntatem, necesse est Spiritum Sanctum, vt Personam à filio distinctam, & procedentem, procedere per voluntatem.

2. Spiritus Sanctus procedit vt amor. Sed amor, vtpote qui non fertur in incognitum, est terminus secundæ operationis naturæ intellectualis, sicut Verbum est terminus primæ. Ergo est per voluntatem, de cuius ratione est operari per ductum intellectus, adeòque non ponere primam operationem. Et ideo intellectus dicitur inuentiuus, quia primò operatur, & intelligendo facit cognitum, quod est nouum obiectum, vel re, vel ratione distinctum ab ijs, quæ priùs erant. Voluntas autem non est inuentiua, quia non primò operatur, & cùm feratur circa cognita, numquam affert nouitatem obiecti, quod semper supponit, vt terminum primæ operationis.

Neque est audiendus hic Pallauicinus, qui lib. 8. n. 420. cùm alias non haberet rationes ad proterendum hoc nostrum argumentum, tandem exclamat, per illud induci opinionem Durandi. Quomodo enim inducitur opinio negans, Spiritum procedere per voluntatem, argumento directè probante processionem Spiritus per voluntatem? Neque obstat asserere primam, & secundam operationem naturæ diuinæ; siquidem de illa loquimur vt subsistente in Personis, ita, vt intellectio, & volutio fiat notionales & suppositales, vt videlicèt saluemus, Verbum procedere per intellectum dicentem Patris, & Spiritum Sanctum per voluntatem spirantem Patris, & Filij, quod penitùs euertit opinionem Durandi.

3. Ideo tertia Persona dicitur Spiritus, quia (vt obseruat hìc diuus Tho. q. 27. ar. 4.) procedit vt quædã vitalis motio, & impulsio, hoc est secundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid, prout aliquis ex amore dicitur moueri, & impelli ad aliquid faciendum. Ergo procedit vt amor, qui est actus solius voluntatis. Sicut enim intellectus intelligendo fit omnia, ita voluntas amando fit omnium. Ergo solius voluntatis est operari per impulsum, quo natura quodammodo impellitur extra se.

4. Passim Spiritus Sanctus vocatur charitas Dei, vt ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum*

tum Sanctum. Et ideo in Toletano XI. in confess. fidei dicitur, *Spiritus Sanctus charitas Patris, ac Filij esse cognoscitur*. Sed charitas est idem ac amor; vt docet Aug. lib. 15. c. 18. sub finem dicens, *dilectio igitur, quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus Sanctus est*. Ergo cùm amor procedat per voluntatem, etiam Spiritus Sanctus.

Ad 1. Nego maiorem, non quia filius non procedat vt Patri consubstantialis, sed quia hinc non habetur, quòd procedat per modum naturæ. Et ideo falsa est causalis. Procedit ergo filius per modum naturæ, quia non procedit liberè, sed necessariò necessitate naturali, hoc est ex principio intrinsecè determinato, ex sua natura, vt probauimus disp. 18. ar. 9. & seqq. quod conuenit etiam Spiritui Sancto. Hoc tamen non tollit, quòd ille non procedat per intellectum, & hic per voluntatem. Neque obstat, quòd communiter non dicantur procedere per modum naturæ. Hoc enim accidit primò, nè videantur authores sentire cum Durando asserente, has Personas procedere immediatè ex natura diuina, ratione eius fecunditatis, vt exposuimus disp. 5. ar. 3. Hoc autem facilè euitatur, explicando principium *quo* talium processionum, vt fecimus loco cit. Quo stabilito, ly *per modum naturæ*, non appellat, nisi modum producendi tales personas, qui est certus apud omnes. Deinde alij putant, non procedere per modum naturæ, nisi

nisi quod procedit in similitudinem naturæ, quam accipiat formaliter ex vi processionis, supponendo eius constitutiuũ esse actu intelligere. Cùm ergo solus filius taliter procedat, negant Spiritum Sanctum procedere per modum naturæ. Sed quia nos hanc opinionem fusè reiecimus disp. 20. ar. 3. & fusiùs reijciemus agentes de constitutiuo diuinæ essentiæ, ideo etiam Spiritum Sanctum asseruimus procedere in similitudinem, adeòque per modum naturæ.

Ad 2. Nego minorem subsumptam. Sicut enim procedere per modum naturæ, non obstat filio, quòminus procedat per intellectum; ita nec obstat spiritui, quòminus procedat per voluntatem.

Ad 3. Nego maiorem. Nam creaturæ procedunt à Deo per voluntatem liberã libertate contradictionis, & contrarietatis. At Spiritus Sanctus procedit à voluntate Patris, & filij, libera quidem à coactione, non tamen libertate contradictionis, sed necessaria necessitate concomitanti, & immutabilitatis, vt dictum est disp. 18. ar. 10. Ergo non est par ratio.

Ad 4. Respondet Argentinas in 1. d. 10. q. 1. ar. 2. ad 8. requiri quidem cognitionem ad obiectum voluntatis, non tamen ad eius terminum. Sed hæc responsio in primis non est ad rem, quia hic est sermo, non de cognitione vt sic, sed de precognitione, vt formaliter tali, quæ nõ potest competere Patri, & filio respectu

Spi-

Spiritus Sancti, neque vt obiecti, quod præexisteret sibi, neque vt termini eorum voluntatis, quia cognosceretur existere, priusquam produceretur, quæ repugnāt. Deinde falsum est, voluntatem ferri ad terminum non cognitum; siue enim tendat in illum per amorem, siue quacumq; alia ratione, semper inuoluitur cognitio bonitatis in termino, aliòquin esset volitio imprudens, & irrationalis. Nego igitur antecedens. Quia cùm actus voluntatis notionalis, per quam spiratur Spiritus Sanctus, sit idem realiter cum intellectione absoluta, qua vt obiectum cognoscitur, non potest admittere ordinem prioris, & posterioris, sed prò eodē signo, quo est volitus, est etiam cognitus, & viceuersa. Quòd si loquamur de prioritate aliqua rationis, quòd videlicèt Pater, & filius concipiantur veluti in actu primo ad Spiritum Sanctum, quem concipiamus quasi in potentia, & in statu purè obiectiuo, hoc fortasse aliquid concluderet, sed non ad rem. Primò quia essent concepius repugnantes diuinæ æternitati, & actualitati. Et deinde quia conclusio procedit in statu realitatis, & non rationis.

Ad 5. Nego maiorem, quæ non habet locum, nisi in ijs, quæ procedunt ad extra à diuina voluntate, & subsistunt in aliena natura; non autem in ijs, quæ sunt ad intra, & sunt producenti consubstantialia, sicut est Sdiritus Sanctus.

A R-

ARTICVLVS VII.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium?

VIdetur non procedere, Primò quia procederet à Patre solùm mediante filio. Ergo Pater non esset principiũ proximum, & immediatum illius, quod est erroneum.

2. Magis, & principalius procederet à Patre, iuxta illud, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Hoc autem repugnat Magistro in 1. d. 29. sub fin. dicenti, *Spiritus Sanctus non aliter procedit à Patre, quàm a filio*. Ergo non procedit per filium.

3. Vbi non est prius, & posterius, ibi non est vnum per aliud. Sed in diuinis non est prius, & posterius, vt dicitur in symbolo S. Athanasij. Ergo non habetur Spiritus per filium.

4. Si Pater per filium operaretur, etiam filius operaretur per Patrem, à quo accipit virtutem operandi. Hoc secundum non admittitur à theologis. Ergo neque primum.

5. Omne productum est posterius eo, per quod producitur. Ergo si Spiritus sanctus produceretur per Filium, eius processio esset posterior filii generatione,

ne, quod repugnat eius æternitati.

6. Vel particula *per* denotat causam instrumentalem, vel virtutem operatricem, vel circumstantiam operationis? Sed nihil ex his conuenit filio respectu processionis Spiritus Sancti. Ergo hic non procedit à Patre per filium.

Conclusio, *Potest dici quòd Spiritus Sanctus Procedit à Patre per filium*. Est diui Thomæ hic q. 36. ar. 3. Durandi in 1. d. 13. q. 1. &c.

Probatur 1. Illæ propositiones possunt vsurpari in diuinis, quæ fuerunt vsurpatæ à Sanctis Patribus, & admissæ vt catholicæ in Ecclesia. Sed hæc propositio passim fuit vsurpata à SS. PP. vt fusè hic probant Fasolus, & Valentia. Ergo potest vsurpari. Quia tamen hic modus loquendi dedit ansam aliquibus parum tutis in fide, de processione spiritus à filio, dubitandi de veritate huius articuli, ideo Eugenius IV. in fine Florentini, in lit. vnionis sub med. addidit, *declarantes, quòd id SS. Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significatur, filium quoque esse, secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium, subsistentia Spiritus Sancti, sicut & Patrem*. Cui declarationi inhærens Anzelmus ep. de process. Spir. S. sub med. ait, *dicamus igitur, quia Spiritus Sanctus cum procedit à Patre per filium, procedit similiter à fi-*

à filio; sicut quæ facta sunt à Patre per Verbum, facta sunt similiter ab ipso Verbo.

2. Si considerentur supposita spirantia, filius est quasi medius inter Patrem, & Spiritum Sanctum. Ergo Pater per illum spirat, dando illi virtutem, vt secum spiret. Dixi quasi medius, quia verè non est medium Patris ad operandum, sed comprincipium; & ideo vterque spirat immediatè. Si verò consideretur spirandi virtus, cùm sit vna, & eadem in vtroque, & eiusdem ad se ipsum non sit medium, non potest dici, quòd virtus Patris spiret per virtutem filii.

Vnde patet responsio ad 1. Quamuis enim posset dici, quòd Pater spiret mediante filio, quatenus vt spirans, habet necessariam connexionem, cum illo, cum quo facit vnum spiratorem, communicando illi eamdem numero virtutem spiratiuam; quia tamen hoc tollit concursum immediatum vtriusque in Spiritum Sanctum, ideo non est simpliciter concedendum.

Ad 2. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, illud axioma valere, quando non sunt distinctæ virtutes, vt manus, & mallei, quod non habet locũ in casu nostro. Quòd si per ly *magis*, & *principalius*, denotatur solùm authoritas operantis, posset etiam concedi maior, quatenus Pater habet à se virtutem spiratiuam, filius autem à Patre. Cæterùm

rùm quoad virtutem, & modum operandi in actu exercito, eodem modo spiritus procedit ab vtroque. Et in hoc sensu locutus est Henricus, cum ar 54. q.7. ad 1. dixit, *Pater, & Filius non æquè primò spirant, sed ordine quodam, scilicèt quo habent vim spiratiuam, Pater scilicèt à se, Filius à Patre. Sic enim conuenit Patri primò spirare, & filio secundariò. Et hoc non ratione ipsius actus, sed ratione virtutis spiratiuæ, quam ordine quodam habent Pater, & filius, quia Filius à Patre*. Aliud enim est modus producendi, & aliud modus habendi virtutem productiuam; nam ille supponit virtutem, & modum quo fuit accepta à producente. Quia ergo actus productionis sequitur ex virtute, & non ex modo, quo fuit habita à producente, ideo varietas in modo habendi virtutem, non inducit varietatem in actum productionis.

Ad 3. Nego maiorem. Nam ad hoc vt vnum sit per aliud, non est necesse quòd sit vnum post aliud. Præterquamquòd licèt in diuinis non sit prioritas *in quo*, hoc est naturæ, vel temporis, est tamen prioritas *à quo*, idest secundùm originem, quæ non negatur ab Athanasio. Sed hæc sufficit, ad hoc vt vnum sit per aliud. Ergo potest dici, quòd Spiritus sit à Patre per filium, licèt meliùs dicatur, quod sit à Patre, & filio.

Ad 4. Nego maiorem. Quamuis enim filius in spirando connectatur necessariò cum Patre, sicut Pater connectitur cum fi-

filio, quia tamen filius non dat Patri virtutem spiratiuam, quam potiùs ab illo accipit, ideo Pater operatur per filium, non verò filius per Patrem. Caietanus autem hic neutrum approbat, dicens ly *per* denotasse quidem medium ex parte procedentis, non autem ex parte producentis; atque adeo putat potiùs dicendum, Spiritum Sanctum produci à Patre, mediante filio, quàm Pater illum producere, mediante filio.

Neque obstat quòd baliuus operetur per Regem, denotando eius authoritatem in obliquo, vnde ipse baliuus habet posse operari, sicut dicitur Rex operari per baliuum, denotando Regis authoritatem in recto, quatenus est primum principium operationis in baliuo. Hoc enim ideo euenit, quia operatio baliui distinguitur ab operatione Regis, cum ordine prioris, & posterioris. Sed inter operationem Patris, & Filij nullus est ordo, quia non est distinctio, ideo ly *per* non potest aliud denotare, quàm originem suppositorum, hoc est quòd vnum procedens ab alio, accipiat ab illo virtutem, adeòque habeat rationem quasi medij, inter terminum operationis, & principium actiuum dans virtutem ad talem operationem. Posset quidem dici, quòd filius operetur per Patrem, si particula *per* aliud non intelligatur, quàm influxus, & faciat sensum, quòd filius operetur per influxum physicum, quem accipit à Patre. Sed quia hæc pro-

propositio posset parere multas æquiuocationes erroneas, ideo meritò non admittitur à diuo Thoma.

Dices, sicut baliuus accipit à Rege virtutem moralem operandi, non tamen operationem; ita filius accipit à Patre virtutem physicam spirandi, non tamen actū spirationis. Ergo sicut dicitur baliuus operari per Regem, ita filius per Patrem.

Nego antecedens. Et dico, Filium accipere à Patre, non solùm virtutem spirandi, sed etiam actum spirationis, vt docet Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 27. sub in dicens, ***Spiritus Sanctus non de Patre procedit in filiū, sed simul de vtroque procedit, quamuis hoc Pater filio dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat***, quod significat actum spirandi ex parte filij. Illi concinunt Anzelmus ep. de process. c. 16. in fine, vbi ait, ***si ergo dicitur quòd Spiritus Sāctus principaliter à Patre sit non aliud significatur, quàm quia ipse filius, de quo est Spiritus Sanctus, à Patre, habet hoc ipsum, vt Spiritus Sanctus sit de illo, quoniam id quod est, habet à Patre***: & Albertus, qui p. 1. sum. q. 31. memb. 3. sub fin. ait, ***hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit à filio, habet filius à Patre; & sic originaliter authoritas processionis in Patre est, & à Patre***. De hoc autem plura infra.

Ad 5. Dico, eodem modo processionem Spiritus Sancti esse origine posteriorem ad generationem Verbi, sicut Verbum est posterius Patre, Quia tamen

men hi termini meritò reijciuntur in diuinis, in quibus *nihil prius, aut posterius*, vt docet Athanas. in symb. ideo negatur simpliciter antecedens, quod solùm vàlet in productis per distinctionem naturæ, & per veram causalitatem, vt sunt creata.


Ad 6. Nego maiorem. Et dico, præpositionem *per* idem significare in tali dicto, atque præpositionem *ex*, vt colligitur apertè ex Florentino sess. 24. sub fin: dicente, *dictum à SS. Patribus est, Sanctum Spiritum per filium natura procedere. Vnde sequitur Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere. Quandoquidem* per *præpositio, vt præpositio* ex, *hac in re significare videtur, vt Leonis, Gregorij Papæ, Ambrosij, Hyeronimi, Augustini, ac aliorum multorum Doctorum authoritatibus clarissimè patet.* Vsurpatur autem particula *per* aliquando, primò vt exprimatur, ita Spiritum Sanctum procedere à filio, vt hoc ipsum filius habeat à Patre, & non à se, sicut Pater. Et deinde vt exprimatur Spiritus Sancti consubstantialitas cum filio, sicut filius est consubstantialis Patri, quæ duo Doctores Græci putarunt, non ita clarè exprimi potuisse per particulam *ex*. Quia tamen penès Latinos videtur oppositum accidere, ideo sess. 25. vltima §. *quibus*, reclamatum fuit in Florentino, & tandem conuenere Latini cum Græcis, præuia declaratione,

ne,

ne, præpositionem *per* non significare, organum, seu instrumentum, sed puram processionem, vt significatur per particulam *ex*, cum cautione tamen nempe, illam particulam permitti in gratiam Græcorum; adeòque non ita frequenter vsurpandam.



DI-



DISPVTATIO XXII.

De Vnitate principij spiratiui.



QVamuis hæc quæstio censeatur grauissima à Gregorio de Valentia to.1. disp.2. q.10.p.5. & communiter etiam ab alijs, tamen reuera nullam habet difficultatem in re, si conueniamus in terminis, vt obseruat Durandus in 1.d.11.q.3. Atque adeo reducitur ad quæstionem de nomine. Tota enim quæstio reducitur ad hoc, an nomine vnius principij Spiritus Sancti intelligatur vnum suppositum, an plura operantia per eamdem virtutem spiratiuam? Si primo modo accipiatur, vtique non potest esse vnum principium, quia verè Spiritus Sanctus procedit à Patre, & filio qui sunt duo supposita realiter distincta; Sin autem accipiatur secundo modo, verè est vnum principium, quia Pater non habet diuersam, immò neque distinctam

vir-

virtutem spiratiuam à virtute Filij. Quia tamen aliqui ex dualitate spirantium, inferebant dualitatem spirationum, ideo definitum fuit (vt patebit) esse vnicum principium, vnitate spirationis, non autem vnitate suppositorum spirantium. Quibus benè intellectis, facilè conciliantur authores, modò vnitatem adstruentes talis principij, & modò dualitatem, ex diuersa scilicet acceptione huius termini *vnum*, in re præsenti. Neque video quid commodi, vel incommodi sequatur in fide, ex hac diuersitate in modo loquendi, dummodò semper fixum retineatur, vnicam esse virtutem, & relationem spirationis in Patre, & Filio, per cuius solam vel multiplicationem, vel diuersitatem inducerentur errores. Vt autem clariùs pateat veritas nostræ fidei, quæremus 1. An Pater, & Filius propriè dicantur vnum principium *quod*, Spiritus Sancti. 2. An sint duo spirantes, & spiratores? 3. An dicant vnam, & eamdem relationem ad Spiritum Sanctum? 4. An, & quomodo possit saluari ratio vnius principij in duobus suppositis? Et demum, an sit de ratione formali intrinseca Spiritus Sancti procedere à Patre, & Filio, quæ partim soluemus in hoc articulo, & partim in sequentibus.



ARTICVLVS PRIMVS.

An Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti?

Videntur non esse. Primo quia Durandus in 1.d.29.q.2.ait, *si autem nomen principij sumatur, non pro agente, sed pro eo, quo agens agit, sic propriè loquendo debet dici, quòd in Patre, & Filio est vnum principium quo spirant Spiritum Sanctum, & nihilominus verè dicitur, quòd Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, sed non æquè, propriè, sicut primum*. Illi consonat noster Gregorius Ariminensis, qui in 1.d. 12.q.vn.ait, *licèt hæc propositio* (loquitur de controuersa) *sit vera, & communiter concessa, non est tamen in sua proprietate accipienda, nec in sensu, quem primò facit, & de virtute sermonis, sed in sensu, quem intendebant Sancti illam scribentes. Si tamen inniteremur proprietati sermonis, dici deberet, quòd Pater, & Filius sunt duo principia Spiritus Sancti*. His accedunt Gabriel in 1.d.12. q.1.ar.2. Altisiodorensis, in sum. lib.1. c.30. & Gerardus Nouariensis. Ergo magis propriè dicitur, esse duo principia.

2. Si dicantur Pater, & Filius vnum principium *quod*, dare ur quarta Persona Trinitatis: Hoc enim principium esset vnum quoddam substãtiale completum, cui

cui competeret operari ad intra. Omne autem substantiale completum in Deo, vel est præcisè essentia, vel Persona. Ergo cùm hoc non sit præcisè essentia, quæ vt talis non spirat, sequitur, illud esse personam. Sed hæc neque est Pater, neque Filius, quia de neutro verificatur quòd sit tale principium, identificans sibi vtramque Personam; aliòquin Pater identificaret sibi Filium, & Filius Patrem, quod est absurdum. Ergo esset Persona realiter distincta à Patre, & Filio seorsim sumptis, & ideo esset quarta.

3. Si essent vnum principium, prò quo supponeret hic terminus *principiū*? Non prò sola Persona Patris, neq; prò solo Filio, aliòquin alter non esset principium. Neque prò vtraque simul, aliòquin neuter seorsim esset principium. Ergo prò nullo supponeret; atque adeo esset propositio falsa, vtpote de subiecto non supponente. Ergo non sunt vnum principium, sed duo.

Conclusio, *Pater, & Filius in proprietate sermonis, sunt vnum principium quod Spiritus Sancti*.

Quòd sint vnum principium quod, est de fide, vt patet ex Lugdunensi sub Gregorio X. relato in 6. c. vn. *fideli* de sum. Trin: & fide cathol. à quo sub init. definitur, *fideli, ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principijs, sed tamquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vni-*

ca spiratione procedit. Et infra, *hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui præsumpserint temerario ausu asserere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, tamquàm ex duobus principijs, & non tamquàm ex vno procedat*: & ex Florentino sub Eugenio IV. definiente in litt. vn. sub med. *Definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, quia Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter, tamquàm ab vno principio, & vnica spiratione procedit*. Quod idem vt certum ex fide, asseritur luculentissimis verbis ab Aug. lib. 5. de Trin. c. 14. & lib. 15. c. 26. *Sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus; sic relatiuè ad Spiritum Sanctum, vnum principium*: & ab omnibus alijs Doctoribus, & Patribus.

Quòd autem hic non sit improprius modus loquendi, probatur 1. à posteriori. Videtur incredibile, in duobus æcumænicis Concilijs Lugdunensi, & Florentino, in quibus aderant sapientissima Christianæ Reipublicæ lumina, & in quibus ex professo actum est de hac materia, fuisse omnium consensione definitam vt catholicam propositionem impropriam, & propriam vt hæreticàm reprobatam. Ergo cùm definitum fuerit, Patrem, & Filium esse vnum principiũ, & non duo, dicendum est, loquendi proprietatem reperiri in prima, & non in secunda, cùm sine temeritate asseri non pos-

possit, plus vidisse Gregorium, & Durandum, quàm tot alios sapientissimos Patres, non obiter, sed de industria propositiones examinantes.

2. A priori, Agens, in ratione principij, non multiplicatur, nisi ad multiplicationem termini, vel virtutis, vel actualis concursus, vt patet inductione. Ergo sicut, vno ex his multiplicato, propriè dicitur multiplex, ita nullo multiplicato, propriè dicitur vnum. Atqui Pater, & Filius neque sunt ad diuersum terminum, spirando spiritum Sanctum, neque ad illum concurrunt diuersa virtute, seu diuerso concursu. Ergo propriè dicuntur vnum illius principium, & solùm impropriè dicerentur plura.

3. Principium, vt formaliter tale, dicitur à principiando. Ergo sicut plures principiationes cōstituunt diuersa principia, vt patet in materia, forma, & priuatione, ita vbi est vna, & eadem principiatio, constituitur vnum tantùm principium, & non plura, vt patet in manu, & pede, qui cùm principient, in ratione viuentis, per eiusdem animæ principiationem, non constituunt duo viuentia, sed vnum. Sed principiatio Patris est omninò eadem cum principiatione Filij. Ergo sunt vnum principium, & solùm impropriè dicerentur plura, sumpta scilicèt pluralitate, non ex ratione formali principij, sed ex sola materiali, cuiusmodi est pluralitas suppositorum.

Vnde patet responsio ad 1. clamante aduersùs eius patronos Gonetto hìc n. 78. eorum sententiam reijci communiter, vt erroneam, & temerariam. Neque est audiendus Gregorius, qui licèt protestetur, se sine pertinacia, & assertione, & absque præiudicio intelligentiæ melioris, assurgere in sui defensionem, dùm in præfatis Concilijs considerat, ab illis fuisse quidem absolutè assertam vnicam spirationem, non tamen vnicum principium, sed tamquàm vnũ, vt videlicèt sola statueretur vnitas in modo principiandi; siquidem particula *tamquam*, non semper est diminutiua, cùm aliquando sit expressiua, seu confirmatiua, vt cum dicitur 2. ad Cor. 5. *Prò Christo legatione fungimur, tamquàm Deo exhortante per nos*. Et ad Heb. 3. *Moyses fidelis in tota domo eius, tamquàm famulus, Christus verò tamquam Filiùs in domo sua*. Et Io: 1. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre*. Illa ergo particula in talibus significat idem, atque *inquantum*, vel *quatenus*, vt saluetur reduplicatio processionis à duobus, sub ratione formali vnius principij, seu per modum vnius. Si tamen aliquis non acquiescat, consideret, quòd in eodem Concilio Flor. dicitur in loco cit. ab eodem Eugenio, *non se hac mente dicere, Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere, quòd duo ponant esse principia, sed vnum tantum*. Et ibid. Ioannes theologus latinus, *Filius vna*

cum

cum Patre principium vnicum est. Et tandem sess. 25. §. *quibus*, in profess. fid. concluditur, *quoniam Græci suspicantur, nos duo principia profiteri, idcirco hanc habentes sententiam anathemate notamus, quandoquidem ipsi credimus, Patris, ac Filij operationem, potestatemque mittendi, vnicam Spiritus Sancti causam esse* (loquuntur in sensu Græcorum) *ita vt Filius non sit diuersum à Patre principium*, in quibus locis non ponitur particula *tamquam*. Ergo absolutè sunt vnum principium.

Ad 2. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, Patrem, & Filium esse quidem vnum in ratione principij, non tamen in ratione suppositi. Sicut ergo per hoc quòd simul cum Spiritu, sint vnum in ratione creatoris, non sequitur, quòd sint quarta persona, ita neque ex eo quòd sint vnum in ratione spiratoris. nam ly *vnum*, non supponit prò aliquò distincto à Patre, & Filio, vt mox patebit, sed prò vtroque simul.

Ad 3. Dico, hoc nomen *principium spiratiuum*, supponere pro Patre, & Filio simul sumptis, simultate obiectiua, & non rationis. Ad illationem, quòd neuter seorsim esset principium, respondeo, hoc esse verum, si sermo sit de principio adæquato, non autem de inadæquato. Sicut ergo non est absurdum, quòd Pater, & Filius seorsim sumpti non sint adæquatè Trinitas, siue obiectum adæquatum visionis beatificè, ita neque

est absurdum, quòd singuli non sint spirator adæquatè. Neque obstat, quòd singuli dicantur omnipotentes, licèt indiuisim operentur ad extra. Nam omnipotentia conuenit illis ratione essentiæ, quæ est omnibus communis, & absoluta; at spirare conuenit illis ratione virtutis spiratiuæ, quæ inuoluit formaliter respectiuum. Sicut ergo singuli non dicunt singulas relationes ad eumdem terminum, sed vnam, & eamdem vtrique communem (vt patebit) ita nec singuli dicunt ad illum virtutem adæquatam, non quòd inadæquatio dicat defectum, seu imperfectionem, sed quòd dicat essentialem, & indiuisam connexionem. Et ideo diuus Tho: hìc ad 4. ait ly *principium*, habere suppositionem confusam, & non determinatam, quatenus Pater, & Filius confunduntur in vnum, sub ratione spiratoris, ita vt hæc ratio neutri conueniat adæquatè, sed solùm à vtrique simul.

ARTICVLVS II.

An Pater, & Filius sint duo Spiratores?

VIdentur non esse, vt propugnant communiter Thomistæ, cum diuo Tho: hìc q. 36. ar. 4. ad 7. Primò quia nomen substantiuum non multiplicatur, nisi ad multiplicationem formæ, quæ per se ab illo significatur, vt abstracta a subie-

iecto; ad oppositionem cum adiectiuis, uæ cùm significent formam, per modum diacentis, & accidentis in subiecto, mul-iplicantur ad solam multiplicationem subiecti. Sed spirator est nomen sub-stantiuum, importans prò forma spira-ionem, quæ est vna, & eadem in duo-bus. Ergo non potest vtrique conue-nire seorsim.

2. Pater, & Filius in omnibus sunt vnum, in quibus non obuiat oppositio relatiua. Sed in esse principium spirans Spiritum Sanctum, non opponuntur re-latiuè, cùm Pater vt Pater non oppona-tur, nisi filio, sicut filius vt filius oppo-nitur soli Patri. Ergo sunt vnus spirator, & non plures.

3. Non dicuntur tres creatores, quam-uis diuinæ Personæ sint tres creantes. Ergo neque duo spiratores, licèt sint duo spirantes.

Conclusio, *Pater, & Filius sunt duo spirantes, non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè.*

Prima pars admittitur communiter cum diuo Tho. in loc. cit. & videtur esse de fide. Primò quia Spiritus Sanctus pro-cedit à Patre, & Filio, vt sunt plures, dicente diuo Tho. hìc ad 1. *Si verò con-siderentur supposita spirationis, sic Spiri-tus Sactus procedit à Patre, & Filio, vt sunt plures, quia procedit ab eis vt a-mor vnitiuus duorum.* 2. Procedit ab eis vt sunt distincta supposita. Ergo vt sunt plures, pluralitate suppositorum. 3. Pa-

ter est producens, & Filius est producens. Præterea vterque est spirans. Ergo procedit ab vtroque, vt sunt plures producentes, & spirantes.

Secunda pars, quam expresse tenent Egidius in 1. d. 11. ar. 2. q. 4. Argentinas ibid. q. 1. ar. 3. Henricus in sum. ar. 54. q. 6. ad 11. Albertus 1. p. sum. q. 31. memb. 3. ad 1. quæst. Alensis in sum. 1. p. quæst. 70. memb. 3. ar. 1. Bonauentura in 1. d. 29. ar. 2. q. 2. & ipse diuus Th. in 1. d. 1. & d. 11. q. vn. ar. 4. & d. 29. q. vn. ar. 4. ad 2. Quamuis enim 1. p. q. 36. ar. 4. ad 7. videatur se retractare, tamen verè se non retractat; sed cautè ait, *videtur melius dicendum, quòd quia spirans adiectiuum est, spirator vero substantiuum, possumus dicere, quòd Pater, & filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores, propter vnam spirationem*. Cùm eadem cautione loquitur Carthusianus in 1. d. 11. q. 4. sub med. dicens, *verius reor, quòd Pater, & filius sint vnus spirator*. Et Ricard. in 1 d. 11. q. 5. ar. vn. ait, vtrumque posse dici, nempe esse vnum spiratorem, & duos; & cum his sentiunt plures recentiores.

Probatur 1. Ratione diui Thomæ loco cit. *Actus significantur in verbo participio, & nomine verbali. Cùm igitur actus sint suppositorum, vt dicitur in proemio met. ideo ad multitudinem suppositorum sequitur multiplicatio actuum; & ideo non possumus dicere, quòd Pater, & Filius Spiritum Sanctum spirat, vel est*

spi-

spirans, vel est spirator, sed debemus dicere quòd spirant, & quod sunt spirantes, & quòd sunt spiratores, sunt eius verba. Et deinde concludit, *Ergo Pater, & Filius sunt duo spiratores, sicut sunt duo supposita*. Quibus verbis quia exciderat ly *multiplicatio actuum*, quod in re præsenti sonat multiplicationem spirationum, ideo quoad hoc retractauit opinionem; propter definitiones oppositas Lugdunensis, & Florentini, relatas ar. 1. non autem quoad alia de spiratoribus.

Probatur 2. cum Argentinate, virtus spiratiua in Patre, & Filio est deitas, seu essentia cum talibus respectibus. Sed essentia non spirat, neque deitas in abstracto. Ergo spirat sola deitas in concreto, vt videbimus. Ergo tot erunt spiratores, quot concreta ex essentia, & tali respectu, cum quo spirat, hoc est quot sunt supposita spirantia. Sed hæc sunt duo. Ergo duo spiratores.

3. Hic terminus *spirator* est nomen connotatiuum, significans spirationem, vt formam adiacentem, seu inhærentem subiecto. Ergo significat adiectiuè, & non substantiuè, quamuis grammaticaliter dicatur substantiuum. Sed nomina adiectiua possunt prædicari in numero multitudinis, per solam multiplicationem suppositorum, quia non important multiplicationem formæ. Ergo possunt dici plures spiratores. Quod aduertens Valentia to. 1. disp. 2. q. 13. p. 3. ad 4. licèt sequatur communem opinionem, ait,

quantum est ex vi vocabulorum, dico pari ratione, potuisse dici duos creatores, & spiratores, sed tamen vsus obtinuit, vt illa nomina substantiuè sumantur in diuinis.

4. Omne nomen verbale est substantiuum, vt docet Argentinas loc. cit. Ergo si potest dici, esse duos spirantes, potest etiam dici, esse duos spiratores, cessante fundamento Thomistarum, ad hoc negandum. Neque obstat, quòd spirans sit participium; siquidem hoc, licèt participet de ratione nominis adiectiui, quia declinatur in casus, & mouetur de genere in genus, tamen participat etiam de ratione verbi, quia significat cum tempore, vt vidimus in organo lib. 1. ar. 4. Sed significare cum tempore est proprium per se stantis, quod soli conuenit nomini substantiuo. Ergo licèt participium videatur grammaticaliter adiectiuum, tamen philosophicè est substantiuum, significans aliquid per se stans, vt patet inductione. Nam amans sihnificat id, quod habet amorem, vt per se stans: videns quou habet visionem vt per se stans; & sic de alijs.

Ad 1. Dico, regulam assignatam à diuo Thoma, esse verissimam in substantiuis nominalibus, non autem in verbalibus. Et ideo non possumus dicere, tres personas esse tres Deos (quidquid in contrarium somniauerint Marsilius in 1. q. 5. ar. 2. ad 5. & Petrus de Aliaco in 1. q. 3. quorum opinio exhibilatur ab omni-

bus, cùm definitum sit in Conc. Syr-
iensi can. 22. *Qui Patrem, Filium, & piritum Sanctum tres Deos dixerit, nathema sit*;) possumus tamen dicere 'atrem, & filium esse duos spiratores. ìt ratio est, quia substantiuum verbale ion est purè substantiuum, sicut adiectiuum verbale non est purè adiectiuum (vt lictum est) sed est medium inter vtrumque, participans de vtroque, sicut diximus de participio quòd participat de nomine, & verbo. Ergo non significat formam adæquatè per se stantem, sed partim per se stantem, & partim adiacentem. Probo assumptum, omne nomen substantiuum verbale resoluitur in participium. Ergo non est purè substantiuum. Consequentia est euidens. Antecedens probatur; nam spirator est idem, atque est spirans, sicut creator est idem atque est creans, amator est idem atque est amans, & sic de alijs.

Dices, etiam nominalia resoluuntur in participia, nam Deus est habens deitatem, homo habens humanitatem, &c. Ergo nullum nomen esset purè substantiuum.

Nego consequentiam; nam resolutio nominalium semper fit per formam in abstracto, retentam in obliquo, vt deitas, humanitas, &c. quod non accidit in verbalibus. Ergo hæc resoluuntur in participia, vt terminos resolutionis; illa verò per participia in proprias formas, à

qui-

quibus numquam abſtrahnnt. Ergo non eſt par ratio.

Dices 2. Ergo poſſent dici tres creatores, quia creator eſt ſubſtantiuum verbale à verbo creo.

Primò nego conſequentiam, propter ſpecialem rationem afferendam in reſponſione tertij. Deinde dico cum Valentia loc. cit. quòd ſi præcisè ſpectetur modus ſignficandi talis vocis, poſſet concedi conſequentia. Tamen quia vſus obtinuit, vt non dicantur tres creatores, ideo ex alio capite hoc non dicimus, non autem ex falſitate doctrinæ.

Ad 2. Dico, argumentum concludere vnitatem, in ratione principij ſpiratiui, aſſertam ar. 1. non autem vnitatem ſpiratoris, propter allatas rationes.

Ad 3. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia eſſe creatorem nullam dicit diſtinctionem in Perſonis, eò quia cùm illis conueniat ratione omnipotentiæ, quæ eſt omnibus communis, nullam perſonam excludit. At eſſe ſpiratorem dicit diſtinctionem in Perſonis, eò quia cùm illis conueniat ratione potentiæ ſpiratiuæ, quæ eſt notionalis, non conuenit omnibus, ſed ſolis Patri, & Filio, cum excluſione Spiritus Sancti. Ergo vt oſtendatur, non conuenire vni tantùm Perſonæ, ſed duabus, debet poni in numero multitudinis, cum addito numerali, duo ſpiratores.

Dices, ergo etiam vt oſtendatur, eſſe creatorem non conuenire vni ſoli Perſo-

næ, neque solis duabus, debet exprimi numero multitudinis, cum addito numerali, & dici tres creatores.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia quod conuenit personis essentialiter ratione formæ communis, si exprimatur substantiuè in numero multitudinis, cùm non possit importare distinctionem suppositorum, quæ vt habentia talem formam, non distinguuntur, necessariò, vel importat distinctionem in ipsa forma, triplicando omnipotentiam, vel in tota Personarum collectione, triplicando Trinitatem, quæ sunt absurda. Hoc non valet de spiratore, quia cum significet formam notionaliter, necessariò importat distinctionem suppositorum, quæ in illa distinguuntur. Ergo dicendo duo spiratores, non exprimitur dualitas formæ, sed illam habentium, cum distinctione à non habente, adeòque ipsorum suppositorum Patris, & Filij à Spiritu Sancto.

ARTICVLVS III.

An Pater, & Filius dicant vnam, & eamdem relationem ad Spiritum Sanctum?

Videntur dicere duas relationes distinctas, & non vnam, vt docuerunt nonnulli Thomistarum, quos impugnat Bannes 1.p.q.32.ar.3. Primò quia tàm Pater, quàm Filius dicunt duas re-

la-

lationes, nempè ille paternitatem, & spirationem, & hic filiationem, & spirationem. Sed si relatio spirationis esset vna, & eadem in vtroque, singuli non dicerēt duas relationes, cùm fieri non possit, vt ex tribus relationibus fiant quattuor. Ergo non, dicunt vnam relationem spirationis, sed duas.

2. Nulla est necessitas ponendi vnam, eamdemque relationem in duobus realiter distinctis, cuiusmodi sunt Pater, & filius, respectu Spiritus Sancti. Ergo singuli dicunt singulas relationes distinctas.

3. Vel spiratio identificatur cum paternitate in Patre, & cum filiatione in filio, vel non? Si primum, ergo erunt tres relationes, & non quattuor, identificante sibi spiratione duas alias. Si secundum, ergo relatio spirationis, quæ est in Patre, non est illa, quæ est in filio; & sic erunt duæ relationes.

4. Non sunt veræ hæ propositiones, *paternitas est spiratio, filiatio est spiratio*, & econuerso. Sed si esset vna, & eadem relatio, essent veræ, sicut sunt veræ hæ, *Pater est principium Spiritus Sancti, Filius est principium Spiritus Sancti*, propter vnitatem eiusdem principiationis. Ergo sunt duæ relationes, & non vna.

Conclusio, *Pater, & Filius dicunt vnam, eamdemque relationem spirationis actiuæ ad Spiritum Sanctum*. Est de fide.

Pro-

Probatur 1. Ex definitionibus Lugdunensis, & Florentini, relatis ar. 1. in quibus licèt immediatè, & formaliter statuatur vnitas originis, & principij; tamen quia ex illa necessariò resultat vnitas relationis; ideo communiter theologi illas definitiones extendunt etiam ad vnitatē relationis, quam proinde omnes dicunt esse de fide, saltem illatiuè, vt docet Ruiz disp. 18. sect. 2. n. 7. vel saltem esse plusquàm temerarium docere oppositum, vt ait Suar. lib. 5. de Trin. c. 6. n. 5. Et proinde Durandus in 1. d. 13. q. 2. n. 30. concludit, *constat, quòd diuina spiratio quadam relatio realis est, & vnica, sicut Concilium generale Lugdunense determinat*.

2. Si hæc relatio esset duplex, darentur in Deo quinque relationes reales, contra communem sensum totius Ecclesiæ, omnibus cum diuo Thom. 1. p. q. 32. ar. 2. clamantibus, esse tantùm quattuor, vt nos etiam probauimus disp. 8. ar. 3.

3. Spiritus Sanctus non æqualiter procederet à Patre, & filio, sed magis, & principaliùs à Patre, tamquàm à primo, & immediato principio, & à filio solùm veluti ab instrumento, quatenùs acciperet à Patre aliam numero vim spirandi. Consequens est absurdum à nobis impugnatum ar. 1. Ergo hæc relatio non est duplex, sed vna tantùm.

4. Relatio spirationis actiuæ debet habere sibi correspondentem relationem spi-

ſpirationis paſſiuæ. Sed hæc eſt vna tantùm, per quam Spiritus Sanctus reſpicit Patrem, & Filium, tamquàm vnum ſui principium. Ergo etiam relatio ſpirationis actiuæ eſt vna tantùm, per quam Pater, & Filius, per modum vnius principij, reſpiciunt Spiritum Sanctum; Aliter multiplicato reſpectu in principio, deberet etiam multiplicari in termino, quo admiſſo, eſſent ſex relationes.

5. Relatio fundata in actione, & paſſione, ſequitur numerum agentis, & actionis. Sed Pater, & Filius ſunt vnum agens per eamdem actionem Spiritus Sancti. Ergo dicunt ad illum vnicam relationem.

Ad 1. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, ad hoc vt Pater, & filius dicant ſinguli duas relationes; non eſſe neceſſarium, quòd ſinguli dicant duas relationes diſtinctas à relationibus alterius, ſed ſufficere, quòd vterque dicat propriam relationem, per quam inuicem opponuntur, & ſimul tertiam vtrique communem, per quam vterque tertio opponitur; eo modo quo lineæ trianguli ſunt ſolùm tres, licèt ſingulæ tangant duas lineas.

Ad 2. Nego antecedens; & dico, neceſſitatem prouenire non ſolùm ex definitionibus, ſed etiam ex rationibus adductis.

Ad 3. Dico, relationem ſpirationis actiuæ realiter diſtingui à paternitate, & filiatione, vt toties diximus. Ad illationem

ne-

ego sequelam. Et dico, relationem spi-
tionis sequi ex potentia spiratiua. Cùm
go hæc sit vna, & eadem numero; in
atre, & Filio, fundat in vtroque eam-
em numero relationem. Quòd autem
otentia spirandi sit eadem, patebit infra.
Ad 4. Nego minorem. Et dico, illas
ropositiones non esse veras, non quia
hæc relatio sit duplex, sed quia realiter
listinguitur à paternitate, & filiatione;
listincta verò nō possunt mutuò affirma-
ri in recto, vt diximus in met. Ergo po-
tiùs retorquetur argumentum, si hæc re-
latio esset duplex, vna esset identificata
cum paternitate, & altera cum filiatione.
Ergo sicut illa posset affirmari de prima,
ita hæc de secunda. Intantùm ergo non
possunt fieri huiusmodi affirmationes,
inquantùm non sunt duæ relationes, sed
vna.

ARTICVLVS IV.

*An Pater, & Filius sint vnum princi-
pium vnitate potentiæ spiratiuæ? Vbi
explicatur in quo illa consistat.*

Videntur non esse, Primò quia ita se habet potentia spirandi ad paternitatem, & filiationem, sicut potentia generandi ad solam paternitatem. Sed hæc inuoluit in obliquo paternitatem, vt probatum est disp. 6. ar. 5. Ergo & illa inuoluit paternitatem, & filiationem. Sed est impossibile, quòd secundùm vtramque

ra-

rationem sit in Patre, & Filio; aliter filiatio esset in Patre, & paternitas in Filio. Ergo est impossibile, quòd eadem potentia spiratiua sit in vtroque, adeòque quòd per illam sumant vnitatem.

2. Potest dici, talem vnitatem desumi ex vnitate spiratoris, qui vel sit suppositum quoddam commune duobus, vt videntur admittere Gabriel, & Okamus; vel ipsa spiratio communis in concreto, vt subsistens in Patre, & Filio, vt admisere Nazarius, & Becanus. Ergo non est necesse confugere ad potentiam spiratiuam.

3. Potest dici, vnitatem desumi ex vnitate relationis, asserta ar. præcedenti; vel ex vnitate spirationis, quatenùs dicit vnum aliquod indiuiduum, constitutum ex essentia, & relatiòne spirationis actiuæ, commune duobus, vt volebat Molina; vel ex vnitate propriæ subsistentiæ ipsius spirationis, vt virtualiter intrinsecè distinctæ à subsistentijs Patris, & Filij. Ergo &c.

Conclusio, *Pater, & Filius sunt vnum principium* quod *Spiritus Sancti, ratione vnius, eiusdemque potentiæ spiratiuæ, & spirationis actualis.*

Probatur 1. ex diuo Tho. hìc q. 36. art. 4. ad 1. dicente, *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, inquantum sunt vnum in virtute spiratiua.* Quid autem sit hæc virtus spiratiua, & in quo formaliter consistat, videbitur infra. Idem ait Ricardus in 1. d. 11. artic. vn. q. 3. dicens, *sunt*

sunt vnum principium, *inquantum sunt vnum in potentia spiratiua*. Præterea in hoc conueniunt Scotus in 1.d.12.q.1. Henricus, Albertinus, Fasolus, Gonettus, Arrubal, & alij.

2. Vnitas principij, vel dicit vnitatem suppositi productiui, seu principij *quod*, vel vnitatem virtutis, seu principij *quo*. Sed Pater, & Filius non habent vnitatem ex primo capite, docente hìc diuo Tho. q.36. art.4. ad 1. quòd *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt sunt plures*, hoc est plures Personæ spirantes. Ergo non possunt habere vnitatem, nisi ex alio capite virtutis, seu potentiæ spiratiuæ.

3. Si plures ignes per eumdem numero calorem, concurrerẽt ad eamdem numero calefactionem, non essent plura principia calefactiua, sed vnum, cùm vnitas, vel multiplicitas in ratione principij *quod*, habeatur potissimùm ex vnitate, vel multiplicitate principij *quo*, quod instar formæ importatur à nomine *principium*. Ergo cùm Pater, & Filius concurrant per eamdem virtutem, & per eumdem actum, ad spirandum Spiritum Sanctum, non possunt dici plura principia *quod*, sed vnum tantùm, vt probauimus ar.1. Tota ergo difficultas reducitur ad hoc, quomodò possit vna, & eadem virtus esse in pluribus, illisque correspondere vnus, & idem actus, quam soluimus respondendo ad obiecta.

Ad 1. Nego maiorem. Et ratio est, quia

quia cùm Pater, & Filius non producant Spiritum Sanctum, vt sunt Pater, & Filius, sed vt sunt spiratores; contrà verò Pater generet filium, vt est formaliter Pater; ideo non valet comparatio potentiæ generatiuæ, vt est in Patre, cum potentia spiratiua, vt est in Patre, & Filio; nam hæc non constituitur formaliter relationibus paternitatis, & filiationis, sicut illa constituitur relatione paternitatis. Comparatio ergo debet fieri, inter potentiam generatiuam, cum paternitate ex vna parte, & potentiam spiratiuam cum spiratione, seu relatione spirationis ex alia, quæ vltrò vt verissima admitteretur. Sicut enim diximus loc. cit. potentiam generatiuam dicere in recto essentiam, & in obliquo relationem paternitatis; ita dicimus, potentiam spiratiuam dicere in recto essentiam, & in obliquo relationem spirationis, constitutiuam Patris, & Filij, non quidem in esse formaliter Patrem, & filium, sed in esse formaliter spiratores. Et ideo toties diximus, huiusmodi relationem distingui realiter à paternitate, & filiatione, vt fusè probauimus disp. 12. ar. 3. & seqq. nè videlicèt admitteremus, illam esse constitutiuam paternitatis, & filiationis, vt sunt formaliter tales, quæ præintelliguntur vt constitutæ in suo esse completo, ad ipsam spirationem.

Rationem affert diuus Tho. in opusc. 2. de compendio theol. c. 60. sub med. dicens, *oportet igitur intelligi, quod plurium*

rium proprietatum, seu notionum vni personæ conuenientium, illa quæ præcedit secundum ordinem naturæ, personam constituat; aliæ verò intelliguntur vt personæ iam constitutæ inhærentes. Communis autem spiratio ordine naturæ præsupponit paternitatem, & filiationem, sicut processio amoris processionem verbi. Vbi aduertatur, quòd ly *ordine naturæ præsupponit paternitatem*, non potest intelligi de paternitate naturæ, quæ in Deum non cadit; neque de posterioritate secundùm originem, cùm spiratio actiua non producatur, sed sit in Patre improducta, & à se, & in filio per communicationem à Patre. Significat ergo solùm quòd spiratio, secundùm modum operandi naturæ intellectualis, procedat per oluntatem, cuius operatio secundùm enus est semper secunda; & ideo natura osterior ad operationẽ intellectus, quæ mper est prima, licèt vt contracta ad uina, dicat solùm connexionem neßariam vnius cum alia, cum prioritate :undùm subsistendi consequentiam inllectionis ad actum volitionis, quæ est oritas purè logica, & rationis, eo mo quo essentia dicitur prior attributis.)ices, essentia non est rectum talis potiæ, nisi prout modificata paternita- & filiatione. Ergo vtraque hæc relainuoluitur in hac potentia.
)istinguo consequens, inuoluitur per lum constitutiui essentialis, nego: modum connotati extrinseci, seu

mo-

modificantis conditionis, vel (vt alij dicunt) per modum circumstantiæ necessariò prærequisitæ, concedo consequentiam. Sicut ergo applicatio ignis ad passum, non constituit potentiam ignis calefactiuam, licèt sine illa hæc non possit operari; ita paternitas, & filiatio non constituunt potentiam spiratiuam, licèt hæc spirare non possit sine illis. Et ratio est, quia cùm spiratio sit actio, & hæc sit à supposito, potest quidem haberi à potentia *vt quo*, non tamen *vt quod*; & ideo debet esse à Patre, & Filio, vt insimul, & per modum vnius operantibus. Atque adeo sicut applicatio agentis ad passum, nō est necessaria ad hoc vt agens possit operari, sed ad hoc vt actu operetur; ita paternitas, & filiatio non sunt necessariæ ad hoc vt Pater, & Filius possint spirare, sed ad hoc vt spirent.

Vrgebis, Pater, & Filius non possent spirare, nisi essent Pater, & Filius. Ergo paternitas,& Filiatio,non solùm sunt necessariæ ad spirare, sed etiam ad posse spirare.

Nego antecedens, quia cùm non spirent vt Pater, & Filius, sed vt amantes, si per impossibile essent Personæ se amantes, absque vllo ordine generantis, & geniti, adhuc intelligerentur posse spirare. Ergo metaphysicè loquendo, huiusmodi posse non includit formaliter generare, & generari. Et hæc est ratio, cur disp.16.ar.9. statuerimus communem spirationem constituere quidem Pa-

itrem, & Filium in esse primam, & se-
indam personam, non tamen in esse
itrem, & Filium, vt sunt formaliter ta-
: . Quia ergo de facto prima, & secun-
persona sunt Pater, & Filius, ideo di-
nus, de facto paternitatem, & filiatio-
m realiter requiri, modo nuper ex-
cato.

Dices demum, Filius vt formaliter
lius, dicit intrinsecum, & essentialem
spectum originis actiuæ ad Spiritum
nctum, vt dictum est ar.4. Ergo spirat
formaliter Filius.

Nego consequentiam. Nam etiam
mo, vt homo dicit essentialiter, non
lum rationale, sed etiam animal, non
men sentit vt rationalis, vel discurrit
animal. Et ratio est, quia ly *vt*, non
nper reduplicat totum suppositum,
m aliquando reduplicet vnum solùm
eius prædicatis constitutiuis, vt acci-
t in exemplis allatis. Quia ergo in Fi-
sunt duæ proprietates, ideo aliquan-
illum consideramus secundùm vtram-
e, & aliquando secundùm vnam tan-
m. Atque adeo quando illum conside-
mus, vt est secunda persona, quia vt
lis, est media inter primam, & tertiam,
bet considerari secundùm vtramque
rmalitatem; aliter non posset cum pri-
a, & tertia comparari. Quando verò
nsideratur vt Filius, vel vt spirator,
tia comparatur cum vna tantùm perso-
:, ideo non consideratur, nisi secun-
m illam proprietatem, secũdùm quam

est illi formaliter correlatiuus, præcisa alia per nostrum intellectum. Quia ergo vt Filius, non est correlatiuus nisi Patris, ideo licèt vt talis accipiat ab illo, etiam respectum ad Spiritum, secundùm realitatem, non tamen est formaliter illius correlatiuus, si tamen ly *formaliter*, dicat conceptum rationis nostræ ratiocinantis, & non conceptum obiectiuum illi correspondentem, secundùm quem locuti sumus in loco citato. Hæc autem doctrina est adeo certa, vt communiter dicatur, *musicus non ædificat*, licèt ædificator sit musicus, eò quia ars musicæ impertinenter consideretur, in ordine ad ædificationem, quamuis ad illam concurrat secundùm realitatem.

Neque obstat, quod ly *formaliter*, etiam obiectiuè sumptum, importet rationem formalem; nam non semper importat rationem formalem adæquatam, neque semper inadæquatam reduplicatam, vt patet in exemplis allatis. Quamuis ergo Filius vt Filius adæquatè sumptus, inuoluat respectum ad Spiritum Sanctum, non tamen illum inuoluit sumptus inadæquatè, vt est purus terminus primæ operationis paternæ.

ARTICVLVS V.

Soluuntur postrema duo argumenta.

AD 2. Nego antecedẽs quoad vtramque partem. Ad opinionem Okami,

& Gabrielis dico, fieri non posse da-
uppositum pluribus communicabile,
l enim hoc esset absolutum; & con-
illud militant omnes rationes allatæ
).14. per totam; vel relatiuum; & hoc
distingueretur ab alijs tribus; & sic
etur quarta persona, quod est hæreti-
n; vel non distingueretur; & sic ces-
:t ratio communitatis. Ergo Pater,
'ilius non possunt esse vnum, & mul-
ex, in ratione principij spiratiui.
que obstat, quòd ar. 9. admiserimus
:duos spirantes, & spiratores; nam
: non fert dualitatem virtutis, seu
ıcipij *quo*, vnde resultat vnitas prin-
ij *quod*, sed solùm dualitatem suppo-
ırum, quam docet fides.
Ad opinionem Nazarij, & Becani Di-
ɔrimò, relationem spirationis actiuæ,
ormaliter talem, non habere propriã
sistentiam, sed subsistere in Patre
sistentia paternitatis, & in Filio Fi-
ionis, vt probauimus disp. 13. ar. 2. ad
'el ergo nomine spirationis, vt subsi-
itis in concreto in Patre, & Filio, in-
igitur suppositum aliquod vtrique
ımune, & redimus ad opinionem nu-
impugnatam; vel intelliguntur ip-
ıpposita Patris, & Filij, & vnum es-
'ormaliter in alio, & sic neutrum es-
incommunicabile, quod est erro-
m; vel ipsa relatio spirationis vt per
ubsistens, & supponitur falsum, ad-
tendo scilicèt, vel subsistentiam ab-
ıtam, à nobis impugnatam disp. 15.
M 2 ar.

ar.2., vel quartam relatiuam, quòd reiecimus ibid. vt erroneum ar. 1. Deinde si admittatur hæc relatio communis, tamquam spirans *vt quod*, quia conueniret Patri, & Filio, esset primum principium spiratiuum, ex quo Pater, & Filius acciperent virtutem spiratiuam; Hoc autem est non solùm falsum, sed erroneum, cùm omnes theologi doceant, primum spirandi principium esse Patrem, quem proinde disp.18.ar.1. statuimus esse fontem, & principium totius diuinitatis. Ergo non potest admitti huiusmodi relatio, vt per se subsistens in concreto. Multò minus vt spirans in abstracto, quia actiones sunt suppositorum, vt docuimus disp.6. ar.1. Ergo hinc non saluatur hæc vnitas.

Ad 3. Nego antecedens quoad omnes partes. Et ad primam dico, quòd licèt vnitas relationis in via originis, arguat vnitatem principij, quia tamen relatio concipitur aduenire iam constitutis in suo esse; ideo meliùs explicatur hæc vnitas, per vnitatem ipsius virtutis, quæ concipitur vt ratio proxima fundans ipsam relationem, tamquàm formale constitutiuum ipsius principij spiratiui. Neque obstat realis identitas huius relationis cum virtute spiratiua; nam hæc arguit quidem constitutiuum vnitatis secundùm realitatem, non autem secundùm considerationem metaphysicam, quæ nobis hìc facessit difficultatem.

Ad secundam dico, vel hoc indiui-

duum

duum esse suppositum, & redimus ad impugnata; vel esse aggregatum ex Patre, & Filio, vt sunt spiratores; & petitur principium, assignando prò ratione quòd sint vnum, quia sunt vnum. Præterquamquòd aggregatum, vt formaliter tale, dicit quidem vnitatem extrinsecam conceptus, tendentis in plura per modum vnius, non tamen vnitatem obiectiuam, per quam constituantur in esse vnum principium secundùm realitatem, & conceptibile vt tale. Ergo hæc doctrina non sufficit ad intentum.

Ad tertiam Nego antecedens. Nam vel loquimur de spiratione vt est virtus, vel vt est relatio spirationis? Secundum non potest asseri, quia fuit reiectum vt falsum. Primum procedit ex supposito falso, non solùm quia virtus spiratiua, vt formaliter talis, non habet propriam subsistentiam distinctam à subsistentijs Patris, ac Filij, sed etiam quia si illam haberet, constitueret quartam personam, cui soli conueniret spirare; & sic Pater, & Filius, non solùm non essent vnum principium, sed nullo modo spirarent, quæ sunt absurda. Quòd si hæc opinio repuretur ab omni labe falsitatis, & relinquatur in pura assertione, quòd hæc vnitas habeatur ab vnitate virtutis spiratiuæ, subsistentis per subsistentias Patris, & Filij, verum dicitur, sed coincidens cum nostra conclusione. Ergo extra illam non est veritas.

ARTICVLVS VI.

An sit de ratione formali Spiritus Sancti, vt procedat à Patre, & Filio?

VIdetur non esse, vt propugnant Scotus in 1.d.12.q.1. Durand. ibid. q. 3.n.9. Ochamus ibid. q.1. sub med. Aureol., Gabriel, cum nonnullis Recentioribus. Primò quia tota, & perfecta spirandi virtus est in Patre, & tota est in Filio. Ergo tàm Pater, quàm Filius, etiam seorsim sumpti, sunt perfectum principium spiratiuum. Sed Spiritus Sanctus non dicit de sua ratione formali intrinseca, nisi quòd sit à principio spiratiuo. Ergo non dicit quòd sit ab vtroque simul determinatè, sed ab alterutro solùm indeterminatè.

2. Si per impossibile in diuinis daretur solus Pater, adhùc haberet eamdem virtutem spiratiuam, quam nunc habet. Ergo adhùc posset producere Spiritum Sanctum. Sed hoc non esset, si de eius ratione esset procedere à duobus. Ergo hoc non est de eius ratione.

3. Ita se habet Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, sicut creaturæ ad totam Trinitatem. Sed creaturæ non exigunt esse à tribus Personis, cùm sufficientissimè fierent ab vna ex illis. Ergo neque Spiritus Sanctus exigit esse à Pa-

tre,

tre, & Filio, cùm sufficientissimè procederet ab vno illorum.

4. Spiritus Sanctus totus procedit à Patre, à quo habet quidquid est de eius ratione formali intrinseca. Ergo non est de eius ratione formali, quòd procedat etiam à Filio; aliter non haberet à Patre totum suum esse adæquatè, sed solùm inadæquatè, quod faceret Patrem principium insufficiens, quod est erroneum.

Conclusio, *Est de ratione formali intrinseca Spiritus Sancti, vt procedat à Patre, & Filio, ita vt si ab alterutro non procederet, non esset idem Spiritus Sanctus*.

Probatur 1. Ex multiplici testimonio theologorum, & Patrum, vt Augustini lib. 6. de Trin. c. 5. Hyeron. in psalm. 14. Alex. de Ales. 1. p. q. 43. memb. vlt. & aliorum communiter, vnanimiter asserentium, esse de ratione Spiritus Sancti, quòd sit nexus duorum. Quibus adacti diuus Tho: q. 10. de potentia ar. 2. ad 15. ait, *cùm Spiritus Sanctus sit amor mutuus, & nexus duorum, oportet quòd à duobus spiretur*: Bellarminus lib. 2. de Christo c. 27. sub fin. ait, *mundus producitur necessariò à tribus, necessitate producentis, non necessitate producti. At Spiritus Sanctus producitur à duobus necessario, necessitate producentium, & necessitate producti*: & Alensis loc. cit. q. 5. membro 5. ad 3. ait, *productio Spiritus Sancti necessario requirit, quòd non*

sit ab vno solo, sed à pluribus.

2 Diuinæ Personæ, cùm sint ens simpliciter perfectissimum, nihil possunt habere, quod illis necessariò non conueniat, tamquam prædicatum essentiale, constitutiuum, & spectans ad earum intrinsecam rationem formalem. Sed Spiritus Sanctus de facto, vt formaliter talis, habet quòd procedat à Patre, & Filio, vt probatum est ar. 1. Ergo hoc non illi accidit, sed illi conuenit, tamquam prædicatum intrinsecum essentiale, necessariò spectans ad eius rationem formalem. Atque adeo cùm diuinæ Personæ sint ad inuicem relatiuæ, vt definitum est in Toletano XI. in prof. fidei, sicut est de ratione Patris referri ad Filium, & Filij ad Patrem, & vtriusq; ad Spiritum Sanctum; ita est de ratione Spiritus Sancti referri ad Patrem, & Filium.

3. Diuinæ Personæ non constituuntur formaliter proprietatibus absolutis, vt probatum est disp. 16. ar. 3. & seqq. sed relatiuis, vt ibid. probauimus ar. 8. Ergo sicut Pater, & Filius, in esse principium spiratiuum, constituuntur relatione spirationis actiuæ, vt ibid. probauimus ar. 9. ita Spiritus Sanctus constituitur formaliter in esse talem, per relationem spirationis passiuæ ad Patrem, & Filium. Sed omne constitutiuum est de ratione formali intrinseca constituti. Ergo est de ratione formali intrinseca Spiritus Sancti, procedere à Patre, & Filio.

Ad 1. Respondet Gonetus ex Caieta-

no

o hic esse quidem in Patre virtutem
læquatam, non tamen cum omni con-
itione, postulata à termino. Sed hæc
:sponsio sustineri non potest, primò
uia etiam in Filio esset sine omni con-
itione. Ergo vt dicens omnem condi-
onem erit aliquod per se subsistens in
troque, & incidit in sententiam Naza-
;j, quam infra reijcit n.80. & nos reieci-
ius ar.5. ad 2. Deinde vel hæc conditio
st necessaria ad spirandum, vel non?
i primum, ergo Pater non habet virtu-
:m proximam adæquatam, vtpote cui
esit aliquid necessarium, sed habet so-
im virtutem radicalem, quo admisso,
ion esset principium proximum spirati-
ium, sicut nec esset Filius, propter eam-
:em rationem; adeòque esset admitten-
:a opinio Gabrielis, & Ochami, quam
pse n.78. reijcit vt erroneam, & teme-
ariam, & nos reiecimus loc. cit. Siqui-
:em Pater, & Filius essent vnum princi-
ium secundùm virtutem radicalem, &
lura secundùm formalem, quam singuli
nadæquatè constituerent vt principia
artialia. Si verò dicatur secundùm, er-
;o Patri ex se, nihil deest ad spirandum,
juod roborat, contra suam doctrinam,
rgumentum Scoti.

Multò minùs valet responsio Fasoli q.
;6.ar.4.n.40. esse quidem in Patre totam
virtutem secundum rectum, & magis
principale, non autem secundùm obli-
quum, & minùs principale, quod
vocat complementum intrinsecum

potentiæ spiratiuæ, & constitutiuum personæ spirantis, quod ait esse paternitatem in Patre, & filiationem in filio. Siquidem admissa hac doctrina, iam potentia spiratiua constitueretur paternitate, & filiatione; adeòque non esset eadem in Patre, & Filio, qui proinde non essent vnum principium, ex vnitate potentiæ spiratiuæ, quod ipse num. 16. conclus. 3. multiplici rationum, & authoritatum fulmine suadere conatur. Omissa igitur vtraque responsione.

Distinguo antecedens, tota spirandi virtus est in Patre totaliter, nego: tota, sed non totaliter, concedo antecedens. Et distinguo consequens, tàm Pater, quàm Filius seorsim sumpti, sunt perfectum principium spiratiuum, tota, & totali perfectione, nego: tota, sed non totali, concedo consequentiam. Explico distinctionem. Formæ simplices non possunt esse in subiecto secundùm partes, quarum sunt expertes. Ergo eo ipso quòd concipiantur esse in subiecto, debent concipi, vt existentes in illo secundùm se totas. Qui a tamen sunt capaces essendi simul in pluribus subiectis, vt est anima rationalis, qui simul est in pede, & in capite, ideo si concipiantur esse in vno ex illis, cum præcisione ad alia, dicuntur esse in illo totæ, sed non totaliter; & ideo quia eadem anima, quę est in capite, est etiam in pede, in vtroque est tota, sed in neutro est totaliter,

cò

quia in neutro præstet totum suum effectum formalem, quem potest præsta-, & solùm præstat in toto corpore, in eo solo proinde est totaliter. Et hæc est ratio, cur transferendo doctrinam ad diuina, dicamus Deum hic habere totam suam immensitatem, non tamen totaliter, sicut nec habet hodie æternitatem, quia nempe hæ formæ, seu quasi formæ simplicissimæ, ita sunt in Deo per identitatem, vt neque prima determinet Deum in tali loco, ad essendum vbique, neque secunda illum determinet hodie, ad essendum semper, vt fusè prosecuti sumus in 4. phys. disp. 3. artic. 11. ad 3. §. *Dices* 2.

Hoc posito, quia spiratio actiua est forma simplex, suapte natura intrinseca apta, & determinata præstare suum effectum formalem in Patre, & Filio, illos constituendo principium spirans, ideo est quidem tota in vtroque seorsim, sed totaliter solùm in vtroque simul. Atque adeo quia forma nō intelligitur esse in totali, & vltimata sui perfectione, nisi præstet totum suum effectum formalem, quem potest, est quidem tota in solo Patre, & perfecta, sed non totaliter, & cum totali perfectione. Ergo non ex defectu complementi, seu conditionis, seu alterius connotati, hæc relatio non est totaliter in Patre, & in illo non præstat totum suum effectum formalem, sed ex defectu quasi subiecti, quod cùm debeat

esse Pater, & Filius simul, alteruter seorsim est solùm quasi subiectum inadæquatum, adeòque ineptum ad recipiendum eius effectum formalem adæquatum; qui cùm sit vnus simplex indiuisibilis, non potest præstari, nisi adæquatè, hoc est in solo subiecto adæquato. Et vt res patescat exemplis, forma binarij, cùm sit simplex indiuisibilis, non potest haberi, nisi in duplici vnitate; & si vna tantùm ponatur, in illa non datur binarius inadæquatè, sed datur vnitas illi opposita. Ita vnio, quia est essentialiter nexus duorum, vno ablato, tota perit; & sic de alijs. Ergo quia virtus spiratiua est veluti nexus Patris cum Filio, alterutro ablato, tota periret.

Dices, anima in solo capite adhùc præstat suum effectum formalem, licèt sit forma indiuisibilis. Ergo etiam spiratio in solo Patre potest præstare effectum formalem spirantis.

Nego consequentiam. Disparitas est duplex, altera quia anima est in subiecto materiali; adeòque sicut illud est diuisibile, ita præstat in illo suum effectum formalem diuisibilem. Et altera, quia est in illo per vnionem accidentalem separabilem, ideo potest modò vniri cum vna parte, & præstare suum effectum formalem, & modò non vniri, & non præstare. Spiratio autem est in quasi subiecto spirituali simplicissimo, & per identitatem, ideo nec potest diuidere

suum

im effectum formalem, nec ab illo
estando separari. Sicut ergo identitas,
æ est nexus extremorum, non potest
n facere idē, seu in vno ex illis remane-
; ita nec spiratio potest non facere Pa-
m, & Filium vnum principium spi-
iuum, seu in vno ex illis remanere.
Vnde patet responsio ad 2. Omissa res-
nsione Gonetti, quòd in tali hypothesi
oduceretur alius Spiritus Sanctus.

Ad 3. Nego minorem. Cùm enim
iones ad extra sint indiuisim à tota
initate, non possunt fieri diuisim à
igulis, aliter non essent omnes vnus
eator, sed plures creatores, quod reic-
nus ar. 2. ad 3. docente diuo Tho. in 1.
11. q. vn. artic. 4. ad 2. *Creatio est actus
um personarum, non secundum quòd
tincta sunt, sed secundum quòd vniun-
in essentia, quia etiam per intellectum
mota distinctione personarum, adhuc
nanebit creatio.*

Ad 4. Distinguo antecedens, Spiritus
nctus totus procedit à Patre, tamquàm
rincipio adæquato, nego: tamquam
rincipio inadæquato, concedo ante-
dens; & nego consequentiam. Et ra-
est, quia terminus productus refertur
suum principium, à quo habet esse.
ìm ergo sit de ratione Spiritus Sancti
bere esse à Patre, & Filio, exigit esse
vtroque per modum vnius. Atque
eo si comparetur cum alterutro seorsim
alio, acciperet ab illo esse, & non ac-
peret, eò quia in illo remaneret, &
non

non remaneret virtus ſpiratiua, vt dictum eſt. Pater ergo eſt quidem principium ſufficiens, eò quia in neceſſariò connexis non datur inſufficientia, ſicut enim Pater non poteſt non cooperari filio, ita filius non poteſt non cooperari Patri in ſpirando, & neuter poteſt fruſtrari cooperatione alterius, ſed ſufficientia identificante ſibi ſufficientiam etiam filij. Atque adeo quia ſufficientia filij eſt illa eadem, quæ eſt in Patre, eſt impoſſibile, quod hac ablata, remaneat illa, cùm non ſint alia, & alia, ſed vna, & eadem, vt dictum eſt.

ARTICVLVS VII.

An Spiritus Sanctus procedat ex amore creaturarum?

VIdetur non procedere, Primò quia vel loquimur de creaturis poſſibilibus, vel de futuris, vel de actu exiſtentibus? Si primum, cùm creaturæ poſſibiles nullam habeant in ſe bonitatem, non poſſunt excitare in Deo amorem ſui. Si ſecundum, creaturæ futuræ, vt formaliter futuræ, nondùm intelliguntur exiſtere. Ergo non habent actualem amabilitatem, ratione cuius moueant Deum ad ſe amandas, neque bonitatem, qua terminent actualem eius amorem. Si tertium, licèt vt actu exiſtentes habeant ali-

quam bonitatem, quia tamen hæc eſt
ntingens, non poteſt in Deo excitare
orem neceſſarium, qui proportione-
termino neceſſario, cuiuſmodi eſt
iritus Sanctus, ſed ſolum liberum, per
em ille non poteſt procedere.

Spiritus Sanctus eſt formaliter amor,
o Deus proſequitur creaturas, ſicut
rbum eſt cognitio, qua illas cogno-
t, iuxta dictum Apoſtoli ad Rom. 5.
*aritas Dei diffuſa eſt in cordibus no-
is, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt
bis.* Ergo ſi procederet ex amore
aturarum, procederet ex ſe ipſo, quod
ugnat.

Concluſio, *Spiritus Sanctus, non ſo-
n procedit ex amore omnium eorum
e ſunt formaliter in Deo, ſed etiam ex
ore omnium eorum, quæ ſunt in Deo
tualiter, vel eminenter, vt ſunt omnes
aturæ poſſibiles.* Eſt Egidij in 3. d. 5.
.q. 1. ar. 3.

Probatur prima pars, Spiritus Sanctus
terminus intrinſecus illius perfectiſ-
ii amoris, quo ſe mutuò æternaliter
igunt Pater, & Filius. Sed hic amor
minatur ad totum Deum. Ergo Spi-
us Sanctus eſt terminus intrinſecus di-
iis amoris de toto Deo. Non eſſet au-
n terminus intrinſecus, niſi per talem
orem produceretur. Ergo procedit
amore diuino de toto Deo. Sed quid-
id eſt formaliter in Deo eſt Deus. Er-
procedit ex amore omnium eorum,
e ſunt formaliter in Deo, hoc eſt eſ-
ſen-

sentiæ, relationum, actuum liberorum, & personarum. Et ideo dicitur in Concilio Toletano XI. in prof. fidei post init. *Spiritus Sanctus simul ab vtrisque processione monstratur, quia charitas, sine sanctitas amborum esse agnoscitur*. Et credibile est, illos Patres oculos conuertisse ad duo clarissima Christianæ Reipublicæ lumina Augustinum, & Hyeronimum. Nam ille lib. 6. de Trin. cap. 5. sub in. ait, *Spiritus Sanctus commune aliquod est Patris, ac Filij, quidquid illud est*. Et infra, *ideo non amplius, quàm tria sunt, vnus diligens eum, qui de illo est, & vnus diligens eum, de quo est, & ipsa dilectio*. Et hic in psal. 17. initio, *Spiritus Sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in filio, & filius in Patre*.

Probatur secunda, probauimus disp. 19. ar. 8. ex nostro Egidio in 1. d. 2. princip. 1. q. 1. filium procedere ex tota scientia Patris, adeòque ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Ergo etiam Spiritus Sanctus procedit ex toto amore Patris, & Filij, aliòquin hæc processio esset imperfecta, adeòque etiam ex amore omnium creaturarum possibilium. Antecedens patet, quia illa cognitio, ex qua procedit Verbum, est comprehensiua diuinitatis. Ergo repræsentat, non solùm ea, quæ sunt formaliter in Deo, verùm etiam ea, quæ sunt in eo virtualiter, & eminenter, aliter non esset comprehensiua, vt ibi probatum est. Probatur

consequentia, creaturæ possibiles, vt
naliter tales, non reduplicant, nisi
um possibilitatem, nempe diuinam
nipotentiam, vt alibi sæpe probaui-
s. Sed hæc est vnum ex attributis.
go est impossibile, quòd Spiritus San-
s procedat ex amore diuinorum attri-
orum, & non procedat ex amore
sibilium, vt formaliter possibi-
m.
ices, omnipotẽtia cõtinetur formali-
in Deo. Ergo si creaturæ possibiles, vt
sibiles nõ reduplicarẽt, nisi omnipo-
tiam, vt formaliter tales, non essent
Deo eminenter, sed formaliter; adeò-
e comprehenderentur sub prima parte
nclusionis.
Nego consequentiam. Quamuis enim
ma huius concreti *possibile*, sit diuina
nipotentia, non tamen illa est totum
ncretum, cùm dicat etiam ipsas crea-
as vt subiectum terminatiuum diuinæ
iuitatis ad extra, & denominationis à
i forma, & hoc est illud, quod conti-
tur in Deo virtualiter. Deus ergo
at creaturam, ratione possibilitatis,
a denominatur; atque adeo diuinus
ior terminatur formaliter ad ipsam
ssibilitatem, & quasi materialiter ad
is subiectum denominationis, eo mo-
quo visus disgregatio respicit forma-
er albedinem, & materialiter lignum,
od est subiectum illius.
Ad 1. Dico, conclusionem procedere
possibilibus, non autem de actu exi-
sten-

ſtentibus, quæ cùm ſint formaliter extra cauſas, non ſunt ampliùs in Deo, ſed in ſe. Ad rationem oppoſitam dico, creaturas poſſibiles habere bonitatem obiectiuam, ſicut exiſtunt obiectiuè, & amari vt tales ſecundùm rectum, amore omninò abſoluto, & directo, ſecundùm autem obliquum, amore quaſi indirecto, & conditionato, ſi exiſtant. Rectum autem eſt poſſibilitas actiua, indiſtincta ab ipſo Deo, & obliquum eſt entitas ipſius creaturæ, vt terminans poſſibilitatem.

Dices cum Gonetto, creaturæ poſſibiles, vel nullam habent bonitatem; vel ſi habent bonitatem tranſcendentalem, quæ dicit integritatem in proprio ordine, non tamen habent bonitatem formalem, quæ conſiſtit in conuenientia reſpectu alterius. Ergo non ſunt à Deo diligibiles.

In primis Nego antecedens quoad omnes partes. Quoad primam dico, creaturas poſſibiles habere bonitatem obiectiuam, vt dictum eſt. Ergo non carent omni bonitate. Quòd autem hæc ſufficiat, ad hoc vt poſſint amari, probatur euidenter, primò quia ſunt eligibiles à Deo. Ergo habent bonitatem, quæ poſsint illum determinare ad ſui amorem; id enim quod non amatur, non eligitur, & ideo omne eligibile eſt amabile. Probatur antecedens, omne eligibile, vt formaliter tale, eſt nō exiſtens, cū debeat eſſe aliquid conſequibile, adeòq; abſens.

E.g.

g. quando eligo ire Romam, illa itio
bet rationem boni motiui, quauis exi-
t merè obiectiuè, & non realiter. Er-
tantum abest, quòd non existentia
ualis reddat obiectum inamabile, vt
r hoc ipsum sit aliquo modo formali-
amabile. Deinde quia finis secundùm
am bonitatem mouet voluntatem ad
iorem sui, & tamen realiter non exi-
t, sed solùm obiectiuè, vt patet in
roto, qui mouetur ad pharmacum, ex
nitate sanitatis, quam non habet. Er-
etiam in creatis est falsum assumptum
onettianum. Quoad secundam, boni-
transcendentalis est passio entis. Er-
sicut veritas transcendentalis reddit
iectum verum, hoc est potens termi-
re cognitionem veram; ita bonitas
ddit illud bonum, hoc est potens ter-
inare amorem sui. Atque adeo si con-
dit possibilibus bonitatem transcen-
ntalem, inconsequenter negat illis di-
gibilitatem. Quoad tertiam, dico bo-
tatis conuenientiam debere considera-
in eadem linea, in qua est bonitas. Er-
sicut in linea existentium, omnis bo-
tas conuenit alicui, ita in linea possi-
lium. Ergo omnis bonitas est forma-
; atque adeo malè illam distinguit in
nscendentalem, & formalem.
Deinde nego consequentiam. Quam-
s enim possibilia nullam haberent bo-
tatem, ratione cuius possent à Deo di-
ctè, & absolutè amari, adhuc tamen
ent simpliciter à Deo diligibilia, quia
pos-

possent ab illo amari, quasi indirectè, & conditionatè, si existant, vt dictum est. Dixi *quasi indirectè*, quia cùm Deus vno eodemque actu prosequatur possibilia, secundùm rectum, & obliquum, quæ respicit per modum vnius, illa directè, & absolutè amat secundùm realitatem, licèt ratione nostra raciocinante in eius amore distinguamus duas formalitates, quarum vna rectum, & altera obliquum prosequatur, prosecutione virtualiter duplici, ratione cuius, illum denominamus directum respectu vnius, & indirectum respectu alterius. Ergo adhùc posset Spiritus Sanctus procedere per talem amorem.


Ad 2. Distinguo antecedens, Spiritus Sanctus est formaliter amor procedens, concedo: amor producens, nego antecedens, & consequentiam, quæ solùm valeret, si esset amor producens vt *quo*. Sicut enim Verbum est intellectio Patris, non tamen procedendo per intellectionem, procedit per se ipsum; ita nec amor. Et ratio est, quia cùm non habeamus terminos proprios, ad exprimendum amorem actiuum non distinctum a passiuo in diuinis, vtrumq; exprimimus eodẽ nomine. Cæterum non semper supponit pro vtroque, vt probat diuus Thomas hic q.35.ar.1. Nam prout amor dicit actiuum diligere, & amare Patris, ac Filij, dicitur amor spirans, & est principium *quo* Spiritus Sancti, & prout dicit impressionem rei amatæ in affectu amantis, di-

icitur amor procedens. Optimè igitur
ꝛidem diuus Thomas ad 4. concludit, *[s]icut Filio licèt intelligat, non tamen sibi [c]ompetit producere verbum, quia intelli[g]ere conuenit ei vt verbo procedenti; ita [l]icèt Spiritus Sanctus amet, essentialiter accipiendo, non tamen conuenit ei quòd spiret amorem, quod est diligere notionaliter sumptum; quia sic diligit essentialiter vt amor procedens, non vt à quo procedit amor.*

Superesset hìc agitare, an Spiritus Sanctus procedat vt imago Patris, ac Filij? Sed quia solutionem attulimus per totum articulum quintum disp. 19. ideo nõ est opus illam repetere.



DI-



DISPVTATIO XXIII.

De nominibus, effectibus, & figuris Spiritus Sancti.



D perfectam intelligentiam Spiritus Sancti, agitandum est de eius nominibus, effectibus, & figuris, seu symbolis, iuxta varias apparitiones illius, recensitasi n sacris paginis. Quæremus ergo quoad primum, an conuenienter dicatur, modò Spiritus Sanctus, modò amor, & modò donum? Quoad secundum quæremus, an conuenienter ei attribuantur opera naturæ, & gratiæ? Et demum eius apparitionum congruentiam inuestigabimus.



AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An conuenienter dicatur Spiritus, Sanctus, amor, & donum?

VIdetur primò, non bene dici Spiritum, quia vel Spiritus dicitur à spirando, vel ab immaterialitate? Si primum, conuenit Patri, & Filio, qui per modum vnius producunt tertiam Personam. Ergo non conuenit ipsi tertiæ Personæ, nè dicamus illā à se productam. Si secūdum, hoc est commune toti Trinitati, in quam nulla cadit materialitas. Ergo neutro modo est proprium talis Personæ.

2. Videtur non benè dici Sanctus, quia sanctitas vel accipitur essentialiter, vel personaliter? Si primum, cùm sit perfectio absoluta, conuenit omnibus Personis, ratione essentiæ. Si secundum, quidquid est in tertia Persona, præintelligitur esse in prima, & secunda, à quibus illud per processionem accipit. Ergo si sumatur personaliter sanctitas, vt conueniens tertiæ Personæ, non potest in illa concipi vt propria, sed vt communicata ab illam præhabentibus. Et ideo etiam secunda Persona dicitur Sancta, vt ad Heb. 7. *sanctus, innocens, impollutus, &c.* & ab ipso filio dicitur sancta prima Persona Io. 17. post med. *Pater sancte serua eos in nomine tuo*, Et tota Tri-

Trinitas dicitur sancta, vt Isaiæ 6. *sanctus sanctus, sanctus*,

3. Neque congruè dicitur amor, primò quia amor est nexus duorum, vt dicitur à Dyon. 4. de diu. nom. Sed nexus non procedit ab ijs, quæ nectit, aliter non esset medius. Ergo cùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, non est eorum amor. Deinde Amor significatur vt actio amantis in amatum. Ergo non significatur vt per se subsistens, sicut est Spiritus Sanctus.

4. Videtur, illi non conuenire nomen doni, quia donum dicitur à donando, quod accipitur temporaliter. Ergo non potest esse nomen personale, quod dicitur, & accipitur æternaliter.

Conclusio, *Conuenienter tertia Persona dicitur Spiritus, Sanctus, Amor, & Donum*. Ita diuus Thom. hic quæst. 37. & 38.

Probatur prima pars cum eodem lib. 4. con. Gen. c. 19. sub fin. tertia Persona procedit à Patre, & Filio, illos intrinsecùs inclinans, & quodammodo impellens ad se ipsum. Ergo procedit per modum impulsus. Sed impulsus interior in viuentibus congruenter dicitur Spiritus. Ergo tertia Persona congruenter Spiritus appellatur. Et hæc est ratio, cur eius processio dicatur spiratio, quia sicut nostra respiratio fit per spiritum, ita & illa, cuius analogiam ingeniosè prosequitur Gonettus hic, deducendo similitudinem ex eius causis, modo, & dura-

tio-

ne. Sicut enim illa procedit ex calo-
cordis, cooperante virtute viscerum,
ntinuato tenore auræ vitalis, ad fouen-
m natiuum calorem, & refrigerandos
lmones; ita processio Spiritus Sancti,
ote proueniens ex bonitate Patris, ac
lij, ex naturali necessitate diuinæ vitæ,
fouendum sempiternum mutuæ cha-
atis ardorem, quo Pater, & Filius se
iduò diligunt, est intima, vitalis, con-
ua, vnde in nobis cõcupiscentiæ æstus
nperatur. Præterea tertia Persona di-
ur Spiritus causaliter, quatenus nos
rituales quodammodo efficiat suis do-
;, depurando à sensuum rebellante
iterialitate, qua anima quodammodo
grauata materializatur, vt sapiens con-
erebatur Sap. 9. *corpus quod corrumpi-*
, aggrauat animam. Demum, quod
ur per insufflationem est spiritus. Sed
tia Persona datur per insufflationem,
dicitur Ioan. 20 *hac cùm dixisset, in-*
flauit, & dixit eis, accipite Spiritum
nctum. Ergo est Spiritus, similitudi-
deducta ex prima insufflatione, qua
us Adæ 2. Genes. contulit spiritum
mæ viuentis, expressa tamen voce in
rationis, *& inspirauit in faciem eius*
aculum vitæ, vt denotaretur, per pri-
m insufflationem fuisse datum spiri-
n, in animam, & formam corporis,
od cùm esset materiale, debuit quo-
nmodo per inspirationem spirituali-
i; at per secundam fuisse datum Spi-
m, in animam, & formam ipsius ani-

mæ, vt illam ad vitam gratiæ viuificaret; quæ quia erat ex se Spiritus, non debuit inspirari, sed insufflari, non ad recipiendam spiritualitatem simpliciter, sed ad recipiendam meliorem.

Probatur secunda, quia (vt obseruat diuus Tho. in 1. d. 10 q. 4. ad 4.) illi Personæ debet appropriari sanctitas, quæ procedit ex principio ex se libero, saltem secundùm genus, cui videlicèt possit conuenire rectum, & non rectum, ad denotandam eiusdem naturalem, & intrinsecam determinationem, & quasi contractionem ad sanctitatem. Sed huiusmodi est solus Spiritus, qui cùm procedat per voluntatem, de cuius ratione intrinseca est libertas, est ex principio ex sua natura non semper eodem modo operante, sicut est natura, per cuius operationem procedit Verbum. Ergo Spiritui soli debet appropriari sanctitas. Præterea sanctificat animas nostras per infusionem gratiæ. Ergo est sanctus effectiuè; si enim actus charitatis, qui est participatio quædam diuinæ dilectionis sanctificat, & iustificat, vt videbimus in loco, multò magis, immò per infinitum excessum sanctificat Spiritus, qui est formaliter illa infinita, & perfectissima charitas, qua Pater, & Filius se diligunt sempiternaliter.

Probatur tertia ex dictis, quia cùm Spiritus Sanctus procedat ex mutuo amore Patris, ac Filij, est intrinsecus terminus eorum amantis voluntatis.

Præ-

Præterea excitat nos ad amorem Dei: Ergo congruenter dicitur amor, nempe formaliter, & virtualiter.

Probatur quarta, primò quia amor est primum donum, quod rependitur amico. Sed Spiritus Sanctus procedit vt amor. Ergo vt donum, vt docet diuus Tho. hic q. 38. ar. 2. *Manifestum est, quòd amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur; vnde cùm Spiritus Sanctus procedat vt amor, procedit in ratione doni primi.* Quòd si quæratur in quo consistat ratio doni respectu Dei? Explicatur ab Augustino lib. 4. de Trin. c. 20. sub med. dicente, *Spiritui Sancto donum esse, est à Patre procedere*, quæ verba explicantur à Mag. in 1. d. 18. litt D. *Hic apertè ostenditur, quòd Spiritus Sanctus eo donum est, quòd procedit à Patre, & Filio*. Et paulò post, *Spiritus Sanctus dicitur esse à Patre, & Filio, quia est donum Patris, & Filij, idest quia procedit ab vtroque. Eo enim dicitur Spiritus, quo donum, & eo donum, quo procedens*: Et ab ipsomet Aug lib. 5. c. 11. sub med *Donum est Patris, & Filij, quia & à Patre procedit, & à Filio*. 2. Donum est illud, quòd datur datione irreuocabili, vt Philosophi, & iuristæ docent, & absque intentione retributionis, ex puro amore donatoris. Sed Spiritus Sanctus datur à Patre, & Filio, datione irreuocabili, sine vlla intentione retributionis, ex puro amore, quo eum prosequūtur, & creatu-

ras; & ideo dicitur procedere vt datus, & non vt natus. Ergo Spiritus Sanctus, ex sua formali ratione, procedit vt donum. Et ideo vt formaliter tale, duplicem dicit relationem, vnam realem ad donantem, ratione realis processionis, & alteram rationis ad creaturas, quibus solis donatur, vt docet Magister in 1. d. 18. litt. E.

Ad 1. Nego maiorem. Et dico, tertiam Personam dicit Spiritum, non quia spiret, vel sit immaterialis, sed quia procedat per modum impulsus, & propter alias rationes allatas in 1. p. Sed esse impulsum est proprium solius tertiæ Personæ. Ergo illi soli appropriatur nomen Spiritus.

Ad 2. Dico, sanctitatem accipi personaliter, quæ licèt communicata à Patre, & Filio, non tamen ab illis formaliter præhabetur. Nam vel esset eadem, & tolleretur distinctio Patris, & Filij à Spiritu Sancto; vel diuersa, & non saluaret formalem præcontinentiam. Quia ergo diuinæ Personæ procedunt æternaliter, & consubstantialiter, ideo inter illas non datur vera præcontinentia, nisi originis, quæ dicit quidem virtutem fæcundam in producente, coeternam tamen, & consubstantialem cum producta; vnde non potest haberi, nisi præcontinentia rationis. Neque obstat, quòd etiam aliæ Personæ dicantur sanctę, nam dicuntur essentialiter, & non personaliter, sicut tertia.

Ad 3.

Ad 3. Nego suppositum, & ad 1. rationem nego minorem. Et dico, Spiritum dici, nexum Patris, & Filij, non per modum glutinis aduentitij, sed per modum identitatis cum amore vtriusq; vnde potiùs sequitur oppositum, vt docet diuus Tho. hìc q. 37. ar. 1. ad 3. dicens. *ex hoc ipso quod Pater, & Filius se mutuò amant, oportet quòd mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus, ab vtroque procedat*. Vnde infert, *quòd non sit medius, sed tertia Persona*. Ad 2. Dico, quòd licèt amor significetur vt actio transiens, tamen est verè immanens amanti, cum respectu ad amatum. Sicut ergo Verbum est per se subsistens, licèt significetur cum respectu ad rem intellectam, ita & amor.

Ad 4. Dico, donum dici à donando, non quidem secundùm actum, sed secundùm habitum, vt docet hìc diuus Tho. q. 38. ar. 1. ad 4. *donum non dicitur ex eo, quòd actu datur, sed inquantum habet aptitudinem, vt possit dari*. Cùm ergo Spiritus Sanctus ab æterno habuerit aptitudinem, vt daretur, ab æterno erat donum.

De alijs nominibus Spiritus Sancti, vide Basilium lib. 5. in disp. con. Eunom. sub finem, nam ea fusè videbis relata, neque est opus illa singillatim recensere, quia nullam continent difficultatem.

ARTICVLVS II.

An Pater, & Filius diligant se Spiritu Sancto?

VIdetur quòd non, Primò, non potest dici, Pater est sapiens, & potens sapientia, & potentia genitis. Ergo neque potest dici, quòd sit amans amore spirato, sicut neque potest dici quòd sit sanctus, sanctitate spirata, cùm sit in omnibus eadem ratio.

2. Eodem amore Pater diligit Filium, quo diligit se, & creaturas. Sed non potest diligere se, & creaturas Spiritu Sancto, tamquam amore spirato. Ergo neque filium. Et idem valet de filio respectu Patris, & de ipso Spiritu S. respectu amoris sui.

3. Ædificator non ædificat ædificio, vt docet Scotus in 1. d. 32. q. 2. §. *contra*: & pictor non pingit pictura. Ergo neque spirans spirat termino spirato. Sed amare in diuinis nihil est aliud, quàm spirare amorem. Ergo Pater, & Filius non amant Spiritu Sancto, qui est amor spiratus.

Conclusio, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto notionaliter, non autem essentialiter*. Est diui Thom. quæst. 38. ar. 2.

Secunda pars est euidens. Quidquid enim dicitur de Deo essentialiter, verificatur per eius essentiam. Et ideo dicitur, quòd

quòd essentia sit omnipotens, æternus, intelligens, &c. Et iuxta hanc acceptionem est exponendus Augustinus, cum dixit 15. de Trin. c. 7. *Quis audeat dicere, Patrem nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, nisi per Filium, vel diligere, nisi per Spiritum Sāctum?* Et rationem affert, quia *si Pater non intelligit ipse sibi, sed filius intelligit Patri, profectò filius facit sapientem esse Patrem.* Hoc autem esse absurdum probat ex eo, quia cùm in Deo sapientia sit sua essentia, iam filius tribueret Patri essentiam, & sic *non filius esset à Patre, sed à filio potius haberet Pater essentiam*, quo nihil absurdius.

Probatur prima, verba actiua notionalia aliquando significant solum respectū ad terminum productum, vt generare, & spirare: aliquando significant, non solùm respectum agentis ad terminum, sed etiam ad obiectum, vt dicere, quod (vt docet hic diuus Thom. q. 34. ar. 1. ad 3.) dicit respectum non solùm ad verbum conceptum, sed etiam ad rem intellectā. Et hæc verba, licèt quoad modum significandi, importent vtrumque eodem modo, non tamen quoad rem significatam. Nam aliquando terminum vt formam important, vt cum dicitur ignis calefacit calore: aliquando vt actionem, vt ignis calefacit calefactione: aliquando vt eius modum, vt calefacit citò: aliquando vt instrumentum, vt faber tundit malleo: & aliquando vt effectum, seu terminum

productum, & hoc dupliciter, aliquando vt inclusum, in conceptu actionis, vt cum dicitur ignis calefacit calefactione, nam calefactio, quæ est eius actio, inuoluit in suo conceptu calorem, qui est forma ignis: & aliquando vt non inclusum, vt cum dicitur, arbor floret floribus, nam flores, non sunt forma arboris, sed eius effectus.

Neque obstat, quòd calor non sit forma ignis, sicut flores non sunt formæ arboris; nam aliquando id, vnde aliquid denominatur, sumitur prò forma, saltem denominationis, vt cum dicitur Petrus indutus pallio, pallium sumitur prò forma Petri, licèt non sit, vt docet hic diuus Tho. q. 37. ar. 2. in corp. Cùm ergò calor denominet ignem calefactiuum, ideo sumitur pro eius forma. Flores autem quia non denominant pyrum e. g. ideo non sumuntur prò eius forma.

His positis, quia in diuinis *diligere notionaliter nihil est aliud, quàm spirare amorem* (vt idem ibid. prosequitur) *sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores; ideo sicut dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel filio se, & creaturam: & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente, se & nos.* Et ratio, quam attulerat, est, quia quando effectus, vel terminus productus inuoluitur in actione, tunc potest agens ab illo denominari; & ideo dicitur ignis calefacere calefactione, quia cùm in cale-

lefactione inuoluatur calor, idem dicitur, ac si diceretur, calefacit calore. Quia ergo amor productus inuoluitur in ipsa spiratione, quæ est actio dilectionis, ideo potest dici, Pater, & Filius diligunt dilectione producta.

Hinc tamen non sequitur, posse dici, quòd spirent termino spirato, seu Pater generet genito, propter rationem afferendam.

Ad 1. Magister in 1. d. 32. in fine, cognoscit tantam vim in allata paritate, vt desperans posse afferre congruentem disparitatem, tandem concludat, *eam tamen quæstionem lectorum diligentiæ pleniùs diiudicandam, atque absoluendam relinquimus, ad hoc minus sufficientes*. Tamen ductu Angelici præceptoris, nego consequentiam. Disparitas est, quia esse sapientem, vel potentem, vel sanctum, non dicuntur, nisi essentialiter; at esse amantem, vel diligentem sumitur, non solùm essentialiter, sed etiã notionaliter. Et ideò licèt non possit dici essentialiter, quòd Pater, & Filius diligant Spiritu Sancto, potest tamen dici notionaliter, modo explicato.

Ad 2. Distinguo maiorem, si sermo sit de creaturis, actu existentibus, nego; si de possibilibus, concedo maiorem. Et distinguo minorem, non potest diligere se, & creaturas existentes, concedo: possibiles, nego minorem, & consequentiam. Cùm enim statutum fuerit disp. 21. ar. 14. Spiritum Sanctum proce-

 dere

dere ex amore creaturarum possibilium, vtique procedit ex eodem amore, quo Pater amat se, Filium, & possibilia, licèt diuersimodè terminato, nam terminatur ad Patrem, & Filium, vt sunt in se ipsis, ad creaturas verò vt sunt in diuina omnipotentia, & bonitate. Et hoc de amore notionali. Si verò loquamur de essentiali, quo tota Trinitas amat creaturas, quia principium formale illius est sola diuina essentia, ideo est extra telum quæstionis.

Ad 3. Distinguo minorem subsumptam, amare nihil est aliud, quàm spirare amorem, quoad rem significatam, concedo: quoad modum significandi, nego minorem, & consequentiam. Quia ergo spirare, producere, & generare significant actionem, cum solo respectu agentis ad terminum productum, ideo non possunt illum significare in ablatiuo, sed solùm in accusatiuo; neque enim potest dici, Pater generat Verbo, sed Verbum, sicut nec potest dici, Pater, & Filius spirant Spiritu Sancto, sed Spiritum Sanctum. Contra verò quia diligere, & dicere notionaliter significant actionem, cum duplici explicito respectu, nempe vno agentis ad terminum, & alio ad obiectum; ideo appellant semper obiectum, vt vltimum terminum, quod proinde semper exprimunt per accusatiuum, & terminum immediatum, tamquam eius medium; & ideo possunt illum exprimere per accu-

usatiuum, & per ablatiuum, d cendo, diligunt Spiritum Sanctum, & Spiritu Sancto, Pater dicit Verbum, & Verbo. Diuersitas oritur ex diuerso modo significandi; nam prima verba significant actus notionales tantùm, nempe spirationem, productionem, & generationẽ, vt vias ad suos terminos; at secunda significant actus notionales, cum suis terminis, quos formaliter inuoluunt; nam dicere est producere Verbum, & ideo importat dictionem, vt actum inuoluentem personam Verbi, vt suum terminum; sicut diligere notionaliter est producere amorem; & ideo importat dilectionem, vt actum inuoluentem personam Spiritus Sancti, qui est amor, vt suum terminum, & ex vtroque potest principium actiuum denominari diligẽs, dilectione, vt actu notionali, & Spiritu S. vt persona procedente, sicut loquitur hic diuus Thomas, in responsione secundi.

ARTICVLVS III.

An Spiritui Sancto congruè attribuantur effectus naturæ, & gratiæ?

VIdentur non congruè attribui, quia cùm opera ad extra, siue sint naturæ, & omnibus communia, siue sint gratiæ, & solùm propria creaturæ intellectualis, vt sunt Angeli, & homines, proueniant indiuisim à tota Trinitate, non

possunt Spiritui Sancto appropriari. Præterea cùm hæc sint opera omnipotentiæ, hæc attribuatur Patri, ratione cuius in symbolo fidei proponitur omnibus credendum, Deum Patrem esse omnipotentem, factorem cæli, & terræ, si alicui ex diuinis Personis deberent appropriari, congruentiùs Patri appropriarentur. Et ideo communiter theologi approprians Patri potentiam, sapientiam filio, & bonitatem Spiritui Sancto. Ergo hi effectus non congruè illi attribuuntur.

Conclusio, *Congruenter tribuuntur Spiritui Sancto omnia opera naturæ, & gratiæ*. Elicitur ex diuo Tho. lib. 4. con. Gen. c. 20. & seqq.

Probatur 1. ex eiusdem doctrina, Deus non operatur ad extra, nisi ex amore suæ infinitæ bonitatis, docente Dyonisio lib. de diu. nom. c. 4. *diuinus amor non permisit, ipsum esse sine germine*. Sed Amor diuinus est Spiritus Sanctus, qui procedit per voluntatem Patris, ac Filij se inuicem amantium. Ergo illi congruenter tribuitur creatio rerum, vt dicitur psal. 103. *emitte spiritum tuum, & creabuntur*. Et iure quidem; nam cùm solus ipse sit sterilis ad intra, debuit ad extra fæcundari, vt sit dignus terminus ad intra diuinæ fæcunditatis; non quòd sine hac appropriatione non esset talis; sed qnòd per illam digniùs de eo loquamur, eius quodam modo sterilitatem compensantes.

2. Postquàm Deus creauit cœlum, & ter-

terram, dicitur in 1. Genes. *terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*, vt ostenderetur, fuisse factam solam materiam primam rudem, & informem, vt ibi exponit diuus Thomas cum Augustino. Ad hoc ergo vt formaretur, & distingueretur in species, opus fuit quòd Spiritus Sanctus operaretur; & ideo subditur, *& Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Et statim distincti sunt cœli à terra, & dissipatæ sunt tenebræ; *dixitque Deus fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucem à tenebris*. Iure igitur illi tribuitur, quòd perfecerit, & ornauerit cœlum, & terram, vt dicitur Iob 26. *Spiritus Domini ornauit cælos*. Rationem ibi affert Angelicus ex natura amoris, cuius cùm sit propria vis motiua, & impulsiua, *motus qui est à Deo in rebus, Spiritui Sancto propriè attribui videtur; prima autem mutatio in rebus à Deo existens, intelligitur, secundùm quòd ex materia informi, species diuersas produxit*, nempe, Angelorum in cœlis, & aliarum rerum extra illos.

3. Distributis omnibus in suos ordines, requiritur principium aliquod cuncta viuificans, & gubernans, vt omnia in suis ordinibus perseuerent. Quia ergo hoc etiam fit per quamdam motionem, secundùm quam Deus omnia dirigit, & mouet ad suos fines (vt idem docet) congruenter gubernatio, & rerum viuificatio tribuitur Spiritui Sancto, qui

vt essentialiter Amor, est principium cuiuscumque diuini impulsus ad creaturas. Et ideo dicitur Iob 33. *Spiritus Dei facit me*: & psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: Et in symbolo fidei, illum profitemur *Dominum, & viuificantem*. Quod specialiùs apparet in hoc postremo; nam cùm vita sit motus ab intrinseco, vt dictum est in 1. de an. & hic exprimatur halitu, bene tribuitur diuino Amori, vt docet Aug. super illud Genes. 2. *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, dicens, *significans Spiritum Sanctum, qui diuino suo habitu omnia viuificat*.

4. Quia verò creaturæ rationali dedit libertatem, & per illam potuit à statu integritatis originalis, & primæuæ rectitudinis dimoueri, ideo necesse fuit, quòd illi non deesset auxiliator, nè caderet, & post lapsum reparator. Reparatorem habuimus Christum Dominum, qui propria morte, nos omne peccato extinctos ad vitam reuocauit. Cæterùm auxilia nè iterũm cadamus, omnia nobis elargitur per Spiritum Sanctum, vt videbimus alibi. Et ideo dicitur ad Rom. 8. *Viuificabit mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis*. Et 1. ad Cor. 12. *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum*. Et infra, *hæc omnia operatur vnus, atque idẽ spiritus, diuidens singulis prout vult*. Et vt possit semper præsto esse in omni-

bus

bus periculis, & necessitatibus nostris, assiduò habitat in nobis, vt dicitur 1. ad Cor. 4. *nescitis quoniam templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Et Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et 1. Io: 3. in fine, *in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis.* Ex quibus, & infinitis alijs huiusmodi locis clarè deducitur, passim à scripturis attribui Spiritui Sancto effectus naturæ, & gratiæ, vt fusè prosequitur diuus Tho. 4. con. Gen. cap. 20. 21. & 22.

Ad argumentum oppositum nego consequentiam. Ad 1. rationem dico, verùm esse, omnia opera ad extra, indiuisim fieri à tota Trinitate, tamen quia Sanctissima Trias non operatur ad extra, nisi ex amore suæ bonitatis, ideo congruentissimè dicitur, quòd amor diuinus sit causa rerum. Atque adeo cùm Spiritus Sanctus sit amor diuinus, congruenter illi opera omnia ad extra appropriantur. Ad 2. Dico, Patri appropriari omnipotentiam, non quia specialiter influat in creaturas, sed propter authoritatem dantis, quatenus videlicèt ille habet à se talem potentiam, filius autem, & Spiritus Sanctus habent ab illo, tamquam à fonte totius diuinitasis. Cæterum si consideremus motiuum, & modum proprium concurrendi, ex quibus desumitur appropriatio; sicut filio appropriamus sapientiam, quatenus procedit

dit vt Verbum per intellectionem; ita debet Spiritui Sancto appropriari creatio, ornatio, gubernatio, & viuificatio, quatenus procedit vt Amor, per voluntatem amantem Patris, & Filij, quo Deus vult alia à se, vt diximus ex diuo Thoma.

ARTICVLVS IV.

An conuenienter sub varijs figuris apparuerit Spiritus Sanctus?

Videtur 1. Non conuenienter apparuisse sub forma columbæ. Nam vel erat verum animal talis columba, vel apparens? Non potest dici primum; aliter sicut Verbum apparendo sub forma hominis, assumpsit humanitatem, ita Spiritus Sanctus assumpsisset naturam columbinam, quod illum dedecebat. Neque secundum; aliter nos decepisset, apparens quod non erat. Ergo &c.

2. Nec videtur conueniens, quòd apparuerit sub forma ignis; Cùm enim ignis sit vorax, & omnia consumens, non potest exprimere Spiritum omnia creantem, conseruantem, & viuificantem. Multò minùs quòd hic ignis exprimeret formam linguæ; cùm enim lingua sit instrumentum locutionis, congruentiùs expressisset filium, qui est Verbũ Patris.

3. Omnium indecentissima videtur fuisse forma venti, & spiritus vehementis. Cùm enim Spiritus Sanctus sit amor notionalis Patris, ac Filij; quo se æter-

liter diligunt, potiùs placidissimo
iquo signo exprimi debuit; præsertim
im infundendo nobis diuinæ charita-
s thesarum, non ad motum, qui est pro-
rius peccatorum à Deo recedentium,
ed ad quietem in Deo extimulat, & tra-
it ad æternam fruitionem.

Conclusio, *Congruentissimè Spiritus Sanctus apparuit sub figuris columbæ, linguæ igneæ, & spiritus vehementis.*


Probatur, quia (vt docet yonis. c. 1. de Hier. eccl. *non aliter fas erat infirmitati nostræ lucere diuinum radium, nisi sub sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora ferremur, occultatum.* Ergo ad varietatem exprimendorum, debuit Spiritus Sanctus induere sensibiles formas, vt insensibilium varietatem effectuum, quos operatur in nobis, manifestaret. Atque adeo quia in Iordane, dùm Christus baptizabatur, aquas diuina imbuit virtute, vt possent per baptismalem ablutionem, nostras animas tergere ab omni labe peccati, illasq; replere diuina gratia, cõgruenter assũpsit columbę speciem, quæ simul mũdissima est, & fæcũdissima, ad exprimendã munditiẽ quam inducit, & virtutum fæcunditatem. Cum autem Apostolos Euangelij tubas instituit, congruenter illis incubuit, sub ignearum linguarum specie, vt ostenderet, *eos simul ardentes, & loquentes fieri*, vt docet Greg. hom. 30. in Euang. Et quia illos disponebat vt duces christiani populi, ad pugnandum contra ae-

aereas potestates, repleuit illos diuino robore, sub imagine spiritus vehementis, ad exprimendam eorum efficaciam, & vehementiam ad euangelium promulgandum.


Ad 1. Dico, illam columbam fuisse verum animal, non tamen assumptum, vt docet Angelicus 3.p.q.39.ar.7. Probatur primum, quia cùm sit Spiritus veritatis, vt dicitur Io.16. non debuit exprimi figmento. Probatur secundum, quia humanitas in Christo fuit necessaria vt instrumentum ad patiendum, & satisfaciendum, & ideo fuit assumpta, vt esset sua, aliter non fuisset facta communicatio idiomatum. At columba fuit adhibita per modum signi; & ideo non fuit necesse illam assumere.

Ad 2. Dico fuisse congruentem figuram ignis, & linguæ, vt per illum exprimeretur consumptio peccatorum, & per hanc infusio doni omnium linguarum. Fuit autem conueniens, vt missus à Verbo, per linguam, quæ est eius instrumentum, exprimeretur.

Ad 3. Patet responsio ex dictis. Cùm enim Spiritus Sanctus venerit, vt roboraret ad pugnam, qua ad æternam fruitionem disponeremur, congruens fuit, vt voce quasi classicum concinente, & flatus vehementis eruptione denotaretur.



DI-



DISPVTATIO XXIV.

De Eaqualitate Personarum.



Duertendum hic est, quæstionem non procedere circa æqualitatem, fundatam in quantitate continua, siue intrinseca, vt est magnitudo molis, siue extrinseca, vt est locus; vel in discreta, vt est numerus, perinde quasi duæ Personæ faciant plus, quàm vna, & tres, quàm duæ. Cùm enim in Deo non sit materia physica, neque est quantitas; & ideo non possunt fieri huiusmodi comparationes. Quæstio ergo procedit solùm circa quantitatem virtutis, & perfectionis, circa quam quæremus 1. An sint æquales secundùm potentiam? 2. An sint æquales secundùm æternitatem? 3. An secundùm dignitatem, & magnitudinem? 4. An secundùm alias perfectiones absolutas, & notionales? Et demum an hæc æqualitas importet respectum realem, vel rationis? Et an possit admitti aliqua inæqualitas?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An diuinæ Personæ sint æquales secundùm potentiam?

Videntur non esse, quia Pater potest generare, & Filius non potest. Rursus Pater, & Filius possunt spirare, quod non potest Spiritus Sanctus. Ergo Pater est potentior Filio, & vterque Spiritu Sancto, eò quia qui habet aliquam potentiam, est potentior illam non habente.

Conclusio, *Omnes diuinæ Personæ sunt æquales, secundùm potentiam*. Est de fide.

Probatur 1. Ex symbolo S. Athanasij, vbi dicitur, *tres Personæ coæternæ, sibi sunt, & coæquales*. Item ex Toletano 6. in prof. fidei sub in. *In hac Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat*. Et ex Tolet. XI. sub in. prof. fid. *nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum vnaquaque Persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum tota tres Personæ vnus Deus enunciatur*. Et ad Philipp. 2. Apostolus loquens de Christo, vt est secunda Persona, dixit, *non repinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, hoc est alijs Personis. Ergo Filius est æqualis Patri quoad potentiam, & vterque Spiritui Sancto. Et ideo dicitur in eod. sym-

ymbolo cit. S. Athan. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, & omnipotens Spiritus Sanctus*, quod non esset verum, i vnus esset potentior alio, cùm sit impossibile, dari aliquid potentius omnipotente.

2. Omnis potentia diuinarum Personarum, vel est formaliter essentia, vel per illam habetur. Sed hæc est vna, & eadem in omnibus. Ergo & eadem potentia, quæ proinde non potest compati inæqualitatem. Neque obstat, quòd potentia diuersificetur secundùm notionalia. Primò quia hæc diuersitas non inducit diuersitatem essentialem, secundùm quam attenditur inæqualitas. Et deinde quia quælibet potentiæ notionalis carentia, compensatur per aliam potentiam, ad perfectam æqualitatem. Ergo diuersitas in potentijs notionalibus non inducit inæqualitatem.

3. Quæ eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia, vt demonstrat Euclides initio primi libri. Sed omnes diuinæ Personæ sunt æquales eidem diuinæ essentiæ, secundùm omnem potentiam excogitabilem; aliter vel illa esset extra essentiam, vel hæc non esset in tali Persona secundùm se totam, quæ sunt absurda. Ergo sunt æquales inter se.

Neque obstat, quòd hic modus arguendi deficiat, in ordine ad probandam identitatem. Nam cùm identitas sit maximè vnitas (vt probauimus in disp. met.) excludit in suo genere omnem distin-

ctio-

ctionem sibi oppositam. Quia ergo Personalitates distinguuntur aliquo modo ab essentia (vt inibi probauimus) ideo ex earum cum essentia identitate, non infertur identitas ipsarum Personalitatum. Aequalitas autem quia fundatur in similitudine, non solùm compatibili, sed fundata in actuali distinctione, ideo ad illam inferendam sufficit obiectiua conuenientia prædicatorum in aliqua linea, quæ si reperiatur inter extrema cum tertio, ex nullo capite potest impediri, quò minùs inter ipsa extrema reperiatur, vt patet inductione. Et rationem à priori affert Philos. 5. met. t. 20. *Eadem sunt, quorum substantia vna: similia quorum qualitas vna: & æqualia quorum quantitas vna*. In diuinis autem quia nec datur qualitas, nec quantitas, ideo quia potentia est substantia, eorum similitudo, & æqualitas attenditur tantùm secundùm potentiam substantialem, seu essentialem, secundùm quam in symbolo cit. non dicuntur tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, ad denotandam potentiæ vnitatem (vt definitur in Lateran. sub Innoc. 3. cap. *firmiter*, toties citato) prouenientem ex vnitate essentiæ, secum identificantis omnem diuinam potentiam, siue absolutam, siue relatiuam, & notionalem.

Ad obiectionem respondet Aegid. Columna in 3. phys. t. & c. 32. (vt refert Aug. in 1. d. 20. ar. 1.) concesso antecedenti, negando consequentiam, quia

delicèt putat, spectare solùm ad omnipotentiam terminari ad ea, quæ non implicant contradictionem. Vnde infert, non posse Filij omnipotentiam terminari ad generationem, cùm implicet contradictionem Filium generare. Antecedens supponit vt certum; neque enim Deus potest facere impossibilia, licèt sit omnipotens. Probat consequentiam, quia si Filius posset generare, de facto generaret, cùm in diuinis idem sit esse, & posse. Sed hoc implicat, quia si generaret, non esset Filius, sed Pater. Ergo esset, & non esset Filius.

Argentina ibid. respondendo ad 1. ait, potentiam generandi, cùm sit ipsa diuina essentia, & se habeat per modum naturæ, non esse propriè perfectionem, de cuius ratione ait esse quòd se habeat per modum inhærentis. Vnde infert, quòd licèt Filius illam non habeat, non proinde caret vlla perfectione; & ideo adhùc est æqualis Patri.

Alij relati suppresso nomine ab eodem ibid. simul cum Aureolo dicunt, potentiam generandi, vt potentiam entitatiuam, nullo modo contineri sub omnipotentia, neque vt simpliciter diuina, neque vt omnipotentia Patris, de cuius ratione est, quòd sit productiua. Primò quia dicunt, omnipotentiam non esse ad hoc, vt omnipotens possit esse omnia, sed ad hoc vt possit omnia agere. Sed potentia generandi in Patre, est ad hoc vt sit Pater, qui cum illa identifica-

tur,

tur, etiam virtualiter intrinsecè, tamquàm cum vltimo sui constitutiuo, in esse formaliter Patrem. Ergo non spectat ad eius omnipotentiam. Atque adeo idem est, Filium non habere potentiam generandi, atque non posse esse Patrem. Sed non posse esse Patrem, nullam refundit illi imperfectionem. Ergo neque non posse generare. Deinde quia omnis potentia actiua, quæ continetur sub omnipotentia, debet esse formaliter principium transmutandi alterum, secundùm quod est alterum. Sed potentia generandi in diuinis non est principium transmutandi aliud, vel alterum quia Filius non est alterum, vel aliud à Patre generante. Ergo non reducitur ad omnipotentiam. Vnde inferunt, nullam proinde Filio refundi imperfectionem, & impotentiam, ex negatione talis potentiæ.

Sed nulla ex his responsionibus subsistit. Non prima, quia (vt bene hic obseruat Aureolus) quando dicitur, omnipotentia extenditur ad totum id, quod non implicat contradictionem, debet hoc accipi simpliciter, & absolutè loquendo, non autem respectiuè ad tale agens; aliòquin omne agens esset omnipotens, eò quia omne agens potest facere quidquid sibi non implicat contradictionem, seu sibi non repugnat. Cùm ergo generare, simpliciter loquendo non implicet, ideo ex isto capite caderet sub obiectum omnipotentiæ.

Non

Non valet secunda, quia licèt sit verũ, omnipotentiam propriè non esse perfectionem formalem in Deo, sicut nullum aliud attributum (vt docuimus in disp. met.lib.1. disp.1. ar.3.) tamen est perfectio essentialis, & radicalis, siue (vt alij loquuntur) virtualis, & eminentialis, quod sufficit ad rationem præferibilitatis. Ergo si concedatur Patri, & negetur Filio, sequitur maius absurdum, nempe Filium carere aliqua perfectione essentiali, quæ cùm sit identificata cum deitate, arguet Filium separatum à deitate, & non Deum. Præterquamquòd quis vmquam posset concedere, non omnipotentem esse Deum? Vtique si aliquod est prædicatum discretiuum Dei à non Deo, est omnipotentia. Ergo non potest concipi Filius, vt formaliter Deus, si concipiatur absque omnipotentia. Siquidem non posset dici, omnipotens Filius, vt dicitur in symb. S. Athanasij. Ergo solus Pater esset Deus.

Neque valet tertia, quia falsò negat potentiæ generandi in diuinis, rationem productiuæ, cùm sit ad verum terminum productum, & Filius in sua ratione formali intrinseca, dicat esse genitum, quod idem est, atque esse productum. Ad 1. probationem dico, potentiam generandi in Patre, non esse ad hoc, vt possit esse Pater, secundùm esse absolutum, sed secundùm esse respectiuum ad Filium in actu exercito. Ergo non est ad hoc vt sit, sed ad hoc vt agat, seu generet Filium,

lium. Ad 2. distinguo maiorem, potentia actiua debet esse principium transmutandi alterum, seu aliud, cum agit immanenter, nego: cum agit transeunter, concedo maiorem. Et admissa minori, nego consequentiam. Cùm ergo omnipotentia, per quam Pater producit Filium, vt formaliter talis, consideretur vt principium actus immanentis ad intra, ideo non est necesse, quòd sit transmutatiua. Ad omnipotentiam igitur, non solùm debet reduci potentia transmutatiua, sed etiam non transmutatiua; aliter nō includeret omnem potentiam vtcumque actiuam; adeòque non esset omnipotentia.

Vt autem respondeam ad argumentum, suppono, obiectum diuinæ omnipotentiæ esse omne possibile, vt dicebat Egidius, non tamen vt opponitur impossibili, sicut ab ipso explicabatur, sed vt opponitur necessario, quod idem est, atque contingens. Cùm ergo diuinæ Personæ non sint contingentes, ideo non cadunt sub obiectum omnipotētiæ, sed sub obiectum potentiæ actiuæ notionalis, quæ vt formaliter talis, non est perfectio simpliciter simplex, adeòque non arguit imperfectionem in opposito, seu in non habente illam, vt probaui in disp. met. lib. 1. disp. 1. ar. 4. Cùm ergo æqualitas in diuinis sit attendenda penès prædicata essentialia, & absoluta, dicentia ratione sui formaliter perfectionem simpliciter simplicem, ideo quamuis ad-

mit-

mittamus, Filium diſcrepare à Patre in tali potentia, adhùc inter illos non tollitur æqualitas.

Hoc poſito, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et dico cum Valentia hìc diſp.2.q.16.p.2. ex diuo Tho: in 1.d.20.q.1.ar.1. potentiam generandi, vt potentiam relatiuam, non pertinere ad omnipotentiam, vt ſimpliciter diuinam, ſed vt omnipotentiam Patris. Quamuis ergo illam non habeat Filius, non tamen caret vlla perfectione, in genere potentiæ, quæ adæquatè circumſcribitur omnipotentia, vt eſt ſimpliciter diuina, & abſoluta.

Ad probationem reſpondeo cum diſtinctione, qui habet aliquam potentiam abſolutam, quam non habet alius, eſt illo potentior, concedo: qui habet aliquam potentiam relatiuam, & notionalem, nego antecedens. Et ratio eſt, quia potentia actiua notionalis, cùm ſit relatiua ad terminum intrinſecum, non facit plus in ratione potentiæ, quàm faciat potentia illi correſpondens vt correlatiua, in termino paſſiuo. Sicut ergo Pater eſt Deus, & infinitè perfectus, in ratione potentis ad intra, quia poteſt producere terminum infinitum ſibi conſubſtantialem; ita eſt infinitè perfectus Filius, in ratione potentis ad intra, quia poteſt terminare actionem infinitam Patris, ad quod non requiritur minor virtus, quàm ad illud. Atque adeo eadem plane ratione, qua Pater non eſt imperfectior, ſeu

impotentior Filio, eò quia non habet potentiam terminandi passiuè generationem, Filius non est imperfectior, & impotentior Patre, ex eo quòd non habet potentiam terminandi actiuè eamdem generationem, cùm vna per aliam compensetur. Et idem proportionaliter dico de Spiritu Sancto, respectu potentiæ spiratiuæ, quam non habet.

ARTICVLVS II.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OB. 1. Potentia actiua notionalis non facit plus in ratione potentiæ. Ergo neque potentia actiua absoluta facit plus, quàm potentia passiua, quæ est in termino producto ad extra, ad terminandam eius actiuitatem. Consequens est absurdum, siquidem Deus non esset perfectior dando esse creaturæ, quàm esset ipsa creatura illud recipiendo. Ergo & antecedens.

Nego consequentiam. Primò quia terminus potentiæ absolutæ, cùm sit ad extra, habet distinctam essentiam à producente, adeòque est verus effectus, cum vera dependentia, & vt talis est imperfectior. Sed potentia sequitur ad esse. Ergo eius potentia passiua terminādi actionem sui principij actiui, est intrinsecè, & formaliter imperfectior; atque adeo non potest compensare potentiam actiuam suæ causæ. Deinde quidquid est ex-

tra Deum, contingens est, quia cùm procedat à Deo, vt liberè operante, libertate indifferentiæ, potest ab eo simpliciter non procedere. Sed quidquid est in effectu contingenti, est intrinsecè, & essentialiter contingens. Ergo etiam eius potentia passiua, quæ proinde non potest compensare potentiam actiuam necessariam. 3. Nulla potentia finita potest esse eiusdem perfectionis, & æquiualentiæ cum potentia simpliciter infinita. Sed omnis potentia extra Deum est finita, & limitata. Ergo non potest æquari potentiæ Dei.

Ob. 2. Potentia generandi in Patre nihil est aliud, quàm diuina essentia. Ergo est absoluta, & non notionalis.

Nego antecedens, quia (vt probauimus disp. *6. ar. 5.*) potentia generandi, non solùm dicit in recto essentiam, sed etiam in obliquo relationem paternitatis. Sicut ergo intellectus Patris, per hoc quòd vt fœcundus dicat intellectionem absolutam, sub proposito respectu paternitatis, dicitur intellectus notionalis; ita & potentia generandi. Et ratio est, quia potentia debet denominari à forma intrinseca adæquata, non autem ab inadæquata. Cùm ergo forma adæquata sit essentia cum relatione, non potest illam denominare absolutam, sed respectiuam.

Dices, ignis licèt habeat igneitatem, non tamen potest generare ignem, sine calore; non ex defectu potentiæ, sed virtutis formalis. Ergo etiam Filius, licèt

habeat adęquatè potentiam generatiuam, per identitatem cum essentia, non tamen potest generare, ex defectu paternitatis, quæ sit eius principium *quod*, quam habere non potest propter oppositionem relatiuam. Ergo potentia generandi est in omnibus Personis, non tamen in omnibus potest exire in actum generationis. Et ideo diuus Tho. hic q. 41. ar. 5. ad 3. ait, *quantum ad essentiam, quæ significatur in recto, potentia generandi communis est tribus personis. Quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est Personæ Patris.*

Nego consequentiam. Primò quia calor est instrumentum ignis, & adsummum eius formalis virtus, & ideo non constituit igneitatem. At paternitas constituit potentiam generatiuam, licèt importetur in obliquo. Ergo vbi non est paternitas, non datur hæc potentia, quæ non potest esse sine suis constitutiuis. Deinde si sola essentia esset potentia generatiua, posset etiam in Filio exire in actum. Sicut enim à Patre applicatur paternitate, ita Filiatione applicaretur à Filio, qui cùm sit suppositum, possèt per illam generare. Ideo ergo requiritur paternitas, non vt præsto sit per illam principium *quod*, sed vt compleatur essentialiter, in ratione principij, *quo*. Vnde sequitur, tale principium non esse in Filio, in quo non possunt esse omnia ipsius cōstitutiua. Ad authoritatem diui Thomæ dico, illum locutum fuisse de poten-

tia,

tia, considerata materialiter, secundùm rectum, & constitutiuũ principale, quod est essentia, in quo sensu etiam nos aliquando locuti sumus, vt in disp. 6. ar. 2. ad 9. & alibi, non autem de potentia formaliter tali, vt inuoluente omnia sua constitutiua essentialia.

Ob. 3. Filius est imago perfectissima Patris. Ergo illum perfectissimè imitatur. Non imitaretur autem, nisi haberet eamdem potentiam generandi, quam ipse habet. Ergo illam habet.

Nego minorem subsumptam. Et dico, non esse de ratione imaginis dicere similitudinem, & imitationem in omnibus, sed solùm secundùm essentialia, & secundùm quantitatem, & qualitatem, quando hæ reperiuntur in exemplari; non autem secundùm relationem, vt docet Durandus in 1. d. 7. q. 3. ad 1. Cùm ergo potentia generatiua, non sit qualitas in Deo, & constituatur per relationem paternitatis, secundùm illam non debet Filius Patri assimilari, vt sit eius perfecta imago.

Ob. 4. Nulla scientia est in Patre, quæ non sit etiam in filio. Ergo nulla potentia est in Patre, quæ non sit in filio.

Nego consequentiam, propter euidentem disparitatem, nam scientia est perfectio absoluta, adeòque communis; potentia verò generandi est respectiua, adeòque notionalis.

Ob. 5. Filius obedit Patri, non solùm quia dicitur de illo *factus obediens vsque*

ad mortem; sed etiam quia dixit de seipso Io. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Et ideo illum audit, vt docitur Io 5. *Sicut audio, iudico*: & ab illo docetur, vt ibid. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*. Et infra, *non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Ergo Filius est impotentior Patre.

Nego consequentiam. Et ad mandatum dico cum diuo Tho. hic q. 43. ar. 6. vel illud referri ad Christum, secundùm humanitatem, vel ad Verbum, quatenus illi ab æterno dedit Pater per generationem, scientiam, & voluntatem agendorum. Et idem dico de auditione, quæ si referatur ad Verbum, debet exponi de acceptione scientiæ à Patre per communicationem, quod valet etiam de doctrina. Ad postremum, quòd filius nihil possit sine Patre, respondeo cum eod. ib. hoc non prouenire ex dependentia, & impotentia, sed solùm ex ordine originis filij à Patre; & ideo subditur, *quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*.

Ob. 6. Pater habet potentiam ad creaturas, cum sufficientia ad gignendum, & spirandum: filius verò cum sufficientia ad creaturas, & ad spirandum: & Spiritus Sanctus cum sola sufficientia ad creaturas. Ergo inæqualiter participatur. Præterea natura diuina communicatur filio per intellectum, & Spiritui San-

Sancto per voluntatem. Sed intellectus cùm sit prima potentia, est perfectior, quàm voluntas, quæ est secunda. Ergo perfectiùs communicatur Filio, quàm Spiritui Sancto. Ergo sunt omninò inæquales.

Distinguo primum consequens, potentia participatur inæqualiter quoad absoluta, nego: quoad respectiua, transeat consequentia. Dixi *transeat*, quia in diuinis, non datur participatio, propter summam, qua pollent simplicitatem. Ratio distinctionis est, quia omni potentia quatenus dicit perfectionem absolutam, est vna, & eadem in omnibus Personis, & solam admittit discrepantiam quoad sufficientiam ad actus notionales, qui vt formaliter tales, appellant potentiam notionalem, & non absolutam, vt dictum est. Et idem dico de intellectu, & voluntate absolutis, qui æqualiter sunt in omnibus, & solùm discrepant secundùm respectiua. An autem intellectus sit perfectior voluntate, adhùc sub iudice lis est, vt vidimus in tract. de beat. Quidquid tamen sit quoad hoc, quia hæc differentia solùm attenditur quoad nostros conceptus, cùm in re sint omninò idem, non potest exinde argui, nisi inæqualitas rationis, & apparentiæ, de qua hìc non disputamus.

Ob. 7. Testatur diuus Paulus in actib. Apost. c. 20. sub finem, *oportet meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit beatius est magis dare, quam accipere*.

Sed Pater dat naturam, & potentiam filio, qui illas accipit à Patre. Ergo potentior est Pater dando, quàm filius accipiendo; qui proinde dixit Io. 10. 29. *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est*. Ergo non sunt æquales secundùm potentiam.

Distinguo maiorem, beatius est dare ex libertate, & abundantia dantis, relata ad indigentiam, & contingentiam accipientis, concedo: absque tali ordine, nego maiorem. Cùm ergo Pater in diuinis non det filio ex sua libertate, ad explendam illius indigentiam, eiusque determinandam indifferentiam, ad accipiendum, vel non accipiendum, ideo non dicit vllam præferibilitatem in Patre secundùm realitatem, sed solùm secundùm rationem. Neque enim filius ex tali acceptione, contrahit vllam obligationem, ad reddendas gratias danti, qui nullum exercet in hoc speciale beneficium, eò quia non liberè, sed necessariò det. Ergo tàm est potens filius accipiendo per necessitatem naturæ, quàm sit Pater dando per eamdem necessitatem. Illud ergo dictum valet solùm in creatis, in quibus dans liberè dat, se depauperando, & obligando accipientem, quam ditat per expulsionem indigentiæ; adeòque tàm præsuppositiuè, quàm formaliter, dans est perfectiùs; non autem in diuinis, nisi fortè in ordine ad creata, quibus à Deo liberè datur, licèt absque vlla iactura Dei dantis.

Ob.

Ob.8. Vna Persona mittit aliam, Sed mittens est potentior missa. Ergo non sunt æquales in potentia.

Nego minorem, quia missio non spectat ad omnipotentiam, sed ad potentias notionales, vt videbimus. Ergo non potest inducere inæqualitatem, quoad potentias absolutas. Quia tamen videtur semper recurrere argumentum, ideo vt radicitus tollatur difficultas, duo hic supersunt examinanda. Primum est, an potentiæ generandi, & spirandi reducantur ad omnipotentiam? Et alterum an potentia generandi, quæ est in Patre, sit etiam in Filio? Quæ præstabimus artic. seqq.

ARTICVLVS III.

An potentia generandi, & spirandi reducantur ad omnipotentiam?

Videntur reduci, Primò quia Aug. lib. de fide ad Petrum, penès Arg. in 1.d.20. q.1.ar.1.ait, *non esset omnipotens Pater, si non posset producere filium, seu æqualem creatorem*. Et lib.con.Maximin.c.7. sub med. *si non potuit generare sibi æqualem, vbi est omnipotentia Dei Patris*? Ergo potentia generandi reducitur ad omnipotentiam. Probatur consequentia, illud necessariò cadit sub omnipotentia, ad cuius negationem negatur omnipotentia. Sed per Augustinum ex negatione potentiæ generandi in

Patre, sequitur negatio omnipotentiæ. Ergo hæc potentia, etiam vt relata ad terminum ad intra, cadit sub omnipotentia.

2. Omnipotentia debet vniuersaliter distribui prò quacumque potentia. Sed hoc non esset, si non includeret potentias generandi, & spirandi, quæ sunt potentiæ nobilissimæ. Ergo illas includit.

3. Hylarius lib. 6. de Trin. sub fin. alloquens Patrem, ait, *impossibile enim tibi nihil est, & genitum à te filium, omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo; ambigens enim, iam omnipotentem te negabo*. Ergo potentia generandi est omnipotentia Patris.

Conclusio, *Potentiæ notionales generandi, & spirandi ad intra, non reducuntur ad diuinam omnipotentiam, à qua distinguuntur virtualiter intrinsecè, vt formaliter tali.*

Probatur 1. Potentiæ distinguuntur per ordinem ad obiecta adæquata. Ergo obiecta adæquata distincta arguunt diuersitatem potentiarum. Sed hæ potentiæ habent diuersa obiecta adæquata; nam potentia generatiua specificatur per ordinem ad solum filium, & potentia spiratiua per ordinem ad solum Amorem: & omnipotentia per ordinem ad sola contingentia. Ergo, vt formaliter tales, non constituunt vnam communem potentiam, sed plures inter se distinctas.

2. Omni-

2. Omnipotentia est illa potentia, per quam Deus trinus,& vnus omnia potest. Sed hæc potentia non reflectitur supra ipsum Deum trinum, & vnum, qui se habet per modum subiecti talis potentiæ; neque enim per illam potest Deus agere in se ipsum, vt vnum, seu vt trinum. Ergo est ad terminum adæquatè extrinsecum ipsi Deo. Et ideo dicitur communiter potentia creatrix, quatenus est ad creabilia, cuiusmodi non sunt diuinæ Personæ, quæ proinde non possunt esse ipsius obiectum.

3. Omnipotentia, cùm sit perfectio attributalis diuinæ essentiæ, est omninò absoluta, & ideo est communis omnibus Personis. Sed potentia notionalis non est omninò absoluta, sed constituitur etiam per aliquod respectiuum, vt probatum est disp.6.ar. 5. Ergo cùm respectiua distinguantur virtualiter intrinsecè ab absolutis, vt probauimus disp.9. ar. 5.] potentia notionalis distinguitur ab omnipotentia; & ideo non est communis, sed propria.

4. Omnipotentia adæquatè circumscribitur contingentibus, quorum est possibilitas, vt diximus in 1.ar.Sed diuinæ Personæ non sunt contingentes. Ergo sunt extra obiectum adæquatum omnipotentiæ. Contra verò potentia notionalis, cùm sit relatiua ad intra, per quam videlicèt vna Persona producit aliam, est ad terminum necessarium. Ergo sunt diuersæ potentiæ. Et ideo pri-

prima appellat totam Trinitatem, quam constituit in esse formaliter vnum principium omnipotens, omnium, quæ fiunt extra Deum; secunda verò appellat, vel solum Patrem, vt est potentia generatiua; vel Patrem, & Filium, vt est spiratiua, quos proinde constituit respectiuè vt plura principia, eorum, quæ procedunt intra Deum. Vnde doctrina mirificè confirmatur.

5. Pater per omnipotentiam dicitur factor, vt credimus in symbolo, *credo in Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ*, per potentiam verò generatiuam dicitur actor, seu genitor per veram actionem, vt probauimus disp.5.ar.2. Sed factio distinguitur ab actione per hoc, quòd versetur circa externam materiam, in qua relinquat opus post se, quod non conuenit actioni, vt probauimus in log. lib. 1. disp. 5. ar. 2. Ergo Pater simul cum filio, & Amore, per omnipotentiam operatur extra totam Trinitatem, relinquendo aliquid post suam operationem, quæ proinde est transiens, & temporanea, vt probauimus in 7. phys. disp. 2. ar. 4. Contra verò per potentiam notionalem operatur immanenter, adeòque necessariò, & æternaliter; & ideo non relinquit opus post se; quia eius actio numquam transit. Sed si potentia notionalis esset idem cum omnipotentia, semper operaretur eodem modo; cùm idem manens idem semper faciat idem. Ergo cùm operetur diuer-

so modo, dicendum est, huiusmodi potentias, per quas proximè disponitur ad operandum, non esse vnam, & eamdem, sed plures.

Ad 1. Nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, omnipotentiã posse dupliciter accipi, primò in abstracto, quatenus est perfectio absoluta, abstracta à Personis, & sub hac ratione non includit potentiam generandi: secundo in concreto, vt est omnipotentia Dei Patris, hoc est quasi contracta ad ipsam paternitatem, & sub hac reduplicatione comprehendit etiam potentias generandi, & spirandi, quatenus Pater, vt est prima Persona, constituitur per vtramque, vt probauimus disp. 16. ar. 8. & 9. Augustinus ergo locutus est de omnipotentia, vt contracta ad Patrem, & ideo valet illa conditionalis; nos autem de illa loquimur vt abstracta. Atque adeo illa verba, ***Pater non esset omnipotens, si non posset gignere filium***, faciunt hunc sensum, non esset Deus Pater omnipotens, si non posset gignere, ita vt posse gignere appellet Patrem, & non eius omnipotentiam, nisi vt contractam ad paternitatem. Hoc autem clarè colligitur ex alio loco ad Maximinum, ***si non potuit generare, vbi est omnipotentia Dei Patris***? hoc est, ablata potentia generandi à Patre, non remaneret in illo esse Deum Patrem omnipotentem, quod constituitur per omnipotentiam, hoc est per essentiam, expressam per omnipoten-

tentiam, vt eius proprium prædicatum, & paternitatem, vt propriam Patris. Ad probationem dico, maiorem fore veram, quando ex negatione potentiæ notionalis, sequeretur formaliter, & sub proprio conceptu negatio omnipotentiæ. At quia in casu nostro non sequitur, nisi materialiter, quatenùs videlicèt sequitur negatio paternitatis, cum qua identificatur omnipotentia, quæ proinde accipitur sub conceptu paternitatis, ideo sub hac tantùm distinctione admissa minori, nego consequentiam.

Quòd autem ita sit exponendus Augustinus, euidenter colligitur ex eo, quòd si aliter exponatur, potuissent hæretici eius argumentum in ipsum retorquere, probando quòd etiam Filius, & Spiritus Sanctus possint generare; aliter non essent omnipotentes.

Ad 2. Distinguo maiorem, debet vniuersaliter distribui pro quacumque potentia absoluta, factiua, trasеunte, concedo: pro quacumque etiam actiua, relatiua, & immanente, nego: Et sub eadem distinctione admissa minori, nego consequentiam. Ad motiuum de nobilitate dico, quod si hinc potentia generandi reducatur ad omnipotentiam, ex eodem capite etiam potentia terminandi passiuè generationem, ad eamdem reduceretur, quod infra videbimus esse falsum.

Ad 3. Distinguo consequens, est omnipotentia Dei Patris, vt in se abstracti-

uè

uè considerata, nego: vt Patris in concreto, & reduplicatiuè (vt dictum est) concedo consequentiam. Dico igitur, Hylarium dixisse, Filium prouenire à virtute Patris, qui est Deus omnipotens, non autem ab eius omnipotentia, in abstracto, & vt est in se considerata.

ARTICVLVS IV.

An potentia generandi, quae est in Patre, sit etiam in Filio, & Spiritu Sancto?

Videtur esse, vt plerique propugnāt, quamuis discrepent in modo, & in principijs. Primò quia diuus Aug. lib. 3. con. Maximin. cap. 12. sub fin. ait, *absit vt ideo potentior sit Pater filio, quia creatorem genuit Pater, filius autem non genuit creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit*. Ergo etiam Filius potuit generare, adeòque habuit potentiam generandi, licèt non genuerit. Et idem dico de Spiritu Sancto.

2. Diuus Tho. 1. p. q. 42. ar. 6. ad 3. ait, *sicut eadem essentia, quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem est potentia, qua Pater generat, & qua filius generatur. Vnde manifestum est, quòd quidquid potest Pater, potest filius, non tamen sequitur quòd possit generare, sed mutatur quid in ad aliquid; nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam,*

quam

ad mortem; sed etiam quia dixit de seipso Io.14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Et ideo illum audit, vt docitur Io 5. *Sicut audio, iudico*: & ab illo docetur, vt ibid. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*. Et infra, *non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Ergo Filius est impotentior Patre.

Nego consequentiam. Et ad mandatum dico cum diuo Tho. hìc q.43. ar.6. vel illud referri ad Christum, secundùm humanitatem, vel ad Verbum, quatenus illi ab æterno dedit Pater per generationem, scientiam, & voluntatem agendorum. Et idem dico de auditione, quæ si referatur ad Verbum, debet exponi de acceptione scientiæ à Patre per communicationem, quod valet etiam de doctrina. Ad postremum, quòd filius nihil possit sine Patre, respondeo cum eod.ib. hoc non prouenire ex dependentia, & impotentia, sed solùm ex ordine originis filij à Patre; & ideo subditur, *quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*.

Ob.6. Pater habet potentiam ad creaturas, cum sufficientia ad gignendum, & spirandum: filius verò cum sufficientia ad creaturas, & ad spirandum: & Spiritus Sanctus cum sola sufficientia ad creaturas. Ergo inæqualiter participatur. Præterea natura diuina communicatur filio per intellectum, & Spiritui

San-

Sancto per voluntatem. Sed intellectus cùm sit prima potentia, est perfectior, quàm voluntas, quæ est secunda. Ergo perfectiùs communicatur Filio, quàm Spiritui Sancto. Ergo sunt omninò inæquales.

Distinguo primum consequens, potentia participatur inæqualiter quoad absoluta, nego: quoad respectiua, transeat consequentia. Dixi *transeat*, quia in diuinis, non datur participatio, propter summam, qua pollent simplicitatem. Ratio distinctionis est, quia omnipotentia quatenus dicit perfectionem absolutam, est vna, & eadem in omnibus Personis, & solam admittit discrepantiam quoad sufficientiam ad actus notionales, qui vt formaliter tales, appellant potentiam notionalem, & non absolutam, vt dictum est. Et idem dico de intellectu, & voluntate absolutis, qui æqualiter sunt in omnibus, & solùm discrepant secundùm respectiua. An autem intellectus sit perfectior voluntate, adhùc sub iudice lis est, vt vidimus in tract. de beat. Quidquid tamen sit quoad hoc, quia hæc differentia solùm attenditur quoad nostros conceptus, cùm in re sint omninò idem, non potest exinde argui, nisi inæqualitas rationis, & apparentiæ, de qua hìc non disputamus.

Ob. 7. Testatur diuus Paulus in actib. Apost. c. 20. sub finem, *oportet meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit beatius est magis dare, quam accipere*.

Sed Pater dat naturam, & potentiam filio, qui illas accipit à Patre. Ergo potentior est Pater dando, quàm filius accipiendo; qui proinde dixit Io. 10. 29. *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est*. Ergo non sunt æquales secundùm potentiam.

Distinguo maiorem, beatius est dare ex libertate, & abundantia dantis, relata ad indigentiam, & contingentiam accipientis, concedo: absque tali ordine, nego maiorem. Cùm ergo Pater in diuinis non det filio ex sua libertate, ad explendam illius indigentiam, eiusque determinandam indifferentiam, ad accipiendum, vel non accipiendum, ideo non dicit vllam præferibilitatem in Patre secundùm realitatem, sed solùm secundùm rationem. Neque enim filius ex tali acceptione, contrahit vllam obligationem, ad reddendas gratias danti, qui nullum exercet in hoc speciale beneficium, eò quia non liberè, sed necessariò det. Ergo tàm est potens filius accipiendo per necessitatem naturæ, quàm sit Pater dando per eamdem necessitatem. Illud ergo dictum valet solùm in creatis, in quibus dans liberè dat, se depauperando, & obligando accipientem, quam ditat per expulsionem indigentiæ; adeòque tàm præsuppositiuè, quàm formaliter, dans est perfectiùs; non autem in diuinis, nisi fortè in ordine ad creata, quibus à Deo liberè datur, licèt absque vlla iactura Dei dantis.

Ob.

Ob.8. Vna Persona mittit aliam, Sed mittens est potentior missa, Ergo non sunt æquales in potentia.

Nego minorem, quia missio non spectat ad omnipotentiam, sed ad potentias notionales, vt videbimus. Ergo non potest inducere inæqualitatem, quoad potentias absolutas. Quia tamen videtur semper recurrere argumentum, ideo vt radicitus tollatur difficultas, duo hic supersunt examinanda. Primum est, an potentiæ generandi, & spirandi reducantur ad omnipotentiam? Et alterum an potentia generandi, quæ est in Patre, sit etiam in Filio? Quæ præstabimus artic. seqq.

ARTICVLVS III.

An potentia generandi, & spirandi reducantur ad omnipotentiam?

Videntur reduci, Primò quia Aug. lib. de fide ad Petrum, penès Arg. in 1.d.20. q.1.ar.1.ait, *non esset omnipotens Pater, si non posset producere filium, seu æqualem creatorem*. Et lib. con. Maximin. c.7. sub med. *si non potuit generare sibi æqualem, vbi est omnipotentia Dei Patris?* Ergo potentia generandi reducitur ad omnipotentiam. Probatur consequentia, illud necessariò cadit sub omnipotentia, ad cuius negationem negatur omnipotentia. Sed per Augustinum ex negatione potentiæ generandi in

Patre, sequitur negatio omnipotentiæ. Ergo hæc potentia, etiam vt relata ad terminum ad intra, cadit sub omnipotentia.

2. Omnipotentia debet vniuersaliter distribui prò quacumque potentia. Sed hoc non esset, si non includeret potentias generandi, & spirandi, quæ sunt potentiæ nobilissimæ. Ergo illas includit.

3. Hylarius lib. 6. de Trin. sub fin. alloquens Patrem, ait, *impossibile enim tibi nihil est, & genitum à te filium, omnipotentia tua virtute non ambigo; ambigens enim, iam omnipotentem te negabo*. Ergo potentia generandi est omnipotentia Patris.

Conclusio, *Potentiæ notionales generandi, & spirandi ad intra, non reducuntur ad diuinam omnipotentiam, à qua distinguuntur virtualiter intrinsecè, vt formaliter tali.*

Probatur 1. Potentiæ distinguuntur per ordinem ad obiecta adæquata. Ergo obiecta adæquata distincta arguunt diuersitatem potentiarum. Sed hæ potentiæ habent diuersa obiecta adæquata; nam potentia generatiua specificatur per ordinem ad solum filium, & potentia spiratiua per ordinem ad solum Amorem: & omnipotentia per ordinem ad sola contingentia. Ergo, vt formaliter tales, non constituunt vnam communem potentiam, sed plures inter se distinctas.

2. Omni-

2. Omnipotentia est illa potentia, per quam Deus trinus, & vnus omnia potest. Sed hæc potentia non reflectitur supra ipsum Deum trinum, & vnum, qui se habet per modum subiecti talis potentiæ; neque enim per illam potest Deus agere in se ipsum, vt vnum, seu vt trinum. Ergo est ad terminum adæquatè extrinsecum ipsi Deo. Et ideo dicitur communiter potentia creatrix, quatenus est ad creabilia, cuiusmodi non sunt diuinæ Personæ, quæ proinde non possunt esse ipsius obiectum.

3. Omnipotentia, cùm sit perfectio attributalis diuinæ essentiæ, est omninò absoluta, & ideo est communis omnibus Personis. Sed potentia notionalis non est omninò absoluta, sed constituitur etiam per aliquod respectiuum, vt probatum est disp.6.ar. 5. Ergo cùm respectiua distinguantur virtualiter intrinsecè ab absolutis, vt probauimus disp.9. ar. 5.] potentia notionalis distinguitur ab omnipotentia; & ideo non est communis, sed propria.

4. Omnipotentia adæquatè circumscribitur contingentibus, quorum est possibilitas, vt diximus in 1.ar. Sed diuinæ Personæ non sunt contingentes. Ergo sunt extra obiectum adæquatum omnipotentiæ. Contra verò potentia notionalis, cùm sit relatiua ad intra, per quam videlicèt vna Persona producit aliam, est ad terminum necessarium. Ergo sunt diuersæ potentiæ. Et ideo pri-

prima appellat totam Trinitatem, quam constituit in esse formaliter vnum principium omnipotens, omnium, quæ fiunt extra Deum; secunda verò appellat, vel solum Patrem, vt est potentia generatiua; vel Patrem, & Filium, vt est spiratiua, quos proinde constituit respectiuè vt plura principia, eorum, quæ procedunt intra Deum. Vnde doctrina mirificè confirmatur.

5. Pater per omnipotentiam dicitur factor, vt credimus in symbolo, *credo in Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ*, per potentiam verò generatiuam dicitur actor, seu genitor per veram actionem, vt probauimus disp.5.ar.2. Sed factio distinguitur ab actione per hoc, quòd versetur circa externam materiam, in qua relinquat opus post se, quod non conuenit actioni, vt probauimus in log.lib.1.disp.5.ar.2. Ergo Pater simul cum filio, & Amore, per omnipotentiam operatur extra totam Trinitatem, relinquendo aliquid post suam operationem, quæ proinde est transiens, & temporanea, vt probauimus in 7.phys.disp.2.ar.4. Contra verò per potentiam notionalem operatur immanenter, adeòque necessariò, & æternaliter; & ideo non relinquit opus post se; quia eius actio nunquam transit. Sed si potentia notionalis esset idem cum omnipotentia, semper operaretur eodem modo; cùm idem manens idem semper faciat idem. Ergo cùm operetur diuer-

so

ſo modo, dicendum eſt, huiuſmodi potentias, per quas proximè diſponitur ad operandum, non eſſe vnam, & eamdem, ſed plures.

Ad 1. Nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico, omnipotentiã poſſe dupliciter accipi, primò in abſtracto, quatenus eſt perfectio abſoluta, abſtracta à Perſonis, & ſub hac ratione non includit potentiam generandi: ſecundo in concreto, vt eſt omnipotentia Dei Patris, hoc eſt quaſi contracta ad ipſam paternitatem, & ſub hac reduplicatione comprehendit etiam potentias generandi, & ſpirandi, quatenus Pater, vt eſt prima Perſona, conſtituitur per vtramque, vt probauimus diſp. 16. ar. 8. & 9. Auguſtinus ergo locutus eſt de omnipotentia, vt contracta ad Patrem, & ideo valet illa conditionalis; nos autem de illa loquimur vt abſtracta. Atque adeo illa verba, ***Pater non eſſet omnipotens, ſi non poſſet gignere filium***, faciunt hunc ſenſum, non eſſet Deus Pater omnipotens, ſi non poſſet gignere, ita vt poſſe gignere appellet Patrem, & non eius omnipotentiam, niſi vt contractam ad paternitatem. Hoc autem clarè colligitur ex alio loco ad Maximinum, *ſi non potuit generare, vbi eſt omnipotentia Dei Patris?* hoc eſt, ablata potentia generandi à Patre, non remaneret in illo eſſe Deum Patrem omnipotentem, quod conſtituitur per omnipotentiam, hoc eſt per eſſentiam, expreſſam per omnipoten-

uè considerata, nego: vt Patris in concreto, & reduplicatiuè (vt dictum est) concedo consequentiam. Dico igitur, Hylarium dixisse, Filium prouenire à virtute Patris, qui est Deus omnipotens, non autem ab eius omnipotentia, in abstracto, & vt est in se considerata.

ARTICVLVS IV.

An potentia generandi, quæ est in Patre, sit etiam in Filio, & Spiritu Sancto?

Videtur esse, vt plerique propugnãt, quamuis discrepent in modo, & in principijs. Primò quia diuus Aug. lib.3.con.Maximin.cap.12. sub fin. ait, *absit vt ideo potentior sit Pater filio, quia creatorem genuit Pater, filius autem non genuit creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit*. Ergo etiam Filius potuit generare, adeòque habuit potentiam generandi, licèt non genuerit. Et idem dico de Spiritu Sancto.

2. Diuus Tho.1.p.q.42.ar.6.ad 3. ait, *sicut eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem est potentia, qua Pater generat, & qua filius generatur. Vnde manifestum est, quòd quidquid potest Pater, potest filius, non tamen sequitur quòd possit generare, sed mutatur quid in ad aliquid; nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam,* quam

quam Pater, sed cum alia relatione quia Pater habet eam vt dans; & hoc significatur cùm dicitur, quòd potest generare; Filius autem habet eam vt accipiens, & hoc significatur, cùm dicitur, quòd possit generari. Ergo eadem potentia est in omnibus Personis, sed cum diuerso respectu.

3. Omnis potentia, quæ est in Patre, comprehenditur sub eius omnipotentia. Sed potentia generandi verè est in Patre. Ergo comprehenditur sub eius omnipotentia. Sed omnipotentia Patris est eadem numero cum omnipotentia filij. Ergo potentia generandi, quæ est in Patre, est etiam in filio. Probatur minor subsumpta, Primò quia hæc omnipotentia, vt complectitur in Patre potentiam generandi, est perfectio simpliciter simplex. Ergo si non esset in filio, hic careret aliqua perfectione simpliciter simplici. Deinde eius omnipotentia extenderetur ad pauciora, quàm Patris. Ergo non esset illi æqualis.

Conclusio, *Potentia generandi, quæ est in Patre, non est in filio: & potentia spirandi, quæ est in Patre, & filio, non est in Spiritu Sancto. Hoc tamen non tollit eorum æqualitatem*.

Probatur prima pars, 1. Cui repugnat actus alicuius potentiæ, repugnat etiam ipsa potentia; & ideo videmus, lapidi repugnare potentiam visiuam, quia illi repugnat visio, & homini repugnare potentiam hinniendi, quia illi repugnat hin-

hinnitus. Sed filio repugnat actus generationis, & Spiritui Sancto repugnant actus generationis, & spirationis. Ergo tàm filio repugnat potentia generandi, quàm Spiritui Sancto repugnent potentiæ generandi, & spirandi. Est autem impossibile, quòd habeatur ab aliquo potentia sibi repugnans. Ergo est impossibile, quod filius habeat potentiam generandi, & Spiritus generandi, & spirandi. Maior patet, non solùm inductione, sed etiam quia omnis potentia est ad suum actum, in ordine ad quem specificatur. Ergo dicit essentialem respectum ad suum actum, ad quem intrinsecè, & essentialiter, tamquam ad sui finem, ordinatur. Sed hic respectus non potest haberi ad actum sibi repugnantem; aliter tertia ordinaretur ad chimæram, tamquam ad finem sui perfectiuum. Ergo chimæra est admittere potentiam ad actum illi repugnantem. Et ideo diuus Thom. q. 41. ar. 4. ad 1 acutè obseruat, quòd *potentia ad actus notionales, dicitur in diuinis solùm per respectum ad procedentem personam*, quòd explicans Caiet. ibi ait, *in Patre potentia generandi est principium generationis, non secundùm se, sed secundùm quòd ponit genitum*. Sed filius non potest habere respectum ad se ipsum, vt à se procedentem per generationem; neque vllum potest ponere genitum. Ergo non habet potentiam generandi actiuè, vt apertè conceditur à diuo Thom. in ead. q. ar.

6. ad

6. ad 1. dicente, *quamuis simpliciter concedendum sit, quòd potentiam quàm habet Pater, habeat Filius, non tamen concedendum est, quòd Filius habeat potentiam generandi, si generandi sit gerundium verbi actiui, vt sit sensus quòd Filius habeat potentiam ad generãdum.* Nè ergo admittamus in diuo Tho: contradictoria, dicendum est, ab illo admitti quidem in Filio potentiam quasi passiuam, qua generetur, non tamen actiuam, qua generet. Atque adeo cum dixit, quòd Pater, & Filius habent eamdem potentiam, exponendus est de absoluta, non autem de notionali.

2. Cui repugnat constitutiuum essentiale potentiæ, repugnat etiam ipsa potentia. Sed Filio repugnat paternitas, quæ constituit essentialiter potentiam generandi, & Spiritui Sancto repugnat relatio ad amorem spiratum, quæ essentialiter constituit potentiam spiratiuam. Ergo neque Filius habet potentiam generandi, neque Spiritus Sanctus, potentias generandi, & spirandi. Consequentia est euidens. Minor patet ex principijs fidei quoad primam partem: & quoad secundam ex dictis disp. 6. ar. 5. & disp. 12. ar. 3. & seqq. Maior probatur, quia vno tantùm deficiente constitutiuo, non datur constitutum.

Probatur secunda pars ex dictis in 1. ar. in quo ostendimus, potentias absolutas esse easdem in omnibus Personis, & notionales esse quidem diuersas in singu-

gulis, compensabiles tamen, & ideo eiusdem roboris, ac efficaciæ, & præterea eiusdem perfectionis, ac excellentiæ, & ideo fundare in omnibus omnimodam, ac perfectam æqualitatem.

Ad 1. Quod vehementer mouit magistrum in 1. d.7. litt. B. adeo vt litt. D. subdiderit, *non est nobis perspicuum aperire, quomodo sit hoc verum; & ideo sub silentio potiùs esset prætereundum, nisi me super hoc aliquid loqui cogeret instantia quærentium*. Libenter igitur dicerem, hæc verba potuisse inter alia retractata à S. Doctore meritò recenseri. Nihilominus tamen quia communiter vt ipsius acceptantur, & explicantur, ideo & nos conabimur explicare. Aduertendum est igitur, Augustinum in tali loco totum esse in hoc, vt propugnaret, Filium non esse minùs potentem, sed habere eamdem omnipotentiam, quã habet Pater, vt eius tueretur diuinitatem, aduersùs Maximum Arrianum illam negantem. Et ideo dicit, absit vt ideó potentior sit Pater Filio, sicut putas, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit; idest quòd sicut non dicimus Patrem omnipotentem, ex eo quòd genuerit Filium; ita neque debemus negare Filio omnipotentiam, ex eo quod non genuerit. Ac si diceret, gignere, neque est effectus, neque signum omnipotentiæ, sed est actio potentiæ notionalis. Ergo sicut ex generare, non arguitur omnipotentia, ita nec arguitur eius de-

defectus, ex non generare.

Quare nego consequentiam. Cum enim dicitur, ***neque enim non potuit Filius***, idest Filium non genuisse, non fuit ex impotentia, quatenus hæc dicit defectum, seu negationem omnipotentiæ, neque ex eo quòd non potuerit id quod potuit Pater, supponendo ly ***potuit***, prò omnipotentia, ***sed quia non oportuit***, hoc est quia hoc fuit dedecens diuinam maiestatem, quòd multiplicaretur in Filios, & nepotes (vt ibi prosequitur Augustinus) & ipsius Filij diuinitatem, quòd amitteret pretium vnicitatis, per generationem alterius Filij. Sed quod dedecet Deum, est simpliciter illi repugnans, & impossibile. Ergo ideo Filius non genuit, quia generare est illi impossibile, vt repugnans eius proprietati personali, de cuius ratione est excludere à se potentiam notionalem generandi, & quia generatio est extra obiectum adæquatum omnipotentiæ. Non ergo ly ***potuit***, supponit prò potentia generandi, de qua non disputabatur cum Maximino, sed prò omnipotentia, de qua erat quæstio cum Arrianis. Vt autem meliùs pateat responsio, ita arguebant Arriani, ideo Pater est omnipotens, quia genuit creatorem. Sed Filius non genuit creatorem. Ergo non est omnipotens, adeòque non Deus. Augustinus ergo negat causalem dicens, ***absit vt ideo potentior sit Pater Filio, quia genuit***; idest non ideo Pater est omnipotens, quia genuit.

Ac

Ac si diceret, ex eo quòd Pater genuerit, nulla illi additur potentia supra Filium. Et loquens de Filio subdidit, *non enim non potuit*, ideſt quamuis fuerit omnipotens, ex alio capite non genuit, nempe, *quia non oportuit*, non autem ex defectu omnipotentiæ.

ARTICVLVS V.

Soluuntur alia duo argumenta, & examinatur doctrina diui Thomæ.

AD 2. Peto veniam ab Angelico præceptore, si, vt primæ veritati obsequium præstem, eius doctrinam quoad hoc, vt multipliciter falsam, reijcere compulsus fui. Nego igitur consequentiam. Et ad authoritatem dico (salua semper honorificentia, quæ debetur tanto Doctori) illam esse multipliciter falsam. Siquidem Deficit in eo, quòd Filius possit quidquid poteſt Pater, & tamen non possit generare, quæ videntur contradictoria. Nam posse quidquid poteſt Pater, eſt habere potentiam ad quidquid poteſt Pater. Sed ad aliquid, ad quod poteſt Pater, non habet potentiam Filius, nempe ad generationem. Ergo non poteſt quidquid poteſt Pater.

2. Peccat in eo, quòd Filius habeat eamdem potentiam, quam habet Pater, sed cum diuersa relatione, nempe Pater habet eam vt dans, & Filius vt accipiens. Nam quamuis hoc possit verificari de

omni-

omnipotentia, vt relata ad creaturas, ad quas tàm potest extendi Pater illam Filio communicans, quàm Filius illam à Patre accipiens; non tamen potest verificari de potentia producendi terminum ad intra. Siquidem hæc potentia vt est in Patre, potest extendi ad Filium, tamquàm ad terminum suæ actiuitatis. Vt autem est in Filio, cum relatione acceptionis, non potest extendi ad Filium, qui non potest se generare, neque ad alium terminum distinctum, alioquin posset dari Filius Filij, quod reiecimus vt falsum. Ergo non potest esse eadem potentia adæquatè sumpta.

Dices, potentia, cùm sit solùm principium *vt quo*, non potest coniungi cum actu, nisi per suppositum, in quo sit, tamquàm in principio *vt quod*. Sed est in Patre, vt in supposito determinato ad generandum, & in Filio, vt in supposito indeterminato, immò indeterminabili ad generandum. Ergo vt est in Filio, non potest generare, non quia Filius non habeat potentiam generandi, sed quia actus generationis repugnat supposito Filij.

Nego minorem, propter rationem primam fundamentalem conclusionis; nam cui repugnat actus proprius alicuius potentiæ, repugnat etiam illa potentia; & ideo quia lapidi repugnat intellectio, repugnat etiam potentia intellectiua. Ergo si Filio (vt supponitur) repugnat generatio per modum actus, re-

pu-

pugnat etiam per modum potentiæ ; nisi velimus admittere potentiam inexplebilem , nempè ad actum impossibilem , quod filij dedeceret diuinitatem .

Assurgit hic Gonettus disp.12.n.8. & confidenter clamat , generationem non esse operationem , nisi vt modificatam paternitate . Vnde infert , quòd cùm in filio non sit secundùm talem modificationem , sed solùm absolutè , illi non repugnat sub conceptu actualitatis , & operationis , sed solùm sub conceptu talis modificationis .

Sed hæc responsio potiùs auget, quàm tollat difficultatem ; siquidem si generatio non est operatio , nisi vt modificata paternitate , præcisa huiusmodi modificatione , non remanet in illa conceptus operationis . Ergo quia in filio non potest esse secundùm hanc modificationem , neque potest esse secundùm conceptum operationis , quod auget difficultatem . Præterea sibi contradicit , cùm ait , filio non repugnare generationem , sub conceptu operationis , & simul asserit, illam non esse operationem , nisi per modificationem paternitatis . Nam facilè reducitur ad impossibile ; cui repugnat modificatio paternitatis , repugnat generatio vt operatio . Sed Filio repugnat hæc modificatio . Ergo repugnat generatio vt operatio , quod est contradictorium eius asserti .

Neque plus valet quod respondet cum Argentina , videlicèt hanc potentiam

ideo in filio non exire in actum, quia non habet omnia necessaria ad operandum. Nam ex hoc ipso arguitur, illam non esse in filio, nè illam admittamus omninò frustraneam, & deficientem. Præterquamquòd ille est potentior in actu exercito, qui habet potentiam expeditam, cum omnibus requisitis ad plura operandum. Sed Pater haberet hanc potentiam expeditam, cum omnibus requisitis ad operandum plura, quàm filius. Ergo adhùc esset potentior filio. Consequentia est euidens. Minor conceditur, quia supponitur, potentiam generandi in filio esse veluti præpeditam, ex defectu requisitorum. Maior probatur, magnitudo potentiæ attenditur ex magnitudine obiecti. Cùm ergo obiectũ producibile, vt relatum ad Patrẽ sit maius intẽsiuè, & extensiuè, quàm vt relatum ad filium, quia includit ipsum filium, qui ratione diuinitatis, superat excellentiam omnium aliorum obiectorum omnipotentiæ Patris, & vt est aliquid extra collectionem creaturarum, facit illud obiectum extensiuè maius, ideo per infinitum excessum Pater esset potentior filio.

3. Peccat ex paritate essentiæ, vnde deducitur, quia sicut non sola essentia in Patre est paternitas, & in Filio est filiatio; ita potentia generandi in Patre non potest esse sola essentia, sed essentia cum relatione paternitatis. Sicut ergo ideo paternitas non est in filio, quia licèt in illo

illo sit eadem essentia, non tamen est cum eadem relatione; ita neque est eadem potentia generandi, quia licèt sit idem rectum, quod est essentia, non tamen est idem obliquum essentiale, quod in Patre est paternitas, & in filio filiatio.

4. Peccat in eo, quod dicitur potentia vt relata ad generationẽ, mutare quid in aliquid. Et ratio est, quia potentia, vnde resultat habẽti denominatio potẽtis, nõ est potẽtia secundũ esse absolutũ, sed secũdùm respectiuũ, hoc est secundùm relationem ad actus sibi proprios. Nam potentia cum impossibilitate, seu repugnantia actus proprij, est potiùs impotentia, sicut esset potentia discurrendi in lapide, per quam lapis numquam posset exire in actum discurrendi. Quis enim proinde faceret lapidem potentiorem, quàm priùs, cùm erat sub negatione talis potentiæ? Si ergo in Patre retinet ad aliquid, quia potest referri ad actum sibi proprium generandi, & in filio retinet solùm quid, quia numquam potest referri ad talem actum, omninò impossibilem Filio, adhùc Pater esset potentior Filio, eò quia haberet tàm quid, quàm ad aliquid, ex quibus constituitur hæc potentia, adeòque haberet potentiam generandi, quam non haberet filius, qui illius non haberet, nisi quid, quod quia de se non sufficit ad constitutionem huius potẽtiæ, ideo *quid* filij numquã mutatur in *ad aliquid* Patris, per quod filius nũquam posset exercitè operari, sicut Pater.

 5. Pec-

5. Peccat etiam asserendo, filium habere potentiam generandi, non vt generet, sed vt generetur, vt fusè prosequitur Gonettus disp. 12. n. 4. Siquidem cùm quæritur, an in filio sit potentia generatiua, non quæritur an possit generari, quod supponimus, sed an possit generare, quod indagamus. Sed posse generari non est idem, ac posse generare. Ergo potentia actiua generandi non est idem cum potentia terminandi passiuè generationem. Aliter etiam ignorans haberet scientiam; cùm enim scientia sit potentia ad docendum actiuè, & hæc sit idem cum potentia ad docendum passiuè, quam habet ignorans, hic haberet scientiam, quod est ridiculum.

Ad 3. Distinguo maiorem, comprehenditur sub omnipotentia Patris, omnis eius potentia absoluta, concedo: omnis potentia notionalis, nego: Et admissa minori, nego consequentiam. Et ratio à priori est, quia quod non conuenit alicui formæ secundùm se, neque conuenit illi, vt alteri appropriatæ. E. g. quia materiæ primæ de se non conuenit discurrere, neque illi conuenit, vt est materia hominis. Cùm ergo omnipotentiæ ex se non conueniat potentia notionalis, vt dictum est ar. 3. neque illi conuenit, vt est in Patre, siue vt est illi appropriata. Quod si per talem appropriationem intelligamus omnipotentiam, vt contractam ad paternitatem, siue vt per illam modificatam, quia vt

talis

talis, est notionalis, ideo includit etiam potentias generandi, & spirandi, vt dictum est ar. 1,& 3. Sed hæc vt formaliter talis, non est in filio, vnde corruit argumentum.

ARTICVLVS VI.

An sint æquales quoad æternitatem?

Videntur non esse 1. Quia nullum æternum habet principium. Sed Filius, & Spiritus Sanctus habent principium. Ergo non sunt Patri coæterni.

2. Omne quod generatur, incipit esse, sicut omne quod corrumpitur, definit esse. Sed Filius genitus est a Patre. Ergo incæpit esse, quod pugnat cum eius æternitate.

3. Filius non semper nascitur, alioquin numquam haberet completam perfectionem. Ergo datur aliquod instans, in quo nascitur. Sed ante illud non erat, aliter natum esset quod fuisset. Ergo non fuit semper. Et ideo dicitur Sap. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarũ suarum*: & Eccl. 24. 14. *Ab initio creata sum*, vbi est sermo de sapientia increata, hoc est de filio. Sed initium pugnat cum æternitate. Ergo filius non est ab æterno.

4. Omne productum transit de non esse ad esse. Ergo non est ab æterno, quia præsupponit tempus, in quo non erat.

Conclusio, *Omnes diuinæ Personæ sunt æquales, quoad æternitatem*. Est de fide, prouti in symbolo S. Athanasij, *æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*: & infra, *coæterni sibi sunt, & coæquales*.

Probatur à priori cum diuo Thom. hic q. 42. ar. 2. Omnis posterioritas temporis in generationibus, & productionibus, oritur, vel ex libertate generantis, sibi determinantis tempus ad generandum; vel ex eius imperfectione, indigentis consultatione, vel actione sibi aduenïente; vel demum ex ipsa actione, ex se essentialiter successiua. Nullum autem ex his potest esse in diuinis productionibus. Ergo in illis non potest esse posterioritas temporis. Maior patet inductione vniuersalissima. Minor probatur, diuinæ productiones procedunt à principio perfectissimo, non liberè, sed naturaliter operante per actionem sibi consubstantialem, adeòque ab intrinseco excludente à se omnem successionem. Ergo ex nullo capite terminus talium productionum ad intra est posterior suo principio, secundùm tempus. Sed neque est posterior secundùm naturam, quia procedit vt consubstantialis cum suo principio actiuo, à quo accipit eamdem numero naturam, quam ipsum habet. Ergo respectu illius neque est posterior tempore, neque natura; adeòque nullam habet veram posterioritatem, vt dicitur in symb. cit.

Vn-

Vnde elicitur euidens confirmatio. Non potest vna Persona procedere, vt consubstantialis producenti, nisi accipiat ab illa totam eius naturam, & substantiam. Sed substantia Patris est per se ipsam formaliter semper durans, & sua æternitas. Ergo in communicatione eiusdem naturæ, communicatur æternitas; atque adeo non possunt secundùm illam dissimilari.

Ad 1. Dico, æquiuocationem fieri in ly *principium*, quod aliquando sonat initium durationis, & aliquando id, quod influit dando esse. In æternis ergo excluditur principium in primo sensu, non autem in secundo, in quo solùm excludi posset, per inclusionem alicuius ex illis conditionibus, quas recensuimus in probatione conclusionis, quæ hìc nullo modo includuntur.

Ad 2. Distinguo maiorem, omne quod generatur per motum, seu mutationem, incipit esse, concedo: quod generatur absque motu, & mutatione; nego. Et admissa minori, de generatione Filij diuini sine motu, nego consequentiam.

Ad 3. Nego antecedens. Quamuis enim possit dici cum Aug. & Gregor. quòd Filius sit semper natus, vt ly *semper* denotet permanentiam æternitatis, & ly *natus* perfectionem geniti, adhùc tamen potest dici, quòd semper nascatur, vt probauimus disp. 1. ar. 8. ad 4. & hìc conceditur à diuo Thom. q. 42.

ar. 2. ad 4. ad designandam præsentialitatem æternitatis, quæ consistit in vno nunc perpetuò durante. Est ergo semper infacto esse completa filij generatio, & semper quodammodo est in fieri, quia semper dicit idem nunc indiuisibile æternitatis. Ad authoritatem Ecclesiastici respondeo, ibi initium sumi relatè ad creationem rerum, ac si diceret, quòd prima Patris operatio, seu initium suorum operum fuerit generatio Verbi. Et ideo quoad aliam authoritatem, licèt vulgata legat, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, versio Græca legit, *initium viarum suarum*. Quòd autem ita sint legenda illa verba, patet ex sequentibus, *ante sæcula creata sum*, quod non posset verificari de generatione temporanea, quæ semper esset post infinita sæcula; atque adeo falsum esset dicere, quòd esset ante omnia sæcula.

Ad 4. Nego antecedens, quod solùm valet de imperfectis, quæ producuntur in tempore, licèt etiam hæc potuerint ab æterno produci, vt dictum est in 8. phys. cùm optimè saluetur ratio productionis per hoc, quòd vnum accipiat esse ab alio, absque vllo transitu de non esse ad esse. Et ratio est, quia accipere esse præscindit ab æternitate, vel tempore. Ergo potest coniungi cum vtroque.

AR-

ARTICVLVS VII.

An sint æquales, quoad dignitatem, & magnitudinem?

Videntur non esse. Primò quia Vbicumque est ordo naturæ, ibi non est æqualitas dignitatis. Sed in diuinis est ordo naturæ, vt probat diuus Thom. hic q.42.ar.3. Ergo non est æqualitas dignitatis. Maior patet, quia ordo naturæ dicit prius, & posterius, quæ pugnant cum æqualitate. Minor probatur, quando alter est ab altero, ibi est ordo naturæ, vt docet Angelicus. Sed in diuinis alter est ab altero. Ergo est ordo naturæ.

2. Inter maiorem, & minorem non datur æqualitas magnitudinis. Sed Filius est minor Patre, vt ipsemet fatetur Io.14 & alibi. Ergo inter Patrem, & Filium non est æqualitas magnitudinis.

3. Inter Deum, & non Deum nulla est æqualitas. Sed solus Pater est Deus, vt dicitur Io.3.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Ergo inter Patrem, & alias Personas nulla est æqualitas.

4. Qui orat, non habet dignitatem æqualem orato. Sed Spiritus S. orat Patrem, vt dicitur ad Rom. 8. 26. *Spiritus S. orat prò nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et ad Galatas 4. 6. *Pater misit*

Spiritum filij clamantem abba Pater. Ergo Spiritus Sanctus non habet dignitatem æqualem Patri.

5. Inter factum, & non factum non est æqualitas. Sed Pater non est factus, & Spiritus S. est factus, vt habetur Io. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, nihil excludendo. Ergo Spiritus S. non est æqualis Patri.

Conclusio, *Omnes diuinæ Personæ sunt æquales, secundùm magnitudinem, & dignitatem*. Est de fide, vt dicitur in symbolo cit. & ad Phil. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Patri*.

Diuus Thomas hìc q. 42. ar. 4. ita probat conclusionem, de ratione paternitatis, & filiationis est, quòd filius accipiat perfectionem naturæ, quæ est in Patre. Atque adeo cùm dignitas, & magnitudo in Deo non sint aliud, quàm naturæ perfectio, quoad hanc sunt æquales.

Sed hæc ratio in primis non probat æqualitatem inter omnes Personas, sed solùm inter Patrem, & Filium. Ergo non sufficit. Deinde neque illam probat ex medij insufficientia. Cùm enim videamus, in omnibus alijs paternitatibus, & filiationibus contingere oppositum, ex eo quòd aliter accidat in diuinis, non potest inferri, hoc esse de ratione paternitatis, & filiationis; aliòquin cùm hæ dicant etiam in Deo coæternitatem, & consubstantialitatem, posset inferri, hoc esse de ratione paterni-

nitatis, & filiationis. Quo admisso, nulla daretur vera paternitas extra Deum. Debet ergo probari illud antecedens, & non supponi. Neque potest recurri ad imperfectionem paternitatis creatæ. Nam potiùs dicendum esset, huiusmodi exceptionem in Deo à communi lege naturæ, haberi ratione suæ summæ perfectionis; alioquin posset dici, esse de ratione entis vt sic, quòd sit à se: & de ratione substantiæ vt sic, quòd sit infinita, & necessariò existat, quia hos conceptus ita in Deo videmus verificari, extra quem quòd aliter accidat, semper posset refundi ad eorum imperfectionem. Nè ergo incidamus in hæc absurda, dicendum est, id solùm esse de ratione alicuius conceptus obiectiui, quòd in omnibus, vel saltem in plerisque videmus verificari, non autem quod in vno solo verificatur, & in omnibus alijs, vel saltem in plerisque falsificatur.

Magister in 1. d. 19. litt. S. ita illam probare conatur, Pater non est aliquid verius, quàm Filius, neque vterque Spiritu Sancto, & viceuersa. Ergo sunt æquales in magnitudiue. Probat antecedens, quia nulla Persona habet plus veritatis, quàm alia, quia non habet plus essentiæ, quæ est formaliter veritas Personarum. Probat consequentiam, quia Personarum magnitudo nihil est, nisi essentia, adeòque nihil est, nisi veritas.

Sed hoc argumentum; in primis probaret etiam æqualitatem quoad notionalia, ratione quorum nulla Persona habet plus veritatis, quàm alia. Deinde probat, omnia creata esse æqualia, quia cùm veritas sit vna, & indiuisibilis, non potest in vno esse maior, quàm in alio, vt probauimus in log. lib. 3. disp. 2. ar. 2, concl. 3. Sed vbicumque est æqualis veritas, ibi est æqualitas dignitatis, & magnitudinis per Magistrum. Ergo in eius sententia omnia essent æqualia. Vel ergo argumentum procedit de veritate obiectiua, formaliter sumpta, & probat omnia esse æqualia; vel de veritate causaliter, idest de causis veritatis, & petitur principium, quia de hoc ipso disputatur, an plura prædicata dignificantia, quæ sunt causæ obiectiuæ veritatis, dentur in Patre, quàm in Filio, & Spiritu Sancto?

Probo igitur primò conclusionem, æquale dicitur quasi per negationem maioris, vel minoris, vt patet ex 10. met. Sed in Deo non datur maius, aut minus in dignitate, vt dicitur in symb. S. Ath. *nihil maius, aut minus*. Ergo datur æqualitas. Probatur minor, si daretur maius, aut minus in Deo, non daretur vna dignitas, quia inæqualium non est vna quantitas, vt patet. Sed dignitas, seu quantitas dignitatis est essentia. Ergo non daretur vna essentia, nec esset vnus Deus.

Dices, punctum non est maius, seu mi-

minus linea, & tamen non est illi æquale. Ergo ex negatione maioris, vel minoris in Deo, non infertur æqualitas.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia punctum non est quantum, adeòque est incapax commensurabilitatis. Sed Personæ diuinæ sunt quantæ, quantitate perfectionis, & dignitatis, & ideo sunt ad inuicem comparabiles.

2. Omnes, & singulæ diuinæ Personæ sunt in omnibus, & singulis alijs per circuminsessionem, vt probabimus. Ergo omnes sūt perfectè æquales quoad magnitudinem. Probatur consequentia, maius non potest minori perfectè coaptari, & dignius minus digno, alióquin amitteret propriam magnitudinem, & dignitatem. Ergo si omnes possunt alijs perfectè coaptari per circuminsessionem, per quam vna perfectè est in alia, omnes sunt ad inuicem perfectè æquales quoad magnitudinem, & dignitatem, seu maiestatem.

Ad 1. Nego minorem. Et dico, diuum Thomam admisisse in loco cit. solum ordinem originis, quem dixit ordinem naturæ, non quia per illum vna natura sit ab alia, sed per hoc quòd vna natura ab vno communicetur alteri; & ideo ait, *vocatur ordo naturæ, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero*. Hìc autem ordo neque dicit prioritatem naturæ, cùm sit vna, & eadem in principio, & termino, neque temporis, quia vterque est coæternus, sed solam prio-

prioritatem rationis, vt admittit Angelicus hic q.40. ar.4. quæ cùm habeatur per nostrum modum concipiendi, nullam refundit dignitatem, seu magnitudinem priori, secundùm rem.


Ad 2. Nego minorem. Et dico, verba Christi esse referenda ad Patrem, comparatum ad Christum, vt vnitum humanitati, iuxta symbolum Athanasij, *Filius est æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor verò secundum humanitatem*. Quòd si referri velint ad Filium Dei, qua Verbum diuinum est, sicut exponunt Nazianzenus, Cyrillus, & alij, dico, aliam non posse importare maioritatem, quàm rationis, & apparentiæ, ex origine, per quam non dicimus in re cum Augustino, quòd Pater sit maior Filio, sed quòd Filius sit à Patre.

Ad 3. Nego minorem. Ad authoritatem respondeo, ibi Patrem considerari vt Deum, ita vt particula *solum* cadat supra deitatem, quam afficit immediatè, & faciat sensum, non dari alium verum Deum, quàm illum, qui est Pater. Sed Pater est idem Deus cum Filio, & Spiritu Sancto. Ergo ly *solus*, est exclusiuum Dei vnius, & trini, qui est verus Deus, ab omni alio, qui non est verus Deus. Et ideo bene additum fuit, *& quem misisti Dominum Iesum Christum*, quem appellat copulatim cum Patre, tamquam vnum, eumdemque Deum verum, simul cum Spiritu Sancto solùm adorandum. Ad hoc idem argumentum multò plura di-

diximus disp. 19. ar. 3. ad 1. vbi ostendimus, per hæc verba non excludi Filij diuinitatem.

Ad 4. Nego minorem. Ad locum adductum dico, orationes, gemitus, & suspiria dici de Spiritu Sãcto solùm causaliter, quatenus est in nobis causa, vt per illos ad Deum conuertamur, vt optimè explicant locum allatum Nazianzenus, Chrisostomus, alijque cum Augustino lib. 1. con. Maximin. sub med. & ep. 105. sub med. & colligitur ex ipso textu, in quo immediatè ante legitur, *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat prò nobis.*

Ad 5. Nego minorem. Locum Ioannis dico, esse intelligendum de ijs, quæ aliunde constat esse facta, vt patet per illud, *sine ipso factum est nihil, quod factum est*, ita vt faciat sensum, omnia quæ sunt facta, sunt facta per Verbum Dei. Aliòquin si illa verba intelligerentur, absque vlla restrictione, comprehenderent inter facta, etiam ipsum Patrem, & Verbum, quod est absurdum.



AR-

ARTICVLVS VIII.

An sint æquales quoad omnia absoluta, & operationes ad extra, quomodocumque ad inuicem comparentur?

VIdentur 1. non esse æquales quoad omnia absoluta, quia nullum est absurdum admittere in Deo aliquod prædicatum absolutum, distinctum virtualiter intrinsecè ab essentia, sicut aliquis censuit de attributis, & sicut ipsa essentia distinguitur à relationibus personalibus. In tali casu, posset essentia communicari secundùm alia omnibus personis, & secundùm hoc prædicatum virtualiter distinctum, solùm alicui. Ergo possunt diuinæ Personæ, etiam secundùm absoluta, esse inæquales. Sed posse in Deo est idem ac esse. Ergo de facto ita est, licèt à nobis hoc prædicatum non cognoscatur; neque enim cognoscimus quid sit Deus.

2. Videntur non esse æquales, quoad operationes ad extra, Primò quia incarnatio, licèt sit ad extra, conuenit soli Verbo. Et deinde quia collatio donorum, & gratiæ conuenit soli Spiritui Sãcto. Ergo non omnibus personis conueniunt omnes operationes ad extra.

3. Videntur non esse æquales, secundùm omnem comparationem. Nam sicut vnitas non est æqualis numero, sed vni-

vnitati; ita vna persona est alteri æqualis, non tamen vna est pluribus, & multò minùs omnibus æqualis. Ergo licèt secundùm comparationem vnius cum vna, seruetur æqualitas, non tamen secundum alias vnius cum pluribus, & viceuersa.

Conclusio, *Diuinæ Personæ sunt omninò æquales, quoad omnia absoluta, & operationes ad extra, & secundùm omnem comparationem.*

Probatur prima pars 1. quia si discreparent in aliquo prædicato absoluto, vel illud esset extra rationem diuinæ essentiæ, vel hæc non esset perfectè, & adæquatè in Persona discrepante. Vtrumque est absurdum, quia primum faceret essentiam deficientem, & secundùm diuideret essentiam à Personis, quam proinde faceret veluti diuisibilem. Ergo in nullo absoluto possunt discrepare, adeòque quoad hæc sunt omninò æquales.

2. Diuinitas tantumdem communicatur Personis, quantum sibi ipsi. Ergo tantumdem perficit omnes, & singulas Personas, quantum seipsam. Sed illa est vnica ratio essentialis perfectiua, in qua continentur omnia absoluta. Ergo cùm illam omnes Personæ æqualiter habeant, non possunt quoad absoluta inter se discrepare, quia hæc discrepantia induceret distinctionem in ipsam essentiam, quod est impossibile, vt docet Augustinus lib. 6. de Trin. c. 4. sub finem dicens, *satis est dicere, nullo modo Filium æqualem*

lem esse Patri, si in aliquo, quod pertineat ad significandam eius substantiam, inæqualis inuenitur. In omnibus ergo æqualis est Patri Filius, & est eiusdem substantiæ. Aequalis est etiam Spiritus Sanctus Patri, & Filio, & in omnibus æqualis per summam simplicitatem illius substantiæ.

Probatur secunda, Omnes operationes ad extra indiuisim sũt ab omnibus Personis, tamquam ab vno Creatore, ratione vnius, eiusdemque communis essentiæ. Ergo quoad has, non possunt habere vllam inæqualitatem; aliòquin discreparent in dominio, sapientia, prouidentia, potentia, vel dignitate, & maiestate, cuius oppositum probauimus vsque adhùc.

Probatur tertia, primò ex Toletano 6. in prof. fidei, ita definiente, *in hac Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in singulis, quàm in omnibus; nec maior in omnibus, quàm in singulis Personis maneat.*

Deinde ratione, tota ratio perfectionis in Personis, est identitas cum essentia. Sed hæc est summa cum omnibus, & singulis, & simpliciter infinita. Ergo non potest esse maior in omnibus simul, & collectiuè sumptis, quàm in singulis seorsim, & distributiuè; aliòquin daretur vnum infinitum simpliciter, maius alio, quod repugnat in terminis, vt fusè probauimus in 3. physicorum. Sed æqua-

qualitas sequitur rationem perfectionis. Ergo cùm hæc sit vna,& eadem in omnibus Personis, quomodocumque comparentur, fundat semper in illis perfectam æqualitatem.

Ad 1. Nego maiorem. Et ratio est, quia cùm esentia includat in sua ratione formali intrinseca, omnes perfectiones absolutas, si distingueretur ab aliqua, virtualiter intrinsecè, illam virtualiter intrinsecè includeret, & non includeret, quod est formaliter contradictio. Probo sequelam, esentia vt formaliter diuina, identificatur virtualiter intrinsecè cum seipsa. Ergo cum omnibus perfectionibus absolutis; aliòquin ipsa non esset formaliter cumulus omnium perfectionum, & includeret defectum. Ergo non potest ab vlla ex illis taliter distingui, aliòquin distingueretur à se ipsa, sed solùm potest quoad illas diuersimodè appropriari, secundùm nostrum modum concipiendi, quod solam inducit distinctionem rationis ratiocinantis. Vnde corruit suppositum de attributis, quæ diximus in disp. met. lib. 1. disp.2. ar.2. distingui quidem virtualiter extrinsecè ab esentia, non autem intrinsecè. Neque valet paritas esentiæ cum relatiuis, quia cùm hæc sint extra rationem formalem illius (vt inibi diximus) posunt ab illa distingui virtualiter intrinsecè, quod non valet de absolutis.

Ad 2. Nego antecedens. Ad cuius primam rationem dico, in incarnatione

duo

duo interuenire, terminationem naturæ humanæ, per subsistentiam increatam, & efficientiam vnionis hypostaticæ. Prima est propria solius Verbi, non autem secunda, quæ prouenit à tota Trinitate. Ad 2. dico, gratiam, & dona prouenire à tota Trinitate, appropriari tamen Spiritui Sancto, propter rationes allatas disp.22.ar.ù.

Ad 3. Nego antecedens. Et dico, non currere paritatem ex vnitatibus. Cùm enim hæ habeant distinctas entitates, singulæ addunt aliquid, quod non est in alijs; & ideo plures faciunt plus, quàm vna. At diuinæ Personæ quia omnes habent eamdem entitatem, eiusdem numero essentiæ, ideo faciunt quidem numerum quoad relatiua, non autem quoad absoluta, quæ cùm sint eadem in omnibus, non faciunt plus in pluribus, quàm in vna Persona.

ARTICVLVS IX.

An sint æquales quoad notionalia?

Videntur primò, neque esse æquales, neque inæquales, neque similes, neque dissimiles, vt plures docent cum Magistro in 1. d.31. litt. B. docente, *non ergo secundum quòd Filius est genitus à Patre, æqualis, vel inæqualis, nec similis, vel dissimilis*. Et affert rationem, quia tota ratio æqualitatis, vel similitudinis, habetur per essentiam; Et ideo

ideo concludit, *Sed aequalis, & similis secundùm substantiam*. Cui videtur adhærere diuus Tho. qui q.42.ar.1. docet, *in diuinis Personis nihil est considerare, nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguũtur. Aequalitas autem vtrumque importat, scilicet distinctionem personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur aequale, & vnitatẽ essentiæ, quia ex hoc personæ sunt sibi inuicem aequales, quia sunt vnius magnitudinis, & essentiæ.* Ergo notionalia sunt necessaria, ad fundandam extremorum distinctionem, non autem ad fundandam æqualitatem, quæ adæquatè habetur ab essentia. Atque adeò ipsa notionalia ex se, neque habent principium æqualitatis, neque inæqualitatis. Ergo nec sunt æqualia, nec inæqualia.

2. Videntur esse, etiam quoad hęc, omninò æquales, vt tuentur Aureolus in 1.d.19. q.2.ar.3. Okam ibid.q.1. litt. O. Suar. lib.3. de Trin. c 9. & plures ex Recentioribus, quorum fundamenta possunt esse. Primò quia vel notionalia ratione sui formaliter dicunt perfectionem in Deo, vel non? Si primum, cùm vna Persona sit in alia, nihil habent perfectionis, per quod discrepent, ratione cuius tollatur æqualitas. Si secundum, ergo in Personis non est alia perfectio, quàm essentiæ, secundùm quam non possunt esse inæquales. 2. Dicitur 5 met. t.20. *Eadem sunt, quorum substantia vna; similia quorum qualitas vna;*

vna: & æqualia, quorum quantitas vna. Ergo cùm diuinæ Personæ etiam secundum notionalia, habeāt eamdem qualitatem perfectionis, & magnitudinis quantitatem, vt dictum est, habent etiam similitudinem, & æqualitatem.

3. Videntur esse dissimiles, & inæquales, vt propugnant Greg. Arim. in 1. d. 19. q. vn. ar. 1. Valentia q. 16. p. 1. Zuniga, Fasolus, & alij. Fundamentum est, quia si essent omninò æquales in notionalibus, non distinguerentur ab inuicem. Sicut enim propter summam æqualitatem in absolutis, non distinguntur quoad essentiam, ita non distinguerentur quoad Personas, quod tolleret Trinitatem. Ergo sunt omninò inæquales.

Conclusio, *Diuinæ Personæ quoad notionalia sunt quidem negatiuè æquales, positiuè autem sunt dissimiles, & inæquales.* Est in terminis Martini de Esparsa q. 44. ar. 4. & 5. & aliorum, quos retulimus nuper in tertia obiectione, & referemus infrà.

Probatur prima pars, æqualitas negatiua consistit in hoc, quòd extrema ita se habeant, vt nullum excedat, seu excedatur ab alio, vt habetur ex Phil. 10. met. t. 15. Sed nulla diuina Persona, quoad prædicta relatiua, excedit alias, neque exceditur ab illis, eò quia tanti valeat in Patre paternitas, quanti in Filio filiatio, & processio in Spiritu Sancto, quæ inuicem compensantur, in ratione perfectionis, quoad mutuam ex-

exclusionem, & distinctionem, cum omnimoda, & perfectissima æquiualentia, vt toties huc vsque diximus. Ergo sunt æquales negatiuè, per exclusionem veræ inæqualitatis.

Probatur secunda pars, primò ex diuo Hylario lib.3.de Trin.c.6.sub fin.dicente, *æqualis est ergo Filius Patri secundùm essentiam, non secundùm relationem*: & Augustino 5.de Trin.c.6.vbi ait, *quærimus secundùm quid sit æqualis Patri Filius, non secundùm hoc quòd ad Patrem dicitur Filius, æqualis est Patri. Restat ergo vt secundùm id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quidquid autem ad se dicitur, secundùm substantiam dicitur. Restat ergo vt secundùm substantiam sit æqualis*. Hæc autem æqualitas explicatur per hoc, quòd Pater ratione potentiæ sit ad idem obiectum, ad quod est Filius: ratione durationis occupet eamdem æternitatem: ratione præsētię localis, per eamdem immensitatem correspondeat eidem spatio: ratione scientiæ referatur ad idem scibile, &c. Præterea idem asseritur ab Athanasio in quæst. anonymis q.5. *Omnia æqualiter habent Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, præter proprietates suas*; A Cyrillo, vt recitatur in Conc. Ephesino to.5.c.1.anathematismo 9. *Etsi vnigenitum Dei Verbum homo factum est, mansit tamen Deus, omnia præter solam paternitatem, cum Patre æqualia & communia habens*: A Nazianzeno

orat,

orat. de moderat. in disput. sub. in. *Agnoscamus Spiritum Sanctum hoc solo nomine cedentem Patri, quòd ingenitus non sit; hoc item Filio, quòd non genitus sit*. Ergo non sunt æquales positiuè.

2. Relationes diuinæ ratione sui formaliter, dicunt peculiares perfectiones simplices, vt probauimus in disp. met. lib. 1. disp. 1. ar. 4. Sed in illis, non solùm non conueniunt, sed positiuè discrepant Personæ. Ergo neque habent similitudinem, neque æqualitatē. Quòd autem detur discrepantia in diuinis, secundùm perfectiones simplices relatiuos, quam nos propugnauimus loc. cit. ar. 5. apertè conceditur à Gabriele in 1. d. 7. q. 3. ar. 3. dicente, *nec hoc concedere est magis inconueniens, quàm concedere, quòd paternitas est in Patre, & non in filio*. Quod idem ferè iisdem verbis asseritur ab Ochamo in 1. d. 19. q. 1. litt. V. à Rada controu. 27. §. *sed ista*; à Baccono in 1 d. 23. q. 1. ar. 1. ad 1. Valentia disp. 2. q. 7. p. 2. sub fin. §. *ad hoc argumentum*: Bannes q. 28. ar. 2 dub. 1. ad 4. Cano penès ipsum, & aliis. Immò Fonseca vt tollat omnem scrupulum 4. met. c. 2. q. 7. sect. 7. §. *ad argumentum*, profitetur apertè, *non solùm non est incommodum fateri, aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in aliis, sed etiam necessarium*. Et Gabriel in loco cit. ait, *qualibet diuina Persona caret aliqua perfectione simpliciter*. Et Albertinus in corollario 6. ex prædicam. ad aliquod

q. 5.

q.5.sub fin.concludit, *quamuis vna Persona careat formaliter perfectione alterius*. Quòd si aliquis offendatur verbo *caret*, offensioni medetur Valentia loc. cit. dicens, *si intelligatur quatenus personæ opponuntur, & distinguuntur ab inuicem, conceditur: si verò intelligatur simpliciter, ita vt nullo modo vna persona habeat perfectionem alterius, negatur. Quamuis enim vt distinguitur, non habeat perfectionem alterius, tamen habet vt est vnum in essentia cum illa*.

3. Opposita non sunt similia, vt patet per Philos. loco cit. nam opposita excludunt participationem eiusdem formæ. Ergo non sunt æqualia. Sed diuinæ Personæ sunt inter se oppositæ relatiuè. Ergo non sunt æquales positiuè.

4. Aequalia sunt, quorum quantitas est vna, & similia quorum qualitas est vna, vt vidimus ex Phil. Sed si spectetur perfectio notionalis, quæ videtur habere in Deo rationem quantitatis, seu qualitatis virtualis, non est vna in omnibus, alioquin non distinguerentur ab inuicem. Ergo quoad hoc non habent positiuam æqualitatem, immò neque similitudinem.

Aduertendum tamen est, hanc inæqualitatem, seu quasi inæqualitatem, quamuis fundetur in reali dissimilitudine, non tamen esse realem, sed rationis. Et ratio est illa, quam innui in probatione primæ partis, quia cùm in hac

reali dissimilitudine non detur excessus perfectionis notionalis, seu relatiuæ prò vlla parte, numquam potest haberi vera inæqualitas, per quam vna persona, saltem quoad relatiua, & notionalia, sit maior alia. Est ergo potiùs inæqualitas rationis, quatenùs per nostrum modum concipiendi, comparando huiusmodi diuinam dissimilitudinem, cum dissimilitudine creata, per species huius illam cognoscimus, illi attribuendo aliquod prædicatum, in ordine ad creata, per quod videtur induci Personarum inæqualitas, sicut inducitur ex dissimilitudine creata, quod potiùs gignit apparentiam inæqualitatis, quàm veram inæqualitatem.

ARTICVLVS X.

Soluuntur fundamenta contraria. Vbi quæritur, an datur vera prioritas inter Personas?

AD argumentum primæ sententiæ, ductum ex authoritate Magistri, & diui Thomæ, dico, illos locutos fuisse de vera æqualitate, & inæqualitate, secundùm diuersam considerationem, hoc est in linea absolutorum, & notionalium. Quia ergo æqualitas in vna linea non opponitur inæqualitati in alia linea, ideò confusis lineis, sicut possunt dici Personæ simpliciter æquales, & inæquales, ita possunt dici simpliciter nec æqua-

æquales, neque inæquales, tamquam non habentes principium æqualitatis, vel inæqualitatis Vel enim considerantur in sola linea absolutorum, & sunt idem; idem autem non est sibi æquale; vel in sola relatiuorum, & nihil habent commune. Vbi autem non est quantitas communis, non est æqualitas. Ergo in neutra linea sunt æquales Sed neque sunt inæquales, quia in neutra linea vna Persona excedit aliam. Ergo taliter consideratæ Personæ, neque sunt æquales, neque inæquales. Nos autem quia consideramus Personas in vtraque linea simul; ideo quia distinguuntur per notionalia, & conueniunt per absoluta; secundùm hęc sunt æquales, & secundùm illa inæquales, ita vt inæqualitas connectatur essentialiter cum æqualitate, & æqualitas cum inæqualitate, & neutra habeatur sine alia.

Ad 1. Secundæ sententiæ dico, notionalia ratione sui formaliter dicere perfectiones simplices, quarum sicut non tollitur distinctio per circuminsessionẽ, ita nec tollitur inæqualitas. Ad 2. Distinguo primam partem consequentis, habent eamdem quantitatem perfectionis, in linea absolutorum, concedo: in linea ipsorum notionalium, nego. Vel aliter distinguo, habent eamdem quantitatem perfectionis simpliciter simplicis, concedo: perfectionis simplicis, nego consequentiam quoad vtramque partem. Cùm enim in diuinis conside-

remus quasi duplicem quantitatem; nempe secundùm perfectiones simpliciter simplices, & secundùm perfectiones simplices; ideo cùm conueniant in prima, & discrepent in secunda, sunt æquales secundùm absoluta, & inæquales secundum notionalia.

Ad fundamentum tertiæ. Nego consequentiam, si intendat inferre veram, & realem inæqualitatem, cum exclusione æqualitatis negatiuæ, quam statuimus in conclusione. Et ratio est, quia ad rationem veræ distinctionis, non requiritur vera, & omnimoda inæqualitas, sed sufficit quòd vnum verè non sit aliud, adeòque possit verè de alio in recto negari, vt probauimus in disp. met. lib. 1. disp. 2. per totam, quod præscindit à ratione veræ æqualitatis, siue inæqualitatis. Immò tantum abest, quòd ex vera æqualitate tollatur distinctio, vt potiùs ex illa formaliter inferatur. Probatur assumptum, nihil potest esse æquale sibi ipsi. Ergo alteri; & ideo æqualitas non est conceptus absolutus, sed relatiuus. Sed vbi est aliud, & aliud, ibi est formaliter distinctio. Ergo vera æqualitas dicit formaliter distinctionē. Neque valet instantia de absolutis; siquidem in illis Personæ non distinguũtur, non quia æquales, sed quia sint vnũ, denotando vnitatem, & identitatem cum eadem essentia, qua sola posita, non daretur æqualitas.

Dices, vel æqualitas requirit distin-

ctio-

ctionem in sua linea, vel in alia? Si primum, ergo quia Personæ sunt æquales in absolutis, in illis distinguerentur. Si secundum, ergo sicut sunt æquales in absolutis, quia distinguuntur in relatiuis, ita quia sunt vnum in absolutis, essent æquales in relatiuis. Atquì primum est absurdum, & secundum directè pugnat cum conclusione. Ergo æqualitas non requirit, sed tollit extremorum distinctionem; atque adeo bona est illa causalis, si essent æquales in notionalibus, non distinguerentur.

Resp. æqualitatem dicere distinctionem extremorum simpliciter, & absolutè, præscindentem ab omni linea. Et ideo non valet consequentia, sunt æquales in absolutis. Ergo distinguuntur in absolutis quia possunt distingui in alio ordine. Et ratio est, quia æqualitas non fundatur immediatè in distinctione, sed in similitudine, quæ excludat excessum, vt probat diuus Tho. hìc q. 42. ar. 1. ad 2. Sed similitudo non est in vno, sed in pluribus. Ergo & æqualitas. Quòd si detur exclusio excessus in diuersis qualitatibus, quia tunc datur dissimilitudo, potest quidem dari æqualitas negatiua, non tamen positiua. Vnde intulimus, quòd cùm diuinæ Personæ sint similes in absolutis, & dissimiles in relatiuis, sint positiuè æquales in absolutis, & solùm negatiuè in relatiuis. Quòd autem sint dissimiles in relatiuis, patet ex earum oppositione, missione, & ap-

propriatione. Nam similia non sunt opposita. Preterea appropriatur Patri potentia, Filio sapientia, & Spiritui Sancto bonitas, vt probat diuus Tho. q.39.ar.8. Sed hæc attributa, saltē quoad connotata extrinseca, & respectu nostri, sũt dissimilia Ergo eorũ appropriatio inducit dissimilitudinē in Personis appriãtibus. Demùm missio ad extra, licèt quoad effectus extrinsecos, & determinationem liberam electionis, talis Personæ mittendæ spectet ad totam Trinitatem, tamen quoad originem Personæ missæ à mittente, inducit realem dissimilitudinem, tamquàm producti à producente. Ergo sunt dissimiles.

Non desunt ex Patribus, qui vocent etiam dissimiles Personas ex alio capite, nempè quòd vna sit maior alia, ducti ex oraculo veritatis Io. 14. vbi Christus Dominus apertissimè dixit, *Pater maior me est*. Vnde non solùm quoad humanitatem (vt nos supra exposuimus) sed etiam de Verbo, vt subsistente in natura diuina, quoad esse ipsius Patri consubstantiale, deducunt, Patrem esse maiorem Filio, authoritate, honore, dignitate, maiestate, modo originis, inquantùm principium, modo principij, &c. vt clarè docent Augustiuus, Hylarius, Nazianzenus, Athanasius, Chrysostomus, Damascenus, Euthymius, & alij. Nè tamen videar in re tanti momenti aliquid de meo dixisse, fideliter referam verba ipsorum, vt quisque

que iudicet quid voluerit, salua semper vnitate eiusdem essentiæ, in Trinitate Personarum.

Hylarius 9. de Trin. post med. quem refert, & non confutat diuus Tho. 1. p. q. 42. ar. 4. ad 1. ait, *Donantis authoritate Pater maior est, sed minor non est, cui vnum esse donatur. Maior itaque Pater Filio est, & planè maior, cui tantum donat esse, quantus ipse est, quem ex se in forma sua generat.* Et infra, *Maior vtique Pater est, dum Pater est. Sed Filius dum Filius est, minor non est. Natiuitas Filij Patrem constituit maiorem, minorem verò filium esse, natiuitatis natura non patitur.*

Cyrillus lib. 2. thesauri c. 3. sub init. *Maior ipse Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo, qui ex eo filius est; & sic principium filij secundùm originem Pater est.* Et sub. med. *Non ergo natura, sed vt filius, Patre minor dicitur.*

Athanas. or. 2. con. Arrian. sub. fin. *Pater maior est, non quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habet filius.*

Damascenus lib. 1. fidei c. 9. sub fin. *dicimus Patrem maiorem; non tempore aut natura, neque secundùm aliud quodcumque, nisi secundùm causam, hoc est quia filius ex Patre genitus, non autem Pater ex filio.*

Chrysostomus ho. 74. in Io. sub. med. *Si quis maiorem filio Patrem, in quan-*

tum principium diceret, neque hoc contradiceremus, non tamen hoc alterius facit filium esse substantia.

Euthymius in locum cit. Io. *In veritate quidem Pater maior est, & non potentia, sed solo principij modo, quia filio principium est generationis.*

Nazianzenus or. 4. de theol. sub med. *Pater maior est generationis dignitate.*

Augustinus super eumdem locum Io. *In substantia minor non est filius, authoritate maior est Pater, ipso Domino dicente, Pater maior me est.*

Basil. super eumdem locum, *nos secundùm habitudinem causa Patrem filio praponi dicimus, natura verò diuersitate nequaquam. Hoc maior est Pater, quòd causa est. Dominus dicit Pater maior me est, vt eo quod Pater est, maior esse intelligatur.*

Gregor. Bæticus in q. 42. ar. 1. num. 10 *Qua Deus, Deo aqualis est filius, qua filius, minor Patre.*

Riccard. Victorin. 5. de Trin. c. 7. sub medium, *nihil ibi prius tempore, vel posterius. Sed quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, & eo ipso naturaliter.* Et lib. 6. c. 7. sub in. *Quantum ergo ad natura ordinem principaliter est processio illa, cui inest principalior procedendi causa.*

Origenes hom. 2. *pracedit Pater Verbum, non natura, sed causa. Pater pracedit filium causaliter.*

Chrysost. hom. 1. de fide in Christo, sub

sub in. *Priusquàm nasceretur vnigenitus, in suo genitore generandus manebat.*

ARTICVLVS XI.

An æqualitas diuinarum Personarum importet relationem realem distinctam ab alijs.

Videtur importare, vt propugnat Scotus in 1.d.32.q.vn. & quodlib. 6.cui adhærent Raphael Auersa hic q.2. sect.2. Rada, Smisingh, Franciscus Felix, & alij. Fundamenta sunt, Primò quia æqualitas per vnitatem quantitatis materialis, importat relationem realem. Ergo & à fortiori æqualitas, per vnitatem quantitatis virtutis, seu perfectionis.

2. Relatio fundata in fundamento reali, quæ datur ante operationem intellectus est realis. Sed relatio diuinæ æqualitatis, datur ante operationem intellectus, & fundatur in fundamento reali, cuiusmodi sunt diuinæ Personæ. Ergo est realis.

3. Illæ relationes, quarum est idem fundamentum, cum ijsdem extremis, eodem modo se habent, secundum realitatem. Sed relationes originis, & æqualitatis habent eamdem essentiam, vt fundamentum, & easdem Personas vt extrema. Ergo cùm illæ sint reales, etiam hæ.

4. Ideo relatio originis Patris ad Filium est realis, quia fundatur in perfectione essentiæ, exigentis quòd communicetur filio. Sed relatio æqualitatis fundatur in identitate eiusdem essentiæ. Ergo pari ratione debet esse realis.

5. Si esset in æqualitas inter Personas, illa esset relatio realis. Ergo æqualitas vt illi opposita, debet esse realis, cùm relatio realis non opponatur relationi rationis.

6. Æqualitas est in Personis ex vi productionis, & est prima æqualitas, vt docet Augustinus 6. de Trin. cap. vlt. adeòque est simpliciter perfectio, vt idem ait de quantitate animæ c. 7. Ergo est relatio realis.

Conclusio. *Aequalitas in diuinis non non dicit relationem realem distinctam à notionalibus, sed rationis tantùm:* Ita Ægid. in 1. d. 31. q. 1. cum Argentina, ibid. ar. 2. D. Tho. q. 42. ar. 1. ad 4.

Quòd æqualitas sit conceptus relatiuus, patet ex dictis. Cùm enim omne æquale sit æquali æquale, necessariò æqualitas est ad alterum. Et ideo Magister in 1. d. 31. litt. A. ait, *sicut nihil sibi est simile, similitudo enim (vt ait Hylarius 3. de Trin. sub fin.) sibi ipsi non est; ita & æquale aliquid sibi non dicitur; ac per hoc sicut simile, ita & æquale relatiuè dicitur.* Difficultas ergo est, in assignando quam relationem importet.

Ægidius loc. cit. ita probat, eam esse relationem rationis, similitudo, & æqua-

æqualitas, vtpote fundatæ super qualitatem, & quantitatem, in diuinis transeunt in substantiam, sicut ipsæ qualitas, & quantitas. Ergo non possunt importare, nisi relationem identitatis, quæ cùm non possit esse realis, necessariò est rationis.

Sed hæc ratio non subsistit. Primò quia etiam paternitas, & Filiatio transeunt in diuinam substantiam, & tamen sunt relationes reales. Deinde quia tunc solùm identitas importat relationem rationis, quando est eiusdem ad se, eodem modo consideratum. Sed æqualitas non est eiusmodi, nam refert essentiam, sub respectu paternitatis, ad eamdem essentiam, sub respectu Filiationis, quæ dicuntur æquales. Ergo non est eiusdem ad idem formaliter, licèt sit ad idem materialiter.

Alij suppresso nomine relati à Durando in d.31.q.1. vtuntur hoc medio, per æqualitatem diuinæ personæ non se habent ad aliud, secundùm rem, quia vna persona dicitur alteri æqualis secundùm essentiam, acceptam sub ratione quantitatis, secundùm quam omnes Personæ sunt idem. Ergo nulla persona per æqualitatem, refertur ad aliud secundùm rem, quod est necessarium ad relationem realem.

Sed neque hæc ratio taliter explicata est sufficiens, quia quando dicitur, personæ non se habent ad aliud secundùm rem, vel loquuntur de extremis relatis,

seu terminis relationis, vel de fundamento, seu ratione fundandi talem relationem? Si primum, falsum dicunt, nam verè Pater, qui est æqualis Filio, est extremum secundùm rem distinctum à Filio. Si verò dicant secundum, tollunt omnem relationem realem in diuinis, quia omnes fundantur in identitate cum eadem essentia, tamquàm fundamento, saltem radicali, & remoto. Siquidem Pater refertur ad Filium per hoc, quòd illi, ex vi generationis, communicet essentiam, & hic refertur ad Patrem, per hoc quòd illam accipiat. Sed neque ille posset essentiam communicare, neque hic illam recipere, nisi vterque haberet identitatem cum illa. Ergo intantum radicaliter referuntur, inquantum sunt idem cum eadem essētia, in qua vnus dicitur generans, & alius genitus. Quod idem dico de relatione spirationis.

Durandus loc. cit. vtitur hoc eodem medio taliter explicato, omnis relatio realis debet esse ad aliud, quod verè sit aliud, in ratione extremi secundùm rem, sub eadem ratione importata per ipsam relationem. Sed relatio æqualitatis, & similitudinis in Deo non est huiusmodi. Ergo non est realis. Maior patet ex dictis, quia nihil potest ad se referri relatione reali. Minor probatur, quamuis diuinæ Personæ, vt sunt extrema relationum originis, sint inter se realiter distinctæ, non tamen distinguuntur, vt sunt extrema relationis æqualitatis, & simi-

similitudinis, sub hac ratione formali. Probat assumptum, vt sunt extrema relationum originis, sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; quatenus verò sunt extrema relationum æqualitatis, & similitudinis, sunt quantæ, vel quales, nam æqualitas est duorum quantorum, sicut similitudo duorum qualium. Sed Pater vt quantus, vel qualis quantitate, & qualitate virtutis, & perfectionis, non distinguitur à Filio, vt quanto, vel quali. Ergo vt sunt extrema talium relationũ, non distinguuntur secundùm rem, adeoque non possunt referri, nisi ratione.

Simile quid admittitur à diuo Tho: q. 42.ar.1.ad 4. vbi docet, ad æqualitatem requiri, non minus distinctionem Personarum, quàm vnitatem essentiæ. Sed si esset relatio realis, vel fundaretur in essentia, vel in relationibus originis? Non primum, quia sicut relationes originis fundantur in actibus notionalibus, & non in essentia, ita neque relatio æqualitatis, quæ deberet fundari in ipsis relationibus originis, vel in personis, quas denominat æquales. Sed vna relatio realis non potest esse in alia, & ideo oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem. Ergo hæc relatio æqualitatis, realiter coincidit cum relationibus originis, à quibus proinde sola ratione distinguitur.

Sed vtraque hæc ratio est insufficiens. Nam prima supponit, diuinas Personas ab inuicem non distingui vt æquales, quod

quod repugnat in terminis. Cùm enim æqualitas sit conceptus relatiuus, dicit in sua ratione formali intrinseca, terminorum distinctionem. Sicut ergo linea palmaris A. distinguitur à linea palmari B., vt sibi æquali, in quantitate dimensiua molis, & extensionis localis; ita Pater æternus distinguitur à Filio, vt sibi æquali, in quantitate virtutis. Atque adeo tãtum abest, quòd in ratione æqualitatis, Personæ non distinguantur, vt ex hoc ipso formaliter distinguantur.

Neque subsistit secunda, quia relatio æqualitatis, neque fundatur in essentia, neque in relatione in abstracto, sed in supposito, quod est relatio in concreto, & dicitur relatiuum. Quòd autem vnum relatiuum in concreto, vt formaliter relatiuum, possit fundare diuersas relationes, patet ex dictis in log. lib. 4. disp. 4. ar. 4. & probatur euidenter, etiam in creatis; nam Petrus pater, vt relatus ad Paulum suum Filium relatione generationis, fundat vt albus relationem similitudinis ad eumdem Paulum album; & vt creatura, relationem transcendentalem ad Deum. Ergo etiam Deus Pater, vt relatus ad Filium relatione generationis, potest fundare relationem æqualitatis ad eumdem, per vnitatem eiusdem quantitatis perfectionis.

AR-

ARTICVLVS XII.

Affertur fundamentum conclusionis, & soluuntur obiecta.

PRobatur conclusio primò à priori. Ad multiplicandas relationes reales, requiritur multiplicatio, vel fundamenti, vel termini, vel rationis proximæ fundantis. Sed æqualitas diuinarum Personarum, neque multiplicat fundamentum, neque terminum, neque proximam rationem fundandi. Ergo non multiplicat relationes reales. Probatur maior, si replicetur Petrus albus in duobus locis, non sunt duo alba, neque ipsi Petro insurgit noua relatio similitudinis, quia in vtroque loco est idem Petrus, cum eadem numero albedine. Item si Filiatio realiter non distingueretur à paternitate in diuinis, Pater non haberet relationem realem ad Filium, ex ui generationis, vt omnes fatentur, vnanimiter inferentes realem distinctionem paternitatis à Filiatione, ex realitate talis relationis, quam habet de facto. Ergo requiritur afferta multiplicatio. Probatur minor, æqualitas inter Patrem, & Filium nihil aliud dicit, quàm Patrem, & Filium, cum similitudine identitatis eiusdem essentiæ, seu quantitatis virtutis. Sed hæc tria etiam supponuntur in esse, vt constitutiua relationum originis. Ergo relatio æqualitatis, vt forma-

maliter talis, nihil superaddit positiuum relationibus originis, sed solum negationem excessus vnius supra aliud. Sed hæc negatio non potest esse realis, primò quia negatio non est in alio. Et deinde quia omnis negatio est contingens, vt probatum est in disp. met. lib.3. disp.3. ar.3. Ergo est negatio denominatiuè, & secundùm rationem. Atque adeo relatio æqualitatis non superaddit aliud personis diuinis, quàm puram negationem rationis, quatenus videlicèt concipiuntur vt similes, cum negatione excessus vnius præ alia. Et ideo Magister in 1. d.31. lit.B. ait, *cum dicitur Filius similis Patri, relatiuè quidem dicitur, sed similis est Patri propter vnitatem essentiæ. Est ergo appellatio tantùm relatiua, similitudo verò indifferens essentia*, ideſt non differens. Quare æqualitas secundùm realitatem, non est relatio distincta à relationibus originis, à quibus distinguitur per solam rationem. Et ideo vt indistincta ab illis, est realis, & vt distincta, est rationis.

Deinde ex absurdo; si æqualitas superadderet relationem realem, essent in Deo quinque relationes reales. Sed hoc est contra vnanimem consensum theologorum, & Patrum, & contra ea, quæ statuimus disp.8. ar.4. de quaternitate diuinarum relationum. Ergo non superaddit relationẽ realem. Aliter multiplicarentur in infinitum diuinæ relationes, quia cùm dentur in Deo infini-

tæ

tæ perfectiones, & secundùm omnes, & singulas detur æqualitas in personis, tot dicerent relationes reales, quot æqualitates; atque adeo essent infinitæ. Nullum autem est absurdum, multiplicari in infinitum relationes rationis. Ergo non superaddit relationem realem, sed rationis.

Ad 1. Nego consequentiam. Disparitas est, quia vnitas quantitatis materialis non est perfectè, & simpliciter vnitas, quia admittit partes realiter distinctas, sed solùm secundùm quid, & ideo non est vnitas numerica, sed specifica. Præterea magnitudo, seu extensio est realiter distincta ab extremis æqualibus, tamquam accidens illis adueniens. In Deo autem vnitas perfectionis, seu quantitatis virtutis est simpliciter, & perfectissimè vnitas, non solùm propter identitatem cum extremis, sed etiam quia eadem numero est in omnibus. Et ideo non potest fundare relationem realem.

Ad 2. Distinguo minorem, relatio diuinæ æqualitatis formaliter sumpta, datur ante omnem operationem intellectus, nego: fundamentaliter, concedo minorem. Et distinguo consequens, est realis, si sumatur fundamentaliter, hoc est quatenus indistincta à relationibus originis, concedo: est realis, si sumatur formaliter, hoc est quatenus concipitur vt distincta à relationibus originis, nego consequentiam. Tota ergo realitas æqualitatis diuinæ, obiectiuè sumptæ, est rea-

realitas relationum originis. Cæterum si consideretur æqualitas formaliter, quatenùs videlicèt relationes originis ad inuicem comparatæ, non cognoscuntur cum excessu perfectionis ex vna parte, sed cum omnimoda similitudine, quia tunc inuoluit formaliter vnitatem cognitionis comparatiuæ, vnde resultat formaliter relatio æqualitatis, nihil superaddit, nisi rationis.

Ad 3. Retorqueo argumentum, relatio æqualitatis habet eadem extrema, cum eodem termino, & proxima ratione fundandi, cum relationibus originis. Ergo non habet realitatem distinctam ab illis; à quibus proinde sola ratione distinguitur.


Vnde patet responsio ad 4. quod solùm probat realitatem relationis æqualitatis, vt indistinctæ à relationibus originis.

Ad 5. Nego consequentiam. Disparitas est, quia inæqualitas, si esset in diuinis, supponeret duas quantitates realiter distinctas, cum excessu vnius supra aliam, cùm sit impossibile, quòd vna quantitas se excedat. At æqualitas dicit vnam indiuisibilem quantitatem virtutis; & ideo non est paritas. Ad eius probationem dico, quòd vel æqualitas, & inæqualitas accipiuntur fundamētaliter, & obiectiuè; & sic opponuntur penès fundamentum, seu rationem fundandi, quæ respectu vtriusque est realis; vel formaliter, & cùm vtraque sit rationis, possunt

ſunt opponi ſecundum rationem. Si ergo daretur inæqualitas in diuinis, non ſolùm eſſet aliquod ſuperadditum relationibus originis, ſecundùm rationem, ſed etiam ſecundùm rem; atque adeo ſecundùm rem opponeretur æqualitati fūdamentaliter, vt duæ quātitates ad vnam, & ſecundùm rationem æqualitati formaliter, vt dicens exceſſum ad excludentem exceſſum, ſub eadem comparatione formali.

Ad 6. Diſtinguo antecedens, diuina æqualitas eſt ſimpliciter perfectio, vt eſt aliquod abſolutum, hoc eſt obiectiuè, & fundamentaliter ſumpta, concedo: vt eſt aliquod relatiuum formaliter, nego antecedens. Et diſtinguo conſequens, eſt relatio realis fundamētaliter ſumpta, concedo: formaliter, nego conſequentiam. Sicut enim eſſentia, vt eſt realiter paternitas, dicit omnem perfectionem s. s. non tamen vt eſt formaliter paternitas, ideſt quatenus ſub conceptu paternitatis, non eſt realiter Filiatio; ita æqualitas, vt eſt realiter eſſentia, & relationes æquales, eſt ſumma perfectio, non tamen vt eſt formaliter relatio æqualitatis, ideſt quatenus ſubſtat huic conceptui, & relationes fiunt vnum cum eſſentia, vnitate extrinſeca cognitionis comparatiuæ, ex vi cuius appellantur formaliter relatio æqualitatis.

DIS-



DISPVTATIO XXV.

De Circuminsessione Personarum.



HOc vocabulum fuit adinuentum à theologis, vt exprimerent inexistentiam vnius Personæ in alia, vt saluentur multa loca sacrorum codicum, quibus dicitur, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre. Quæremus ergo 1. An verè vna Persona sit in alia? Deinde inexistendi modum inuestigantes, quæremus an vna Persona sit in alia formaliter, vel eminenter? Et demum an hæc inexistentia sit solùm per absoluta; an verò etiam per relatiua?

ARTICVLVS PRIMVS.

An verè vna persona sit in alia?

VIdetur fieri non posse, quòd vna Persona sit in alia per mutuam inexistentiam, seu circuminsessionem, vt,

vt propugnant Aureolus, Capreolus, & Caietanus. Primò quia nihil poteſt eſſe in ſe ipſo, ex 4. Phyſ. Sed ſi Pater eſſet in Filio, & hic in Patre, Pater eſſet in ſe ipſo; eo modo quo ſi Petrus eſt ſimilis Paulo, & Paulus Ioanni, etiam Petrus eſt ſimilis Ioanni. Ergo non datur circuminſeſſio.

2. Si daretur hæc circuminſeſſio, ſingulæ Perſonæ eſſent omnes Perſonę. Ergo non diſtinguerentur. Conſequentia patet, quia nihil haberent, per quod diſtinguerentur. Antecedens probatur, in ſingulis Perſonis darentur paternitas, Filiatio, & amor. Ergo ſingulæ eſſent Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

3. Nihil poteſt eſſe in ſui oppoſito. Sed diuinæ Perſonæ ſunt ſibi inuicem oppoſitæ. Ergo nulla poteſt eſſe in alia.

4. Quod eſt egreſsum ab alio, non eſt in illo, ex quo egreſsum eſt; aliter vinum eſset in dollio, poſtquam extractum eſt. Sed Filius eſt egreſsus à Patre, vt dicitur Micheæ. 5. *egreſsus eius ab initio, à diebus æternitatis*; Et Io. 16. *ego exiui à Patre, & à Deo veni in hunc mundum*. Ergo Filius non eſt in Patre.

Concluſio, *Omnes diuinæ Perſonæ ſibi mutuò inexiſtunt quoad omnia prædicata, tàm abſoluta, quàm notionalia, ſeu relatiua, ſeu quoad totum eſſe eſſentiale, & Perſonale.*

Probatur, Primò ex Io. 10. *vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt,*

mini actionum immanentium. Ergo sicut illud est in Patre, ita hic est in Patre, & Filio, tamquàm in sui principio. Item quidquid dicitur, est in Verbo. Sed Pater dicit se in Verbo. Ergo vt res dicta est in Verbo. Item omnis amans est in eo, in quo amat; & ideò dicitur, quòd amans magis sit vbi amat, quàm vbi animat. Sed Pater, & Filius se mutuò amant in Spiritu Sancto. Ergo sunt in illo.

Quòd sibi mutuò inexistant secundùm relationes, probatur à diuo Thom. loc. cit. *quia vnum oppositorum relatiuè est in alio, secundùm intellectum*. Sed Pater, & Filius secundùm relationes sunt oppositi. Ergo sibi mutuò inexistunt.

Sed hæc ratio meritò reijcitur à Durando, & Aureolo. Primò quia oppositum non est in alio, sed ad aliud. Quòd si aliquando penès Porphirium inueniatur, quòd vnum correlatiuum sit in ratione alterius, explicandum est secundùm rationem formalem, hoc est secundùm conceptum, secundùm quem dicuntur esse simul, immò vnum, non autem secundùm realitatem. Deinde, quia hoc non verificatur de inexistentia Patris, ac Filii in Spiritu Sancto, cui non opponuntur, vt formaliter tales. Ergo saltem quoad relationes paternitatis, & filiationis, non essent in Spiritu Sancto, neque hic in illis. Demùm quia licèt hoc simpliciter concedatur, non probatur exinde realis inexistentia mu-

tua

tua Personarum, sed solùm intentionalis, de qua hìc non agimus.

Probatur ergo conclusio, omnes, & singulæ Personæ, non solùm quoad essentiam, sed etiam quoad relationes, sunt sibi inuicem intimè præsentes, secundùm omnes, & singulas differentias spatij, tàm localis, quàm temporanei, propter identitatem cum eadem immensitate, & æternitate, & propter communem entitatem. Ergo sibi mutuò inexistunt, etiam secundùm relationes. Probatur consequentia ideo sibi mutuò inexistunt quoad absoluta, quia hæc identificantur cum eadem essentia omnibus communi. Sed etiam relationes identificantur cum eadem entitate, & ratione illius, cum eadem immensitate, & æternitate. Ergo sibi mutuò inexistunt, etiam secundùm relationes. Quomodo autem inexistant, videbimus infra.

Ad 1. Nego minorem, quia (vt obseruat Durandus in 1. d. 19. q. 3. ad 1.) inesse est proprietas distincti. Eiusdem autem ad seipsum non est distinctio. Et ideo si procedatur in rectum, semper tenet consequentia de inexistentia, numquam tamen, si ad se reflectatur, quia per talem reflexionem tollitur distinctio. Et idem dico de vnione, & similitudine; neque enim ex eo quòd A. sit simile, vel vniatur B. quod est simile, vel vnitur ipsi A. sequitur quòd A. sit simile, vel vniatur sibi. Rationem attulimus in 2. phys. vbi admissa mutua causa-

sa-

salitate, negauimus, ex illa sequi causalitatem sui, quamuis importet causalitatem suæ causæ.

Ad 2. Nego antecedens, cuius probationem distinguo, darentur formaliter, vt constitutiua intrinseca illius, in quo dantur, nego: materialiter, & identicè, per identitatem cum eadem essentia, & entitate, concedo antecedens. Et nego consequentiam. Paternitas ergo est formaliter in Patre, tamquam proprietas personalis, & constitutiua personæ Patris; in Filio verò solùm per identitatem cum essentia: & filiatio est formaliter in filio, & identicè in Patre. Et Amor est formaliter in Spiritu Sancto, & solùm identicè in Patre, & Filio. Ergo per talem mutuam inexistentiam, nulla Persona est formaliter alia, vt patebit.

Ad 3. Distinguo maiorem, nihil potest esse formaliter in sui opposito, concedo: materialiter, & identicè, nego. Et concessa minori, quoad relationes originis, non autem quoad essentiam, nego consequentiam.

Ad 4. Nego maiorem; cùm enim egressus Filij à Patre verificetur per solam generationem passiuam, & processionem ab ipso, tantùm abest, quòd tollat hanc circuminsessionem, vt potiùs illam probet, vt vidimus vsque adhuc.

ARTICVLVS II.

An vna Persona sit formaliter in alia?

VIdetur esse, vt propugnat Hyeron. Fasolus q. 28. ar. 2. dub, 5. n. 135. Primò, quia quidquid est in alio, vel est in illo formaliter, vel vno ex modis assignatis à Phylosopho 4. phys. c. 23. nempè vt pars in toto, vt totum in parte, vt species in genere, vt genus in specie, vt forma in subiecto, vt Rex in regno, vt effectus in causa, vt medium in fine, vt liquor in vase, vt corpus in loco, vt res in tempore. Sed diuinæ Personæ non possunt sibi inexistere vllo ex modis assignatis. Ergo sibi inexistunt formaliter.

2. Vel vna Persona est in alia virtualiter, & eminenter, vt docent Suar. lib. 3. de Trin. c. 10. n. 7. & Arubal. disp. 105. n. 29. vel formaliter. Primùm non potest dici, quia modus essendi in alio virtualis, & eminentialis, est multò nobilior, quàm formalis, vt patet ex eo quòd nobiliori modo creatura contineatur in Deo eminenter, & calor in sole, quàm si continerentur formaliter. Ergo si paternitas sit formaliter in Patre, & eminenter in filio, nobiliori modo esset in filio, quàm in Patre. Absurdum autem est dicere, formam propriam nobiliori modo esse extra proprium.

prium suppositum. Ergo paternitas nullo modo est in filio, vel est in illo formaliter, vt in Patre.

3. Diuina essentia est formaliter quælibet diuina relatio, cùm implicet, illam dari sine relationibus personalibus. Sed essentia est formaliter in omnibus Personis. Ergo omnes relationes personales sunt formaliter in omnibus personis.

4. Relationes diuinæ, ratione sui formaliter, dicunt perfectionem, vt alibi probauimus. Ergo si essent formaliter in vna persona, & non in alia, omnes non haberent formaliter omnem perfectionem, quod tolleret earum diuinitatem.

5. Dicit de se ipso Filius, Io.16. *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* & cap.17. *mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Sed hoc non potuisset asseri, si paternitas, quæ est formaliter in Patre, non sit formaliter in filio; & idem dico de filiatione, quæ non possunt mutuò sibi inexistere, nisi sint formaliter in vtraque Persona. Ergo paternitas est formaliter in Filio, & filiatio in Patre.

6. Ambros. lib.5. de fide c. 8. sub fin. ait, *Omnia habet Filius quæ Pater habet; nam & omnia à Patre iure generationis accepit, & totum Patrem gloria suæ maiestatis expressit.* Non posset autem Filius exprimere omnia, quæ sunt Patris, nisi exprimeret eius paternita-

tem, nec posset illam exprimere, nisi haberet formaliter. Et ideo dicitur quòd exprimat gloria suę maiestatis, hoc est sua diuinitate, quæ non minus est paternitas, quàm filiatio. Ergo illam habet formaliter.

Cònclusio, *Nulla diuina Persona est formaliter, eminenter in alia.*

Probatur prima pars, primò, illa Persona est formaliter Pater, in qua est formaliter paternitas; neque enim aliud intelligimus nomine Patris, nisi essentiam, vt modificatam formaliter paternitate. Ergo si paternitas esset formaliter in Filio, Filius esset formaliter Pater, & econuerso Pater esset Filius. Et idem dico de Spiritu Sancto. Sed hoc induceret confusionem Personarum. Ergo non est dicendum.

2. Cuicumque repugnat effectus formalis alicuius formæ, repugnat etiam ipsa forma; & ideo quia Angelo repugnat esse album, repugnat albedo. Sed Filio repugnat esse Patrem, definiente Florentino in litt. vnionis, *omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Ergo repugnat etiam peternitas, quæ est forma, vnde resultat formaliter esse Patrem, vt docet diuus Thomas in 1.d.33. q.1.ar.1.ad 2. dicens, *paternitas secundùm suam rationem respectus, potest esse in Patre, & non in Filio.*

3. Si Filius accepisset à Patre esse Patrem, haberet paternitatem formaliter, sicut

sicut habet filiationem, ex eo quòd accepit esse Filium. Ergo à commutata ratione, cùm non accepit esse Patrem, non accepit formaliter paternitatem. Probo consequentiam, esse formaliter Patrem, nihil est aliud, quàm esse habentem formaliter paternitatem, sicut esse Deum, est esse habentem formaliter deitatem. Ergo sicut est impossibile, non accipere esse Deum, illum qui accipit formaliter deitatem; ita est impossibile non accipere esse Patrem illum, qui accipit formaliter paternitatem. Sed quod habet formaliter filius, accepit à Patre. Ergo cùm non acceperit formaliter paternitatem, neque illam formaliter habet.

Probatur secunda pars, illud est virtualiter, & eminenter in alio, quod continetur in virtute actiua illius; & ideo dicimus alium mundum contineri eminenter in Deo, quia continetur in eius virtute actiua, ratione cuius potest Deus illum efficere. Sed Pater non continetur in virtute actiua filij; aliter posset ab illo procedere. Ergo non est eminenter in illo.

Dices, essentia est radix, & fundamentum omnium relationum Sed filius habet in se formaliter essentiam. Ergo habet formaliter fundamentum, & radicem omnium relationum, quas proinde continet virtualiter, & eminenter.

Nego postremám consequentiam.

Nam ad hoc vt aliquod contineatur eminenter in alio, non sufficit, quòd detur eius remota radix, seu fundamentũ; aliter in habente materiam contineretur eminenter omnis forma, quod non admittitur à philosophis, sed requiritur virtus actiua, cum excessu perfectionis respectu contenti. Quia ergo neque materia habet virtutem actiuam ad formas, neque essentia ex se ad diuinas relationes, ideo neque formæ continentur eminenter in materia, neque relationes in essentia.

Ad 1. Nego maiorem, quæ cùm non procedat per membra diuidentia, quæ adæquent totum diuisum, non continet diuisionem adæquatam, & ideo est falsa. Dico igitur, Personas sibi inuicem inexistere, non quidem formaliter, neque vllo ex modis assignatis, qui solùm conueniunt rebus creatis, in quibus non inuenitur vnitas essentiæ, cum multiplicitate suppositorum, sed modo infra afferendo.

Ad 2. Nego maiorem; non quia continentia virtualis, & eminentialis sit nobilior, quàm formalis, vt supponit Fasolus, sed propter rationem assignatam. Quòd autem assumptum Fasoli sit falsum, patet ex eo, quia vel loquitur de continentia actiua, qua principium continet terminum, vel de passiua, qua terminus continetur in principio? Si primum, esto huiusmodi continentia sit nobilior, quàm formalis.

Quid

Quid inde? Proindenè si daretur in Deo, per illam Pater Filium non contineret? Hæc autem continentia ad summum faceret quòd Filius esset in Patre, sicut effectus continetur in causa, non autem quòd Pater esset in Filio, quia causa non est in effectu. Ergo non saluaret mutuam inexistentiam. Non ergo est reijcienda quia nobilior, sed quia insufficiens ad intentum. Præterea hæc continentia, quia habetur adæquatè per virtutem actiuam productiuam, necessariò est ad terminum obiectiuum, & non actu existentem, qui cùm sit extra causas, non est in illarum virtute. Ergo non potest in Deo admitti ad intra, in quo nullus est terminus intrinsecus purè obiectiuus, cùm omnia sint actualia. Si verò dicatur secundum, cùm hæc continentia sit producibilitas passiua, vt relata ad suum principium actiuum, saluaret quidem, quòd terminus vt producibilis præcontineretur in principio productiuo, non autem quòd producens sit in producto, vel productus in producente. Ergo etiam hæc esset insufficiens, Et quia plures inuolueret imperfectiones, non posset in Deo admitti. Quòd autem hæc non esset nobilior, quàm formalis, patet ex ipso exemplo ab arguente allato. Quis enim est adeo hebes, vt non videat, multò nobilius extiturum hominem formaliter in Deo, vtpote per totum suum esse actuale, quàm eminenter per solum potentiale?

Non ergo Paternitas, quia formaliter esset in Patre, & eminenter in Filio, nobiliori modo esset in Filio, quàm in Patre, sed potiùs verificaretur oppositum, eò quia esset actualis in Patre, & potentialis in Filio. Ergo hæc ratio est omninò falsa.

Ad 3. Nego maiorem. Cùm enim relationes non sint de conceptu formali essentiæ, à qua virtualiter intrinsecè distinguuntur, vt probauimus disp. 9. ar. 5. essentia non est formaliter relatio, sed solùm materialiter, & identicè; vnde non sequitur quòd cùm essentia sit in omnibus Personis, relatio sit formaliter in illis.

Ad 4. Distinguo consequens, omnes Personæ non haberent formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicē, nego: simplicem, concedo consequentiam, iuxta doctrinam traditam disp. 10. ar. 4. iuxta quam non sequeretur obiecta illatio.

Ad 5. Nego minorem. Et dico, dictum Christi Domini verificari in sensu identico, quatenus omnia quæ sunt in Patre, identificantur cum essentia filij, non autem in sensu formali, quòd hæc sint formaliter in filio.

Ad 6. Nego minorem, cuius probationem retorqueo in arguentem, filius non posset exprimere Patrem per modū imaginis, nisi distingueretur à Patre, aliter esset imago sui. Ergo ideo exprimit omnia, quæ habet Pater, quia hæc

omnia

omnia non sunt formaliter in filio. Quia ergo exprimit diuinitatē, quæ indiuisim est Paternitas, & Filiatio, ideo exprimit paternitatem, quam solùm habet identicè, per identitatem cum eadem diuinitate. Et in hoc sensu est exponendus Ambrosius, qui si locutus esset in sensu formali, dixisset falsum.

ARTICVLVS III.

An mutua Personarum inexistentia habeatur per solam identitatem cum eadem essentia?

Videtur non haberi, Primò quia quod est in alio intellectualiter, & obiectiuè, non est identicè; aliter omne cognitum esset in cognoscente, per identitatem cum ipso, quod est absurdum. Sed omnes diuinæ Personæ sibi mutuò inexistunt obiectiuè, & intellectualiter, quatenus sunt sui mutuò cognoscentes, & cognitæ. Ergo non sunt in alijs identicè, per identitatem cum eadem essentia.

2. Illud, in quo est aliud, debet esse in plus ad id, quod est in illo. Sed nulla Persona est in plus ad aliam, ratione essentiæ, quæ æqualiter ab omnibus participatur. Ergo nulla Persona continet aliam, per identitatem cum eadem essentia.

3. *Esse in alio*, & *in quo aliud*, eodem modo opponuntur, atque *esse ab*

 alio,

alio, & *à quo aliud*. Sed hæc non possunt verificari de eodem secundùm idem. Ergo neque illa. Admisso autem quòd hæc inexistentia habeatur identicè, verificarentur; nam idem Pater esset in filio, & esset id, in quo est filius. Ergo hæc inexistentia non potest haberi per talem identitatem.

4. Pater non minùs est idem cum sua essentia, quàm cum essentia filij. Ergo si ratione identitatis cum essentia filij, est in filio, ratione identitatis cum sua essentia, esset in se ipso. Consequens est absurdum, vt patet ex 4. phys. Ergo Pater non est in filio, ratione identitatis cum eius essentia.

5. Non potest haberi plurium inexistentia per id, quod tollit eorum pluralitatem. Sed identitas cum essentia tollit distinctionem Personarum, quæ per illam sunt omninò idem realiter. Ergo per identitatem cum eadem essentia, nõ potest haberi mutua Personarum inexistentia.

Conclusio, *Mutua Personarum inexistentia, habetur per identitatem relationum cum eadem communi essentia.*

Probatur primò à priori, Illud est in alio per veram, & realem inexistentiam, cuius natura est in illo. Sed omnes diuinę Personæ per hoc præcisè quòd identificentur cum eadem essentia, ita suppositaliter differunt inter se, vt habeant totam suam esşentiam, & naturam in alijs

Per-

Personis. Ergo omnes diuinæ Personæ, per hoc præcisè quòd identificentur cum eadem essentia, sunt in omnibus alijs Personis. Consequentia est euidens. Minor est de fide. Maior probatnr, nihil est magis proprium alicuius, quàm sua quidditas essentialis, seu natura quidditatiua. Ergo vbicumque est eius natura, ibi necessariò est illud; aliter posset dari quidditas Petri sine Petro, quod repugnat in terminis. Hoc autem multò magis valet in diuinis, in quibus essentia, ratione suæ infinitatis, & summæ simplicitatis, identificat sibi quidquid est in illa. Ergo identitas relationum cum eadem essentia, non solùm est ratio Personis inde resultantibus, existendi, seu essendi per se, sed etiam inestendi, seu alijs inexistendi.

2. De fide est, diuinas Personas sibi mutuò inexistere, vt dictum est in 1. ar. Non possunt autem inexistere formaliter, vel eminenter, vt dictum est in 2. ar. Neque purè intellectualiter, vt videbimus in solutione primi. Ergo superest, quòd inexistant sibi identicè, modo explicato, vt optimè docuit diuus Thomas hìc q. 42. ar. 5, dicens, *Pater est sua essentia, & communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Vnde sequitur quòd cum essentia Patris sit in Filio, quòd in Filio sit Pater. Et similiter cùm Filius sit sua essentia, sequitur quòd sit in Patre, in quo est eius essentia.* Rationem desumit

ex Hylario, qui lib. 5. de Trin. ait, *naturam suam sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cùm in Deo Deus insit.*

Dices cum Caietano hìc. Ex doctrina diui Thomæ non probatur Personarum inexistentia, ex identitate cum eadem natura, sed ex vnitate illius. Ergo falsa conclusio.

Nego antecedens. Et dico, doctrinam diui Thomæ procedere ex vtroque capite, nempe ex identitate relationum cum vnitate eiusdem naturæ. Sicut enim non inferretur quòd Pater sit in Filio, ex eo quòd in filio sit essentia Patris, nisi hæc esset vna, & eadem in vtroque; ita neque inferretur, nisi hæc esset realiter idem cum paternitate, & filiatione. Et ideo ponit prò antecedenti huius consequentiæ, quòd tàm Pater, quàm Filius sint sua essentia, quòd non verificatur per vnitatem, sed per identitatem, vt docuit Suarez lib. 4. de Trin. c. 16. n. 11. Nisi enim essentia adæquatè, & simplicissimè identificaret sibi omnia, quæ sũt formaliter in Personis, ex eo quòd essentia vnius sit in alia, non sequeretur, quòd ipsa Persona sit in alia.

Vrgebis, ratio formalis inexistendi, est ratio intimæ præsentiæ, quam vna Persona habet cum alijs. Sed hæc habetur per immensitatem. Ergo non habetur per identitatem cum essentia.

Nego consequentiam, quæ non bene se-

sequitur ex præmissis. Dico igitur, intimam Personarum præsentiam haberi formaliter per immensitatem, secum identificatam in eadem communi essentia. Ergo in tali ratione formali inuoluitur identitas concomitanter, tamquàm ratio transcendens per omnes diuinas perfectiones, quæ non præstarent in Personis suos effectus formales, nisi essent cum illis identificatæ; eo modo quo rationalitas non redderet hominem rationalem, nisi esset cum illo identificata, & nisi esset eius rationalitas. Ergo radix fundamentalis inexistentiæ, est sola identitas cum essentia, sibi identificante omnia, & singula, quæ sunt in Personis.

Ad 1. Nego minorem; aliter omnes Personæ inenisterent sibi. Et ratio est, quia omne cognitum intelligibiliter est in cognoscente. Sed omnis diuina Persona cognoscit quamlibet diuinam Personam, non per aliquam similitudinem, sed per seipsam formaliter. Ergo quælibet diuina Persona est intelligibiliter in alia. Et cùm se cognoscant reflexè, vt cognitæ à se ipsis per cognitionem comprehensiuam, intelligibiliter sunt in se ipsis. Præterea etiam creaturæ vt à Deo cognitæ, sunt in Deo intelligibiliter, & tamen neque Personæ sibi inexistunt, neque Deo creaturæ. Ergo nomine inexistentiæ non intelligimus intellectualem, & obiectiuam,

sed

sed entitatiuam, & realem, quæ non habetur per cognitionem.

Ad 2. Distinguo maiorem, debet esse in plus secundum rationem, concedo: secundùm realitatem, nego. Et sub eadem distinctione admissa minori, nego consequentiam. Et dico, non esse absurdum, quòd idem diuersimodè cōparatum respectu eiusdem, accipiat varias denominationes, quæ secundùm nostrum modum intelligendi, habeant rationem excedentis, & excessi, sub aliquo conceptu formali. Nam A. & B. possunt ita disponi, vt A. habeat rationem prioris respectu B. & possunt ita disponi, vt habeat rationem posterioris secundùm locum, numerum, &c. absq; vlla variatione intrinseca vtriusque. Ita quando concipitur Pater vt *in quo*, concipitur sub aliquo respectu rationis, sub quo apparet in plus respectu filij; & hic respectu Patris, cum concipitur vt in quo est Pater.

Ad 3. Nego maiorem. Disparitas est, quia *quod in alio*, & *in quo aliud*, non dicunt necessariam connexionem, in ratione producentis, & producti, sicut dicunt, *à quo alius*, *qui ab alio*. Et ideo possunt illa verificari de eodem respectu eiusdem, non autem hæc. Et ideo communiter negatur, quòd causa possit esse effectus sui effectus, non autem quòd possit esse in suo effectu, quidquid nos asseruerimus in 2. phys. de mutua causalitate.

Ad


Ad 4. Nego consequentiam, quia ad realem inexistentiam requiritur non solùm conuenientia secundùm essentiam, sed etiam disconuenientia secundùm proprietates personales, quę cùm detur inter vnam personam, & aliam, non autem ad seipsam, ideo potest vna alteri inexistere, & non sibi, vt dictum est in 1. ar.

Ad 5. Nego minorem. Cùm enim essentia identificetur realiter cum Personis, non autem virtualiter intrinsecè, ideo tollit quidem realem distinctionem sui à Personis, non autem Personarum inter se. Ergo quia in se est vna simplicissima, admittens pluralitatem suppositorum, ideo potest fundare inexistentiam talium suppositorum, vnius in alio. Dixi *suppositorum*; quia esse in alio per circuminsessionrm verè, & propriè non dicitur de essentia, sed de relationibus, & suppositis, seu Personis, ratione essentiæ omnibus communis. Neque obstat, quod Personæ sint ad aliud, quia *esse ad* non excludit *esse in*, quidquid dicant Aureolus, Durandus, & Capreolus. Ergo eadem Persona Patris est ad Filium, & in filio, & econuerso.


Dices, id per quod vna Persona distinguitur ab alia, non potest esse ratio, vt sit in illa. Sed relatio est id, per quod distinguuntur. Ergo per illam non possunt sibi inexistere. Ergo sibi solùm in-

inexistunt, secundùm absoluta, in quibus conueniunt.

Nego antecedens. Cùm enim ad circuminsessionem requiratur vera, & realis alietas, cum vera, & reali coniunctione per modum vnitatis, seu identitatis, tantum abest quòd per relationem distinguentem tollatur circuminsessio, vt potiùs per illam, saltem inadæquatè, constituatur. Et ideo cum dicitur *paternitas est in filio*, debet addi *identicè*, vt videlicèt per paternitatem denotetur distinctio à filio, & per identitatem vnitas vtriusque. Ex quibus sequitur, circuminsessionem esse conceptum relatiuum, dicentem solam relationem rationis.



DI-



DISPVTATIO XXVI.

De Missione Personarum.





NOmine missionis propriè intelligimus motum, vel exitum alicuius ab alio, à quo accipit authoritatem, vel potestatem ad aliquid agendum, vel dicendum; & ideo conuenit legato, famulo, sagittæ. Sed quia hæc importat multas imperfectiones, videlicèt motū, adeòque localem separationem, & acceptionem auctoritatis, vel virtutis diminutæ, vel saltem non eiusdem, ideo non potest in Deum transferri, nisi demptis imperfectionibus, quatenùs videlicèt significat exitum vnius Personæ ab alia, absque motu, & locali separatione, cum acceptione eiusdem virtutis. Hoc posito, quæremus 1. An missio sit in diuinis? 2. An sit idem atque processio, & datio? 3. An sit æterna, vel temporalis? 4. An conueniat omnibus Personis? 5. An quælibet persona possit seipsam mittere?

AR-

inexistunt, secundùm absoluta, in quibus conueniunt.

Nego antecedens. Cùm enim ad circuminsessionem requiratur vera, & realis alietas, cum vera, & reali coniunctione per modum vnitatis, seu identitatis, tantum abest quòd per relationem distinguentem tollatur circuminsessio, vt potiùs per illam, saltem inadæquatè, constituatur. Et ideo cum dicitur *paternitas est in filio*, debet addi *identicè*, vt videlicèt per paternitatem denotetur distinctio à filio, & per identitatem vnitas vtriusque. Ex quibus sequitur, circuminsessionem esse conceptum relatiuum, dicentem solam relationem rationis.





DISPVTATIO XXVI.

De Missione Personarum.



Omine missionis propriè intelligimus motum, vel exitum alicuius ab alio, à quo accipit authoritatem, vel potestatem ad aliquid agendum, vel dicendum; & ideo conuenit legato, famulo, sagittæ. Sed quia hæc importat multas imperfectiones, videlicèt motũ, adeòque localem separationem, & acceptionem auctoritatis, vel virtutis diminutæ, vel saltem non eiusdem, ideo non potest in Deum transferri, nisi demptis imperfectionibus, quatenùs videlicèt significat exitum vnius Personæ ab alia, absque motu, & locali separatione, cum acceptione eiusdem virtutis. Hoc posito, quæremus 1. An missio sit in diuinis? 2. An sit idem atque processio, & datio? 3. An sit æterna, vel temporalis? 4. An conueniat omnibus Personis? 5. An quælibet persona possit seipsam mittere?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An verè missio sit in diuinis?

VIdetur non esse. Primò quia *missio importat minorationem in eo, qui mittitur, secundùm quòd importat processionem à principio mittente, aut secundùm imperium, aut secundùm consilium, quia imperans est maior, & consilians est sapientior*, vt docet diuus Tho: hìc q.43. ar.1. ad 1. Sed nulla diuina Persona est minor alia, vt probauimus disp.23. per totam, in qua statuimus earum æqualitatem. Ergo nulla diuina Persona mittitur ab alia.

2. Vel missio habetur per loci separationem, vel per originem? Sed neutro modo potest in Deum cadere. Ergo in diuinis non est missio. Probatur minor, diuinę Personę sunt essentialiter vbique. Ergo non possunt mitti per loci separationem. Præterea *missio secundùm rationem nominis non dicit exitum ab aliquo, sicut à principio, à quo missio esse habeat, sed solùm in ordine ad effectum missionis, ponitur authoritas alicuius ad missum*, vt docet diuus Thomas in 1.d. 15.q.1.ar.2. Ergo neque potest Deo conuenire per originem.

Conclusio, *In diuinis datur vera missio, per quam vna Persona mittitur ab alia*. Est de fide, & communis penès theologos.

Pro-

Probatur. 1. multiplici authoritate
crorum codicum. Nam dicitur Mat-
.10. *Qui me recipit, recipit eum, qui*
e misit. Et Io.3. *Sic Deus dilexit*
undum, vt Filium suum vnigenitum
aret. Et infra, *non enim misit Deus Fi-*
um suum in mundum, vt iudicet mun-
um. Et eiusd.14. *sermonem quem au-*
istis, non est meus, sed eius qui misit me
atris. Et infra, *Spiritus Sanctus, quem*
ittet Pater in nomine meo. Et 15. *Cùm*
utem venerit Paracletus, quem ego mit-
am vobis à Patre. Et eiusdem 16. *Si*
utem abiero, mittam eum ad vos, lo-
uens de Spiritu Sancto. Et infra, *exiui*
Patre, & veni in mundum. Et ad Ga-
it.4. *Cùm venerit plenitudo temporis,*
isit Deus Filium suum.

2. Verè in diuinis datur exitus, seu
rocessio vnius Personæ ab alia, non per
nodum imperij, seu consilij, sed secun-
ùm originem, cùm habitudine, non
olùm ad aliam Personam, à qua proce-
it, sed etiam ad nouum modum existen-
i in creatura. Sed hæc est vera missio,
emptis imperfectionibus. Ergo missio
atur in diuinis. Minor patet ex defini-
ione, quam tradidit Augustinus lib.2.
le Trin. c.5. sub in. *à Patre exire, &*
venire in mundum, hoc est mitti. Et
deo communiter definitur, missio est
gressio, seu processio ab aliquo, cum
leterminatione ad aliquem effectum, vel
ocum de nouo. Maior probatur, Filius
abet respectum procedentis à Patre,

cum

cum habitudine ad nouum modum essendi in carne assumpta; & Spiritus Sanctus habet respectum procedentis à Patre, & Filio, cum habitudine ad nouum modum essendi in sanctificatione hominum.

3. Illa Persona, quæ accipit virtutem, & auctoritatem ab alia, cum determinatione ad aliquid faciendum, verè mittitur ab illa, vt patet ex definitione nuper allata. Et ideo dicimus, radium à Sole, fructum à planta, & legatum à Rege mitti. Sed Filius accipit virtutem, & auctoritatem à Patre ad incarnationem, & Spiritus S. à Patre, & Filio, ad infusionem donorum. Ergo ille mittitur à Patre, & hic à Patre, & Filio.

Neque obstat, quòd Hyeron. super Ezechielem dixerit, *quod coniunctum est, & in corpore vno copulatum, mitti non potest*. Nam Sanctus loquitur de missione locali, per quam missum acquirat nouum locum simpliciter, quod non valet de missionè diuina, per quam Filius e.g. non acquirit nouum locum, cùm ratione immensitatis necessariò sit vbiq; sed solùm nouum modum essendi in loco, vide licèt per carnem assumptam.

Multò minùs obstat æqualitas Personarum; nam missus non dicit minoritatem, nisi mittatur per imperium à maiore, vel per consilium à sapientiore, quod non cadit in diuinas missiones.

Vnde patet solutio primi. Neque obstat authoritas allata; siquidem diuus Tho-

Thomas admisit minoritatem in misso per imperium, vel consilium. Et ideo subdidit, *sed in diuinis non importat, nisi processionem originis, quæ est secundum æqualitatem*.

Ad 2. Dico, missionem diuinam haberi per originem. Ad authoritatem, dico, diuum Thomam ibi locutum esse de nomine missionis, secundùm id, ad quod significandum est impositum, non autem secundùm id quòd nunc significa penès theologos, illud transferentes at diuina. Cùm enim Deo non possit cond uenire, nisi demptis imperfectionibus, ideo ablata authoritate imperij, & consilij, sola remanet processio, cum additione alicuius effectus ad extra, vt ipsemet se exponit hìc ar. 2. ad 3. dicens, *missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scilicèt temporalem effectum*, vt videbimus infra.

ARTICVLVS II.

An missio sit idem, atque processio, & datio?

Videtur esse. 1. quia vnam Personam mitti ab alia, nihil est aliud, nisi quòd vna Persona accipiat ab alia virtutem, ad aliquid operandum, vt dictum est. Sed acceptio virtutis in diuinis nihil est aliud, quàm processio. Ergo missio in diuinis non est nisi processio.

2. Ideo Spiritus Sanctus dicitur procedere

dere à Patre, & Filio, vt datus, & non vt natus, quia procedit vt mittendus ad creaturas, ad quas deinde per Christum missus est. Ergo eius missio est idem, atque datio.

Conclusio, *Missio non est idem, atque processio, seu datio.* Elicitur ex diuo Tho: hic q.43.ar.2. & Dur. in 1.d.15.q.1.

Probatur. Quibus conuenit diuersa habitudo, conuenit distinctio. Sed missioni conuenit diuersa habitudo, quàm conueniat processioni, & dationi. Ergo conuenit distinctio, per quam vna non est alia. Consequentia patet. Maior probatur, respectiua distinguuntur per habitudines. Sed missio, processio, & datio sunt respectiuæ. Ergo distinguuntur per habitudines. Quòd autem dicant diuersas habitudines, vt asseritur in minori, probatur; nam processio vel accipitur vt appropriata Spiritui Sancto, & est spiratio passiua; vel vt appropriatur Filio, & est generatio passiua; vel vt appropriatur soli Patri, & est generatio actiua; vel Patri, & Filio, & est spiratio actiua. Sed sub quacumque appropriatione dicit diuersam habitudinem; nam vt sunt generatio, & spiratio actiuæ, dicunt solam habitudinem ad terminos intrinsecos, vt sunt Verbum, & Amor; vt generatio passiua dicit habitudinem ad Patrem, tamquam principium, & ad Amorem, tamquam terminum naturæ fœcundæ, quam Filius accipit à Patre; & quatenus spiratio passiua, dicit solam habi-

bitudinem ad Patrem, & Filium, vt sunt vnum principium spiratiuum. Ergo sub nulla appropriatione dicit habitudinem ad terminum extrinsecum. Missio autem, & datio dicunt habitudinem ad terminum extrinsecum. Ergo distinguuntur à processione. Præterea missio dicit necessariam habitudinem ad principium actiuum, quam non dicit datio, eò quia vna persona possit se dare, non tamen mittere. Ergo missio, non solùm distinguitur à processione, sed etiam à datione.

Ad 1. Nego consequentiam, quæ non bene sequitur ex illis præmissis; siquidem medium variatur in minori, in qua deest ***ad aliquid operandum***, quod ponitur in maiori. Quia ergo acceptio virtutis ad operandum, non est sola processio, sed processio cum habitudine ad effectum operandum, ideo missio non est idem, atque processio, licèt illam includat, vt constitutiuum inadæquatum.

Ad 2. Nego primò antecedens. Quamuis enim Spiritus Sanctus procedat vt datus, non tamen ex hoc habet quòd non sit natus, sed ex eo quòd ex vi processionis, non accipiat naturam fœcundam, vt probauimus disp. 20. ar. 5. Quia ergo datio conuenit etiam Filio, ideo non possunt distingui secundùm illam. Quia tamen collatio donorum, & gratiæ tribuitur Spiritui Sancto, qui datur in sanctificationem animarum, ideo per quamdam appropriationem, dicitur procedere vt da-

datus. Deinde nego consequentiam. Quidquid enim sit de eius processione, quia eius missio dicit habitudinem ad Patrem, & Filium, quam non dicit datio (vt dictum est) saltem necessariò, ideo semper remanent cum sua distinctione, nec conuertuntur.

ARTICVLVS III.

An missio diuinæ personæ sit temporalis?

Videtur non esse, primò quia omnis missio diuinæ personæ habetur per processionem, quam essentialiter includit. Sed processio est æterna. Ergo etiam missio.

2. Si missio esset temporalis, Persona missa temporaliter mutaretur, per nouum modum existendi in creatura. Sed hoc est absurdum, quia poneret mutationem in Deo. Ergo missio non est temporalis, sed æterna.

Conclusio, *Omnis missio est temporalis, & non æterna*. Est diui Thomæ 1.p. q.43.ar.2. & communis,& est de fide.

Probatur 1. authoritatibus adductis in primo ar. in quibus missio dicitur temporaliter, & non æternaliter, per verba *mittam, cum venerit, &c.* Sed quod est æternum, non exprimitur temporaliter. Ergo missio non est æterna, sed temporalis.

2. Per hoc distinguitur missio à genera-

ratione, & spiratione, quòd hæ sint ad terminũ æternum, illa autem ad temporalem. Sed missio, quoad durationem, specificatur à termino. Ergo cùm hic sit temporalis, etiam illa est temporalis, & non æterna, saltem exercitè, cùm sit impossibile, dari missionem æternam ad terminum temporalem. Quamuis ergo missio dicat habitudinem æternam personæ missæ ad principium, non tamen est æterna, quia includit etiam aliam habitudinem temporalem ad terminum temporalem. Et ideo diuus Thomas loc.cit. ait, *processio autem, & exitus dicuntur in diuinis æternaliter, & temporaliter; nam Filius ab æterno processit vt sit Deus, temporaliter autem vt etiam sit homo*; non per geminationem principij, seu habitudinis ad principium, sed per geminationem termini, æterni, & temporalis.

Ad 1. Distinguo maiorem, missio habetur adæquatè per processionem, nego: inadæquatè, concedo maiorem. Et admissa minori, nego consequentiam. Sicut enim Christus non fuit ab æterno, licèt includat Verbum æternum, ita licèt missio includat processionem æternam, quia tamen includit etiam nouam existẽtiam in creatura, non est æterna, sed temporalis. Fuit ergo ab æterno missio in actu signato, seu (vt loquitur diuus Tho: ar.2.ad 1.) quoad potentiam, seu posse, non verò quoad actum exercitum; eo modo, quo ab æterno fuit volitio mun-

di, non tamen fuit mundus. Sicut ergo Deus determinatur in actu secundo ad volendum actu, per terminationem aliquam intrinsecam ad mundum, ita determinatur Pater ad mittendum Filium, per terminationem aliquam intrinsecam ad eius incarnationem.

Ad 2. Primò nego maiorem. Hoc enim non dicit mutationem in persona missa, sed in ipso termino temporali; eo modo quo Deus de nouo dicitur dominus creaturæ, per nouitatem ipsius creaturæ, quæ essentialiter est illi subiecta. Quia ergo in missione diuinæ personæ, ipsa creatura transit de non esse simpliciter ad esse simpliciter, vt fuit humanitas assumpta, vel de non esse secundùm quid, ad esse secundùm quid, vt cum anima sanctificatur; ideo missio dicitur temporalis, per mutationem termini, & non personæ missæ. Deinde distinguo maiorem, mutaretur persona missa formaliter, & intrinsecè, nego: extrinsecè, & denominatiuè, denominatione sumpta à forma extrinseca, concedo maiorem. Et distincta eadem modo minori, quòd videlicèt nullum sit absurdum admittere in Deo mutationem extrinsecam, nego consequentiam.



AR-

ARTICVLVS IV.

An missio conueniat omnibus Personis?

VIdetur non conuenire. Primò quia missio nõ est aliquid essentiale, sed notionale. Sed notionalia non conueniũt omnibus personis. Ergo neque missio.

2. Si missio conueniret omnibus personis, conueniret etiam ipsi personæ missæ. Sed hoc fuit negatum, tamquam absurdum. Ergo non conuenit omnibus.

3. Diuus Thomas hic q.43.ar.4. docet, quòd missio importat processionem ab alio. Sed Pater non est ab alio. Ergo illi non conuenit mitti. Idem dico de Filio, respectu Spiritus Sancti. Ergo missio actiuè sumpta non conuenit Filio respectu Patris, nec Spiritui Sancto respectu Patris, & Filij; & passiuè sumpta non conuenit simpliciter Patri, nec Filio respectu Spiritus Sancti.

Conclusio, *Missio passiua non potest conuenire, nisi Personæ procedenti ab alia; actiua verò principaliter, & auctoritatiuè cõuenit solùm personæ producenti; consequenter autem, & determinatiuè cõuenit omnibus personis, etiam missis.*

Probatur prima pars, quia mitti est accipere virtutem, & potestatem ab alio, ad aliquem effectum, vt dictum est. Sed nulla Persona diuina accipit virtutem, & potestatem ab alia, nisi per originem. Ergo quæ à nulla procedit, non potest mitti. Cùm ergo Pater habeat à se au-

ctoritatẽ vniuersalis principij, non potest mitti, vt docet hic diuus Thomas ar. 4.

Probatur secunda, mittere principaliter, & auctoritatiuè est conferre potestatem. Sed hoc non conuenit, nisi producenti. Ergo taliter mittere non conuenit, nisi producenti.

Probatur tertia, Pater dat Filio potestatem se incarnandi, non tamen Filius incarnatur, nisi de consensu, & voluntate totius Trinitatis, adeòque Spiritus Sancti, & etiam ipsius Filij. Sed quicumque consentit, & ponit aliquam determinationem ad opus, ad quod fit missio, ille concurrit ad missionem actiuè, non quidem principaliter, & auctoritatiuè, sed consequenter, & determinatiuè. Ergo tàm Filius, quàm Spiritus Sanctus hoc modo concurrunt actiuè ad missionem Filij. Quatenus ergo mittens dicit habitudinem, non quidem ad missum, sed ad effectum, seu opus, ad quod ordinatur missio, tota Trinitas dicitur mittere, siue Filium, siue Spiritum Sanctum, vt docet optimè Augustinus 2. de Trin. c. 5. super illud Apostoli, *misit Deus Filium suum*, dicens, *proinde mitti à Patre, sine Spiritu Sancto non potuit, quia Pater intelligitur misisse eum, cum fecit ex fœmina, quod vtique non fecit sine Spiritu Sancto*, eò quia ad hoc cooperatus est etiam suo libero consensu Spiritus Sanctus.

Probatur quarta, determinatio ad missionem, per quam persona missa determi-

minatur vt eat, & compareat vbi, & quãdo mittitur, quatenus est libera electio missionis, est communis toti Trinitati, eò quia terminationes liberæ diuinæ, vt virtualiter intrinsecè distinctæ ab essentia, procedunt ab omnibus Personis simul, quæ omnes habent indiuisim eamdem libertatem, & dominium. Sicut ergo Senatus mittit vnum ex Senatoribus consentientem, ita tota Trinitas mittit vnam ex Personis consentientem, non quidem quoad collationem potestatis, quod conuenit soli producenti, sed quoad electionem missionis ad tale opus. Quia tamen hoc opus aliquando patet sensibus, & aliquando non, ideo missio aliquando est visibilis, vt incarnatio, & aliquando inuisibilis, vt infusio gratiæ.

Ad 1. Dico, missionem dicere aliquod absolutum, & aliquod respectiuum, vt diximus de potentia generandi. Nam quatenus dicit respectum originis procedentis ad producentem, est aliquid notionale; quatenùs verò dicit respectum causæ ad effectum temporalem, est aliquid absolutum, & essentiale toti conueniens Trinitati. Dicit ergo in recto determinationem omnipotentiæ ad creaturam, & in obliquo ordinem ad personam, ex qua illa quæ mittitur, accipit omnipotentiam, ad talem effectum faciendum in creatura. Quare mittere in diuinis nihil est aliud, quàm causare extra se aliquem effectum, mediante

Persona à se producta: & mitti est causare talem effectum in creatura, per virtutem receptam à mittente.

Ad 2. Distinguo maiorem, conueniret etiam personæ missæ principaliter, & auctoritatiuè, nego: consequenter, & determinatiuè, concedo. Et distinguo minorem, fuit negatum in primo sensu, concedo: in secundo, nego minorem, & in eodem sensu etiam consequentiam.

Vnde patet responsio ad 3. Et dico, diuum Thomam locutum fuisse de missione in primo sensu, scilicèt vt relata ad personam missam, non autem in secundo, scilicèt vt relata ad terminum extrinsecum, seu finem vltimatum missionis, ad quem concurrit tota Trinitas. Quòd autem ita sit exponendus diuus Thomas, patet ex eo quod asserit hìc ar. 8. dicens, *si mittens designatur vt principium personæ quæ mittitur, non quælibet persona mittit, sed solùm illa, cui conuenit esse principium illius personæ. Si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundùm quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam*. Et hoc modo soluuntur infinita loca scripturarum, & Patrum, quæ videntur inuoluere contradictionem.

DIS-



DISPVTATIO XXVII.

De Diuina Essentia.



Qvamuis in toto hoc tractatu plura sparsim dixerimus de essentia Dei, tamen quia plura spectantia ad hanc materiam, de industria distulimus in hunc locum, ideo de illis singillatim agemus. Quæremus ergo 1. An essentia generet, & spiret? 2. An generetur, & spiretur? 3. An sit terminus formalis generationis, & spirationis? Et demum an circumscriptis Personis, creet, & possit ex se dici rerum creatrix?

ARTICVLVS PRIMVS.

An essentia diuina generet, & spiret?

Videtur quòd sic, vt apertè docuit Ioachim. Primò quia ita se habet essentia ad Personam, sicut Persona ad

essentiam. Sed attributa essentiæ conueniunt Personæ, vt creare. Ergo actus Personæ possunt attribui essentiæ, vt sunt generare, & spirare.

2. Generare, & non generare sunt formaliter contradictoria. Ergo si essentia non generet, & persona generet, de essentia, & persona verificantur contradictoria. Sed oppositio, quæ resultat ex contradictione, est maior illa, quæ resultat ex relatione. Ergo si ex hac sequitur distinctio realis, multò magis sequitur ex illa. Atque adeo vel essentia generat, vel realiter distinguitur à Persona. Sed hoc est absurdum. Ergo est verum primum.

3. Augustinus 7. de Trin. cap. 2. post med. ait, *Pater & Filius vna sapientia, quia vna essentia, & singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia*. Sed non potest essentia esse ab essentia, nisi generet, & spiret. Ergo generat, & spirat.

4. Verè dicitur quòd Deus generet Deum. Sed Deus, & essentia sunt vnum & idem. Ergo etiam verè dicitur, quòd essentia generet essentiam. Probatur consequentia, terminus potest supponere prò toto eo, quod de illo prædicatur. Sed de Patre prædicatur essentia, quia Pater est essentia. Ergo Pater potest supponere pro essentia. Sed verè dicitur, Pater generat, supponendo pro supposito. Ergo etiam verè dicitur;

Pa-

Pater generat, suppenendo pro essentia.

5. August. lib. 3. con. Maximinum c. 12 sub fin. ait, *itaque omnipotentem genuit Filium Patris natura, non fecit.* Ergo natura, seu essentia genuit.

Conclusio, *Essentia Dei neque generat, neque spirat.* Est de fide; & ideo assertio opposita, non solùm est erronea, vt vocatur à Bellarminio, sed damnata, & hæretica, vt vocatur ab Augustino.

Probatur 1. In Concil. Later. sub Innoc. 3. c. *damnamus* ita definitur contra Ioachim, *essentia, siue natura diuina non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit.* Et tandem concluditur, *si quis sententiam, siue doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur.* Cui definitioni adhærens Albertus 1. p. sum. q. 30. memb. 3. ar. 1. ait, *hæc est catholica fides, quòd natura diuina nec generans, nec genita est, nec spirans, nec spirata.*

2. Si essentia generaret, vel generaret essentiam, vel suppositum, vel relationem. Sed nihil ex his dici potest. Ergo non generat. Probatur minor, omne generans distinguitur à genito. Ergo si generaret essentiam, vel generaret se ipsam, inducendo in se realem distinctionem, vel aliam, geminando

S 5 dei-

deitatem, quæ sunt absurda. Neque posset dici quòd generaret suppositum, vel relationem, quia poneret realem distinctionem inter se, & illa, quod tolleret eorum diuinitatem. Ergo nihil potest generare; & idem valet de spirare.

3. Cùm essentia sit omnibus communis, si esset formaliter generans, seu spirans, communicaret omnibus Personis rationem generantis, vel spirantis. Sed omnis generans est Pater in diuinis, sicut omnis spirans est vel Pater, vel Filius. Ergo omnes Personæ vel essent Pater, vel Pater, seu Filius, adeòque vel darentur tres Patres, & duo princiqia spiratiua, vel vna tantùm Persona, propter indistinctionem à Patre, vel adsummum duæ, propter indistinctionem à Patre, & Filio. Præterea ipsa essentia esset Pater. Ergo daretur Pater Patris, qui proinde non esset ingenitus, quæ sunt maxima absurda.

Ad 1. Nego maiorem. Disparitas est, quia Persona in sua ratione formali includit essentiam; adeòque illi conueniunt omnes actus essentiales, qui nullo modo repugnant proprietati personali, vt sunt communicabilitas, indistinctio, aseitas, &c. Essentia verò in sua ratione formali non includit personam; & ideò illi vt formaliter tali non conueniunt actus personales.

Ad 2. Distinguo minorem subsumptam, oppositio, quæ resultat ex contra-

di-

dictione phyſica, ſiue obiectiua, eſt maior, quàm reſultans ex relatione, concedo: oppoſitio quæ reſultat ex contradictione formali, & logica, nego minorem; & ſub eadem diſtinctione etiam conſequentiam. Diſparitas eſt, quia prima dicit ens, & non ens, inter quæ nulla poteſt eſſe obiectiua conuenientia; at ſecunda quia dicit ſolùm propoſitiones formales affirmantes, & negantes idem, ideo ad illas verificandas, ſufficit in obiecto realiter vno, multiplicitas virtualis, vt probauimus alibi.

Ad 3. Nego minorem. Et dico, Auguſtini verba, licèt ſonent grammaticaliter formam abſtractam eſſentiæ, & ſapientiæ, tamen eſſe concreta theologicè, & facere ſenſum, filius, qui eſt eſſentia, & ſapientia, eſt de Patre, qui eſt eſſentia, & ſapientia, ita vt abſtracta exponantur per concreta, vt docet hìc diuus Thom. q.39. ar.5. ad 1. Aliter ſi exponantur per abſtracta, tale dictum eſſet ſimpliciter falſum, & meritò deberet inter retractata connumerari. Quod autem hæc ſit expoſitio legitima, probatur à Magiſtro in 1.d.5.lit.F. per alium locum Auguſtini ex lib. 7. de Trin. c.1. vbi ait, *Pater ipſe ſapientia eſt, & dicitur filius ſapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris; ideſt ſicut lumen de lumine, & vterque vnum lumen, ſic intelligitur ſapientia de ſapientia, & vterque vna ſapientia, & vna eſſentia.*

Ad 4. Diſtinguo minorem, Deus, & eſ-

essentia sunt idem realiter, concedo: sunt idem formaliter, nego minorem, & consequentiam; nam quamuis illæ duæ propositiones videantur idem significare secundùm rem, non tamen significant eodem modo. Ergo potest vna esse vera, & alia falsa, vt sunt hæ, *homo generat*, *humanitas generat*, quarum prima est vera, & secunda falsa. Ad probationem dico, suppositionem habere locum, quando retinetur semper eadem prædicandi ratio, non autem quando illa variatur. Cùm ergo in illa propositione *Pater generat*, essentia importetur in concreto, si etiam importaretur in concreto in illa alia, *essentia generat*, verum quoque diceretur. Quia tamen facit transitum ex concreto ad abstractum, ideo est falsa, ex diuersa terminorum acceptione. Sicut ergo in hac propositione, *homo intelligit*, ly *homo* non potest supponere prò humanitate in abstracto, quia licèt humanitas possit prædicari de homine, qui verè intelligit, non tamen potest prædicari in abstracto, sed in concreto; ita terminus *Pater* non potest supponere pro essentia, nisi eadem ratione, qua potest de illa prædicari, videlicèt accipiendo essentiam in concreto, & non in abstracto. Vnde sequitur, quòd neque essentia possit supponere pro Patre, neque Pater pro essentia, si ille accipiatur in concreto, & hæc in abstracto; non quia in re non sint vnum, & idem, sed quia

hi

hi termini diuersimodè accipiuntur.

Ad 5. Dico primò, hìc naturam ab Augustino accipi in concreto, & ideo dicitur, *natura Patris genuit*, ideſt natura vt eſt in Patre. Deinde dico, hìc ly *genuit* appellare principium *quo*, non *quod*, vt patet ex eo, quòd ſibi ſæpè dicat, *Pater genuit*, quòd non eſset verum, ſi eius natura in abſtracto generaret. Noſtra autem concluſio procedit de principio *quod*. Ergo hinc nullatenus impugnatur.

ARTICVLVS II.

An essentia diuina generetur, & ſpiretur?

VIdetur quòd ſic, Primò quia Pater eſt principium totius deitatis, vt dictum eſt diſp. 18. ar. 1. Non poteſt autem eſſe principium, niſi generando, & ſpirando. Ergo non poteſt eſſe principium deitatis, adeòque eſſentiæ, niſi hæc generetur, & ſpiretur.

2. Aug. lib. de fide, & ſymbolo c. 3. ait, *Deus cum Verbum genuit, id quod ipſe eſt genuit, nec de nihilo, nec de aliquo iam facto, conditaque materia, ſed de te ipſo id, quod ipſe eſt*. Sed ipſe eſt ſua eſſentia. Ergo genuit eſſentiam.

3. Hylar. lib. 4. de Trin. ſub in. ait, *nihil niſi natum habet filius*. Ergo cùm in filio ſit eſsentia, illa eſt genita, quia nata.

nata. Et lib.5.ait, *natiuitas Dei non potest eam, ex qua prouecta est, non tenere naturam.* Ergo filius natus est ex natura Patris. Et lib. 9. post med. *Ex eo eiusdem generis genitam naturam, naturaliter in se gignentem habuisse naturam, quæ in forma naturæ se gignentis manens, formam naturæ, & infirmitatis corporalis accepit.* Ergo natura genuit, & genita est, & assumpsit naturam humanam. Et infra, *natiuitas vnigenita in natura vnigenita subsistit.* Ergo natura est nata, quia vnigenita.

Conclusio, *Diuina essentia neque generatur, neque spiratur.* Est de fide, vt patet ex cap. *damnamus* de sum. Trinit. quod retulimus in 1.ar.

Probatur, si essentia generaretur, & spiraretur, esset ab alio. Ergo vel esset à se ipsa, vel ab alia essentia, vel à supposito? Non primum, quia cùm ordo originis dicat distinctionem (vt probatum est disp.13.ar.3.) essentia vt genita, distingueretur à se ipsa vt generante, quod est impossibile. Non secundum, quia daretur duplex essentia, adeòque duplex deitas, quod in 3. phys. vidimus repugnare. Neque tertium, quia vel generaretur ab vno tantùm ex diuinis suppositis, vel ab omnibus simul? Non primum, quia tali supposito e.g. Patri opponeretur in via originis; & sic ab illo realiter distingueretur; adeòque Pater non includeret formaliter essentiam diuinam, & consequenter non esset

Deus

Deus, nec posset illam filio communicare, quæ sunt absurda. Neque secundum, quia distingueretur realiter ab omnibus Personis, adeòque nulla Persona esset Deus, quod est peius absurdum. Præterea essentia esset formalis terminus generationis. Ergo esset per se subsistens; atque adeo esset suppositum relatiuum ad omnes Personas; vnde sequeretur duplex absurdum, alterum quòd esset quarta Persona; & alterum quòd daretur duplex filius, quæ vidimus repugnare. Et idem dico si spiraretur, quia daretur duplex Spiritus Sanctus. Ergo neque gignitur, nec spiratur.

Ad 1. Dico, Patrem esse principium deitatis, non quia illam generet, seu spiret, sed quia illam generando, & spirando communicat. Deinde ly *deitas* (vt docet hic diuus Thomas ar. 5. ad 6.) *inquantum est vna in pluribus suppositis, habet quamdam conuenientiam cum forma nominis collectiui. Vnde cum dicitur, Pater est principium totius deitatis, potest sumi prò vniuersitate Personarum*, quatenus videlicèt ipse est principium omnium personarum, excludendo se ipsum, sicut Rex per hoc quòd dicatur rector totius populi, non est rector sui. Verùm de hoc fusiùs infra.

Ad 2. Resp. cum Mag. in 1. dist. 5. lit. D. verba Augustini esse ita intelligenda, Pater genuit Filium, qui est illud, quod Pater est, denotando per ly *illud* essentiam

tiam, & non personam, aliòquin diceretur, genuit illum, qui est Pater. Quare falsa est consequentia; nam ly *genuit*, non cadit supra essentiam, sed supra suppositum, quod habet idem esse diuinum cum Patre.

Ad 3. Resp. Mag. ibid. lit. H. Hylarium quoad primum dictum esse exponendum, filius nihil habet, nisi quod nascendo accepit, ita vt ly *natum* non appellet acceptum, sed modum acceptionis. Quoad secundum, est ita exponendus, filius qui habet essentiam Patris, genitus est. Quod idem valet de Patre, qui per eam generauit, & de filio, qui per illam assumpsit humanitatem. Et per hoc explicatur etiam tertium. In hoc autem dicitur natura vnigenita, non ex generatione ipsius naturæ, sed termini, qui illam accipiendo per natiuitatem, est vnigenitus; vel quia est vna, sicut est vna natiuitas sui termini, cùm sæpè vnigenitus accipiatur prò vnico.

ARTICVLVS III.

An essentia generetur vt est in Filio?

QVidam Petrus Ioannes, relatus ab Argentina in 1.d.5.q.1. ar. 2. respondet affirmatiuè, dicens, quòd cùm Filius non sit aliud, quàm essentia, potest dici quòd hæc, vt est in filio, genere-

re-

retur, sicut generat pròut est in Patre, propter eamdem rationem, quamuis vt est communis tribus personis, neque generet, nec generetur: & vt est in Patre, & Filio, spirat, & spiratur vt est in Spiritu Sancto. Vnde infert, Trinitatem esse essentiam triplicatam, ita tamen, vt essentia non distinguatur realiter ab essentia, sed personaliter, hoc est quòd essentia quatenus est in vna persona, distinguitur ab essentia quatenus est in alia. Fundamenta huius opinionis, seu potiùs erroris, sunt hæc.

1. Riccardus lib. 6. de Trin. sub in. ait, *nihil est aliud Patris Persona, quàm substantia ingenita, & nihil est aliud filij Persona, quàm substantia genita.* Et infra, *in diuina natura vnius substantia est ingenita, & alterius genita; non tamen consequens est, vt sit alia, & alia substantia, sed alia, & alia persona.* Ergo &c.

2. August. lib. de fide, & symbolo c. 3. ait, *Deus Pater quod est ipse genuit.* Et ad Maximum, *Pater ita genuit de se alterum se, vt totus maneret in se.* Et 7. de Trin. c. 2. *Hoc est Deo esse, quod sapere; vnde Pater, & Filius simul sunt vna sapientia, quia vna essentia, & singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.* Et in lib. de fide ad Petrum c. 2. *Sic Christum Dei, filium, Idest vnam ex Trinitate personarum Deum verum crede, vt diuinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites.*

tes. Et 15. de Trin. c. 2. filius dicitur, *consilium de consilio, voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia*. Et hæc similia repetit in multis alijs locis, quæ refert Magister in 1. d. 5. per totam. Ergo, &c.

3. Filius verè dicitur sapientia genita. Ergo essentia genita, quia sapientia est prædicatum essentiale.

4. Ex duobus realiter identificatis, non potest vnum generari, & non aliud. Sed essentia, & Filius sunt realiter idē. Ergo vel generatur essentia, vel filius non generatur.

Conclusio, *Neque essentia generatur vt est in filio, neque spiratur vt est in Spiritu Sancto*.

Probatur, ly *prout est*, in filio, vel Spiritu Sancto, vel reduplicat ipsam essentiam, in talibns suppositis, tamquàm formam in subiecto; vel modum essendi in supposito; vel ipsum suppositum? Si primum, ergo per talem reduplicationem non reduplicatur, nisi essentia. Ergo sub tali reduplicatione non potest affirmari de illa, nisi quod illi per se conuenit. Atque adeo quia illi non conuenit per se generari, seu spirari, vt dictum est, neque hoc illi conuenit sub tali reduplicatione. Si secundum, cùm natura non sit in supposito, nisi per modum subsistentis, non reduplicaret, nisi subsistentiam, quæ cùm in Deo non sit, nisi triplex relatiua, vt statutum est disp.

15.

16.ar.2. generari, & spirari non conuenirent essentiæ, sed subsistentijs relatiuis, Filij, & Spiritus Sancti, quod non promoueret intentum arguentis. Si tertium, ergo generari conueniret supposito filij, & spirari supposito Spiritus Sancti, & non essentiæ, quæ est in illis. Ergo neque per talem reduplicationem essentia generatur in Filio, & spiratur in Spiritu Sancto.

Ad 1. Communiter respondetur, in hoc Riccardum errasse, mereri tamen excusationem, quia scripsit hæc ante definitionem Ecclesiæ. Ego tamen puto, eius verba posse ad bonum sensum reduci, si accipiantur in sensu reali, quòd videlicèt in diuina persona nihil sit, quod non sit substantia. Cum autem ait, Patrem esse substantiam ingenitam, & filium genitam, locutus est de vltimo constitutiuo formali vtriusque, quod diximus esse relationes paternitatis in patre, & filiationis in filio, quæ cùm in Deo sint realiter substantia, bene possunt dici aliquo modo substantia genita, & ingenita, supponendo prò talibus relationibus, quamuis hic modus loquendi absolutè non sit receptus. Quòd autem ita sit intelligendus, patet per allegata. Nam in fine ait, *non tamen consequens est, quòd sit alia, & alia substantia*, accipiendo substantiam prò essentia, *sed alia, & alia persona*, accipiendo substantiam prò relatione, seu supposito. Quarè penès ipsum nomen

sub-

substantia æquiuocè, & indiscriminatim ponitur, modò prò essentia, & modò prò relatione, seu subsistentia, vt olim penès Græcos accipiebatur nomen hypostasis.

Ad 2. Dico, primum locum Augustini esse exponendum cum Magist. in 1. d. 5. lit. D. Patrem genuisse quod ipse est, per identitatem eiusdem naturæ, & per omnimodam similitudinem. Sicut enim amicus dicitur alter ego, propter identitatem affectiuam; ita filius potest dici alter Pater, non quidem per identitatem suppositi, sed naturæ, per quam sunt omninò simillimi quoad absoluta, & essentialia. Videantur quæ diximus ar. 2. in respons. 2. Vnde patet responsio ad 2. locum. Ad 3. respondimus ar. 1. ad 3. Ad 4. patet responsio ex dictis ar. 2. ad 3. sicut etiam patet ad vltimum eius locum.

Ad 3. Nego consequentiam. Et dico, aliquando admitti sapientiam genitam, quatenus ly *sapientia*, supponit prò filio, cui per appropriationem tribuitur sapientia, non autem quatenus supponit prò perfectione absoluta sapientiæ.

Ad 4. Nego maiorem, admissa distinctione virtuali intrinseca. Sicut enim potest communicari essentia, & non paternitas; ita potest gigni filius, & non eius essentia.

AR-

ARTICVLVS IV.

An saltem essentia generetur per accidens?

VIdetur quòd sic, vt opinantur Henricus, & Ruiz, qui licèt negent cum communi, diuinam essentiam per se generari, dicunt tamen, illam generari per accidens, sicut materia generatur in toto substantiali. Fundamenta sunt, Primò quia essentia secundum modum essendi, quo est in filio, non est in Patre. Ergo consequitur ad esse filij; atque adeo cum illo generatur.

2. Filius per nostrum modum concipiendi, est quasi compositus ex natura, seu essentia vt materia, & relatione vt forma. Sed filius per se generatur. Ergo essentia, & relatio, vt quasi partes illum componentes, generantur per accidens, saltem secundùm esse, quòd habent in toto, secundùm quod sunt ipso posteriores, vt dicitur 7. met. t. 27. vbi dicitur, quòd totum per se, partes verò per accidens generantur.

3. Essentiam habet rationem subiecti in generatione filij, per quam accipit in se eius formam, cum qua filium quasi componit. Sed subiectum generationis generatur per accidens. Ergo & essentia.

4. Cuicumque potentiæ actiuæ correspondet potentia passiua. Ergo cùm

Pa-

Pater habeat potentiam actiuam generandi, debet filius habere potentiam passiuam, qua generetur. Sed hæc est essentia, quæ habet rationem potentiæ passiuæ, adeòque materiæ in generatione filij, qui proinde dicitur non esse ex nihilo per creationem, sed ex substantia Patris per generationem, quia substantia, seu essentia est sub vtroque termino, atque adeo habet rationem materiæ.

Conclusio, *Non potest dici, quòd essentia generetur per accidens, quomodocumque hec explicetur*.

Probatur 1. Si esset genita per accidens, non haberet esse per se, sed per illud, quod per se generatur, nempe suppositum. Consequens est falsum, cùm potiùs diuinum suppositum habeat esse per essentiam. Ergo & antecedens. Probatur maior, natura quæ acquirit esse in supposito, non est suum esse, vt est materia prima. Ergo non habet esse per se. Essentia autem diuina inuoluit in sua ratione formali, per se necesse esse. Ergo non acquirit esse in supposito, nec per accidens cum illo generatur, neque in illo,

2. Quod generatur per accidens, acquirit nouum esse, per corruptionem prioris. Sed essentiæ diuinæ nullum potest competere nouum esse, neque potest amittere vllum esse, quia non est per esse à se formaliter distinctum, vt

vt creata. Ergo neque potest generari per accidens.

3. Ideo materia prima dicitur generari per accidens, quia non habet esse, nisi in toto, quod per se generatur. Sed essentia diuina non habet esse in solo filio, qui per se generatur, sed etiam in Patre, qui non generatur. Ergo vt est in filio, non generatur per accidens.

4. Quidquid generatur per accidens, debet esse aliquod perfectibile, per coniunctionem cum alio, per quam resultet totum, per quod generatur. Sed essentia diuina nullo modo est perfectibilis, quia per se habet actu omnem perfectionem, & ideo est actus purissimus, includens in sua ratione formali intrinseca, infinitam actualitatem. Ergo non potest per accidens generari.

5. Quidquid per accidens generatur, debet realiter distingui à generante. Sed essentia diuina non potest realiter distingui à Patre generante. Ergo neque potest ab illo vllatenus generari. Probatur maior, omne genitum opponitur relatiuè generanti, in via originis. Sed talis oppositio dicit distinctionem realem; aliòquin non posset in diuinis probari realis distinctio Patris à filio. Ergo quod per accidens generatur, debet realiter distingui à generante.

Demum, cui non conuenit generari quoad substantiam, non potest conuenire generari quoad modum. Sed essentiæ diuinæ non conuenit generari quoad sub-

substantiam, vt dictum est ar. 2. Ergo neque quoad modum, cuiusmodi sunt ly *per se, & per accidens*, quatenus applicantur generationi.

Ad 1. Nego antecedens; neque enim essentia diuersimodè est in filio, atque in Patre, sed eadem prorsus ratione, alioquin faceret diuersum Deum. Præterquamquòd quamuis concedatur antecedens, vt conceditur hìc ab Argentina, tamen negatur consequentia, quia essentia non est in filio per generationem, sed per communicationem, quæ cùm fiat filio constituto ex essentia, non potest hæc consequi ad eius esse.

Ad 2. Nego maiorem. Nam diuina Persona eodem modo est simplex, sicut essentia. Deinde nego consequentiam, quia cùm essentia sit immutabilis, sicut nullum potest acquirere esse de nouo, ita neque potest amittere vllum esse. Cum ergo dicitur quòd sit quasi materia in filio, debet intelligi demptis imperfectionibus, adeòque dempta perfectibilitate, per quam mutetur intrinsecè, acquirendo nouum esse, quod est necessarium ad hoc vt aliquid per accidens generetur, vt pars in alio.

Ad 3. Nego maiorem. Quamuis enim essentia concipiatur per modum subiecti, respecta filiationis, non tamen potest concipi vt subiectum generationis, quia neque recipit esse, nec actuatur per illam, sicut esset necessarium ad hoc.

Ad

Ad 4. Distinguo antecedens, potentiæ actiuæ operationum transeuntium debet correspondere potentia passiua, concedo: operationum immanentium, nego. Et ratio est, quia cùm hæ sint ad terminū intrinsecum operantis, nō præsupponunt, nisi ipsum operans, prioritate aliqua rationis. Sed operans vt operãs, non est potentia passiua. Ergo non præsupponūt potentiā passiuā. Neq; obstat, quòd filius non creetur ex nihilo, sed generetur ex essentia, tamquàm ex subiecto. Nam hoc admisso, corruit argumētum; siquidem quod generatur ex aliquo, illud præsupponit. Ergo si filius generatur ex essentia, illam præsupponit. Quod autem præsupponitur existens, non generatur. Ergo per hoc ipsum, essentia, non generatur.

Neque obstat quod etiam materia præsupponatur ad totum, cū quo generatur; nam hæc est pura potentia actuabilis per formam totius, cuiusmodi non est essentia, quæ est purus actus.

Dices, intelligere est quoddam pati. Ergo etiam actus immanens supponit potentiam passiuam in agente.

Distinguo antecedens, intelligere per actum distinctum, & accidentalem, concedo: per indistinctum, & substantialem, nego. Cùm ergo Deus intelligat per suum esse, non patitur intelligēdo; adeoq; remanet in statu potentiæ purè actiuæ. Et ideo falsa est consequentia.

ARTICVLVS V.

An essentia sit terminus formalis generationis diuinæ?

VIdetur esse, vt acriter propugnat Argentinas in 1.d.5.ar.3. cum diuo Tho.in 1.d.5.q.3.ar.vnico, Capreolo, Scoto, & Fasolo q.41. ar.6. n.3. Primò quia illud habet rationem termini formalis in generatione, in quo sistit finalis intentio generantis, & per quod assimilatur genito. Sed hoc non potest esse relatio filiationis, per quam potiùs Filius Patri dissimilatur. Ergo est sola essentia, per quam Pater Filio assimilatur.

2. Sicut alteratio terminatur ad qualitatem, & augmentatio ad quantitatem, ita generatio terminatur ad substantiam, vt dicitur in 3.phys. c.4. & nos diximus in 1. de gener. disp.2. ar.1. Sed in Filio non est alia substantia, nisi essentia. Ergo eius generatio terminatur ad eius essentiam.

3. Si essentia non esset terminus generationis Filij, Filius ex vi generationis non esset Deus, eò quia essentia nullo modo respiceret eius generationem; neque enim illam respiceret vt principium *quod*, quia essentia non generat; neque vt principium *quo*, quia vt tale, est in solo Patre, quem constituit proximè potentem generare. Ergo si illam non respi-

spiceret vt terminus formalis, nullo modo respiceret. Sed hoc est absurdum, & contra scripturas, & Patres. Ergo essentia est formalis terminus generationis.

4. In Filio non est, nisi relatio, & essentia. Sed relatio non potest esse terminus generationis, ex Phylos.5.phys. Ergo essentia est formalis terminus eius generationis.

Conclusio, *Diuina essentia nullo modo potest esse terminus formalis generationis Verbi*. Ita Aureol. in 1. d. 5. q.vn. ar.2. Arim.q.2.ar.2. Gabriel q.3. artic.2. OKam q.3. Durandus in 1.d.7.q.2. n.19.

Probatur 1. Terminus formalis cuiuscumque productionis, debet esse formaliter per illam productus. Sed essentia diuina non potest esse producta, quia quod semper, & necessariò actu est, non potest produci, ex 1.phys.t.71. Ergo essentia diuina non potest esse formalis terminus generationis, seu productionis. Minor est de fide, & fuit probata vsque adhùc. Maior probatur 1.per Simplicium in prædicam. hoc interest inter relationem, & productionem, quòd huius terminus per ipsam ponatur, illius verò minimè. Deinde, formalis terminus est id, quo actum agitur, sicut formale principium actionis est, quo agens agit. Ergo ipse agitur, iuxta illud *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

2. Nihil magis opponitur, adeòque magis distinguitur à generante, quàm

terminus generationis. Sed essentia non opponitur, neque distinguitur à Patre generante. Ergo neque est terminus eius generationis.

3. Non potest idem inuariatum habere rationem principij, & termini, respectu eiusdem. Sed esentia habet rationem principij *quo* respectu generationis. Ergo non potest habere rationem termini, respectu illius.

4. Omne producens habet realem respectum ad terminum suæ productionem. Sed Pater non habet realem respectum ad esentiam, vt est in filio, aliter ab illa realiter distingueretur. Ergo non respicit illam vt terminum formalem suæ prodnctionis.

5. Nullum præexistens terminat productionem; & ideo materia non est terminus generationis corruptibilium. Sed essentia, saltem ratione, præexistit ad generationem Filij. Ergo illam non terminat, sicut anima non terminat resurrectionem.

Ad 1. Nego minorem, si accipiatur prò relatione in concreto. Et ratio est, quia sicut in productionibus rerum corruptibilium, intentio generantis sistit in toto, quod habet rationem vltimi termini, & cui intendit assimilari, ita in diuinis, producentis intentio sistit vltimò in persona producta; cuius assimilationem intendit, per communicationem eiusdem naturæ. Præterquam quod in creatis quia verè essentia produ-

ducitur, propter distinctionem realem vnius ab, alia potest etiam intendi à generante, tamquam terminus generationis, saltem partialis. At in diuinis quia in producente, & producto est eadem numero essentia, omninò improducibilis, ideo hæc nullo modo potest habere rationem termini ad producentem.

Ad 2. Nego minorem; nam relatio diuina non est accidens, sed substantia, quia transit per realem identitatem, in diuinam essentiam, & solùm retinet ab illa distinctionem virtualem intrinsecam, ratione cuius potest realiter distingui in tertio à suo principio productiuo, & potest dici alia substantia ab essentia, non quidem realiter, sed formaliter.

Ad 3. Nego sequelam. Ad cuius probationem dico, quòd sicut materia respicit generationem physicam, vt constitutiuum intrinsecum totius, quod generatur; ita diuina essentia respicit generationem Filij, vt principium constitutiuum intrinsecum ipsius Filij, qui generatur, licèt ipsa non generetur.

Ad 4. Distinguo minorem, relatio in abstracto non potest esse terminus generationis, concedo: relatio in concreto, nego minorem. Ad authoritatem Phylosophi dico, illam procedere de relationibus creatis, quæ sunt accidentia respectu relatorum, non autem de diuinis, quæ sunt substantiæ. Quare terminus formalis generationis Verbi

est ipsum Verbum, hoc est Persona, seu hypostasis, seu relatio filiationis in concreto, vt dictum est disp. 12. ar. 7. & nullo modo est essentia in abstracto.

ARTICVLVS VI.

An diuina essentia, circumscriptis Personis, creet, & possit dici creatrix?

Videtur quòd sic, vt propugnãt Aegid. D. Thomas, Argentinas, & alij, quibus & nos adhæsimus, iuuentute Florente. Primò quia Deitas est ratio, cur diuinæ Personæ creent. Ergo ipsa deitas, seu essentia est creatrix. Consequentia patet ex vi illius principii, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Antecedens est in terminis Egidij penes Argentinam in 1. d. 11. q. 1. ar. 3. dicentis, *prout ipsa Persona creant, hoc eis competit per vnam deitatem, in qua vniuntur, quia & ipsa deitas creat*. Et paulò infra, *& ideo non dicuntur plures creatores, propter vnitatem vnius creatricis essentiæ, quæ & ipsa creat*.

2. Diuina essentia, in ordine ad operationes ad extra, non solùm est principium *quo*, vt est in personis, sed etiam est principium *quod*, vt est in se ipsa, vt docet Argentinas in 1. d. 5. ar. 1. sub finem §. *sed ille*, dicens, *in productionibus autem ad extra essentia diuina non solùm est tribus personis principium producti-*

ductiuum quo, *sed secundum se, & per seipsam est principium producens* quod, *quia in tali productione nihil impedit, quin essentia possit producere, cùm ipsa sit realiter distincta ab huiusmodi producto*. Sed principium creatiuum *quod*, per se ipsum potest creare. Ergo essentia per se ipsam, etiam circumscriptis personis, creat, seu est creatrix.

3. Verè dicitur, *Deus creat*. Sed Deus vt creans supponit pro essentia, vt docet diuus Thomas hìc q.39.ar.4. in corp. dicens, *quandoque hoc nomen Deus supponit pro essentia, vt cùm dicitur Deus creat, quia hoc prædicatum competit subiecto, ratione formæ significatæ, quæ est deitas*. Ergo verè essentia creat, seu est forma creatrix.

4. Omnis essentia, quæ per se habet esse, per se potest agere. Sed essentia diuina per se habet esse. Ergo per se potest agere. Consequentia est euidens. Maior patet, quia si natura ignis per se haberet esse, posset per se efficere *vt quod* actus essentiales, quos efficit *vt quo* in supposito. Nam in tali casu natura ignis, extra suppositum esset operatiua caloris, cùm adhuc retineret suum esse formale intrinsecum calefactiuum. Sed extra suppositum non posset agere *vt quo*. Ergo ageret *vt quod*. Probatur minor, diuina essentia natura suæ aseitatis, non habet esse per suppositum, seu ex supposito, sed potiùs supposita habent esse ex ipsa per emanationem. Si-

quidem si acciperet esse ex eo quòd est in suppositis, multiplicaretur ad numerum suppositorum, quia cùm hæc sint inter se distincta, singula darent illi distinctum esse, quod est erroneum. Ergo per se & à se habet esse; & quamuis sit in suppositis, non accipit esse ab illis.

5. Cuicumque conuenit substantiuum verbale, conuenit etiam importatum per tale nomen. Sed omnes doctores dicunt (vt asserit Argentinas loc. cit.) essentiam Dei esse creatricem. Ergo conuenit illi actus creationis.

6. Actiones sunt singularium, & non suppositorum, vt docent non solùm Argentinas, quem impugnauimus disp. 6. ar. 1. ad 2. sed etiam Caietanus 1. p. q. 39. ar. 4. §. *ad 2. dub.* dicens nec est verũ, *quod actiones sunt suppositorũ vniuersaliter, sed singularium subsistentium*, (cui adhæret Bannes eod. ar. ad 4.) Valentia disp. 2. q. 13. p. 3. §. *vnde ad argumen.* dicens, *respondeo, actiones esse suppositorum, vel eius quod non sit minùs completum, & perfectum, quàm suppositum. Quare cùm tale sit essentia diuina, nihil obstat, quominùs in illa propositione Deus creat, teominus Deus supponatur pro illa*: & Zumel hic disp. 1. concl. 2. & 4. nec videntur dissentire Fasolus q. 39. ar. 4. dub. 1. & Scotus in 1. d. 4. q. 2. sub med. Sed essentia ex se est singularis. Ergo creatrix.

Conclusio, *Diuina essentia ex se, circumscriptis personis, non creat, nec potest creatrix nuncupari.*

Pro-

Probatur 1. Creatio est actio libera, essentialiter ordinata ad terminum contingentem. Ergo non potest præintelligi in vllo signo priori rationis ad relationes personales, quæ sunt simpliciter naturales, & necessariæ, ad constitutionem Dei, in esse agens liberum omnium contingentium, extra Deum, & à Deo factibilium; aliter effectus præintelligeretur vt prior sua causa, quod repugnat. Sed si essentia ex se, præcisis personalitatibus, esset creatrix, creatio præintelligeretur ad relationes personales, sicut præintelligitur ipsa essentia. Ergo essentia ex se non est creatrix, sed solùm vt est in suppositis personalibus; adeòque *vt quo*, & non *vt quod*.

2. Si essentia eset per se creatrix, esset per se subsistens, & suppositum, cùm actiones sint suppositorum, vt dicitur in 1. met. & 2. ethic, & nos probauimus disp. 6. ar. 1. Sed hoc est absurdum, quia cùm ex se sit omninò absoluta, daretur suppositum absolutum, quod vt erroneum reiecimus in disp. met. lib. 2. disp. 3. ar. 1. & fusiùs hìc disp. 14. ar. 1. Ergo essentia ex se non est creatrix *vt quod*, sed solùm *vt quo*.

3. Operari sequitur ad esse completum principij operatiui. Sed principium operatiuum non habet esse completum, nisi sit in se subsistens, cum sola subsistentia det vltimum esse substantiale, per quod substantia sistit in se. Ergo nulla substantia potest operari, nisi sit subsi-

ſtens. Sed diuina eſſentia, præciſis Perſonis, non eſt ſubſiſtens, aliter haberet ſubſiſtentiam abſolutam, quam fusè reiecimus diſp. 15. ar. 3. Ergo non eſt operatiua.

4. Vel eſſentia eſſet principium *quod* creationis, diſtinctum à Perſonis, vel non? Si primum, ergo quattuor principia *quod*, adeòque daretur quarta perſona abſoluta, præter relatiuas, quod eſt erroneum. Si ſecundum, ergo eſſentia ex ſe non eſt principium *quod* creationis, ſed facit vnum cum Perſonis, in quibus operatur. Sed eſſentia, ſeu natura operans in ſuppoſito, non eſt principium *quod* operationis, quæ non tribuitur illi, ſed ſuppoſito. Ergo eſt ſolum principium *quo*; atque adeo præciſis perſonis, non creat. Probatur conſequentia, quia principium *quo* ſe habet ad principium *quod* vt potentia, ſeu virtus operandi. Sed hæc non poteſt operari ex ſe. Ergo neque eſſentia.

Ad 1. Nego conſequentiam, retorquendo argumentum, eſſentia eſt ratio formalis, per quam Perſonæ creant. Ergo ipſa ſe habet *vt quo* ad creationē, ſicut virtus ſpiratiua ad ſpirationem. Ad cuius probationem dico, illud principium non habere locum, niſi in genere cauſæ formalis, quod non eſt ad rem; aliter ſpecies viſibiles viderent *vt quod*, quia ſunt ratio cur videatur obiectum; & habitus charitatis amaret Deum *vt quod*, quia eſt ratio, vt ametur ab anima, quæ

ſunt

sunt absurda. Ad authoritatem Egidij dico, non esse mirum quòd dicat, essentiam per se creare, cùm in illa admittat subsisteotiam absolutam, præter relatiuas, vt videre est penès ipsum in 1.d.23. q.2.litt.L. vbi refert Boetium dicentem, *Deus est substantia, quia subsistit nullo indigens*, quod dictum approbans littera M. subdit, *dicitur subsistere Deus, prout subsistere idem est, quod per se existere, & quòd ad sui esse non indiget alijs. Et quia subsistentia dicitur à subsistere, prout idem est quod per se stare, & nullo indigere, Deus subsistentia dici debet*. His enim positis, sic arguo, subsistentia est, id, per quod res per se existit, & ad sui esse non indiget alijs. Sed essentia, præcisis personis, per se existit, & non indiget aliis ad sui esse, eò quia personæ non sint ad indigentiam essentiæ, vt probatum est in disp.met. lib.1. disp.1. ar.5. Ergo essentia, præcisis personis, habet propriam subsistentiam absolutam, per Egidium. Et idem dico de Argentina, qui in 1.d.26.q.vn.ar.4.ad 9.ait, *essentia diuina subsistit per se, non tamen separatim personaliter à tribus personis, sed vno esse simplicissimo subsistit in tribus personis*: & de diuo Thoma, & omnibus Thomistis.

Vnde patet responsio ad 2. & 3.

Ad 4. Distinguo maiorem, essentia, quæ per se habet esse subsistens, per se potest agere, concedo: quæ per se habet esse non subsistens, per se potest agere, nego


nego maiorem. Et admisso quòd essentia per se habeat esse, sed non subsistens, nego consequentiam. Ad instantiam de igne dico, quòd si natura ignis esset extra suppositum, quia non haberet esse vltimatè completum, non posset calefacere, propter rationem adductam in tertio argumento. Ad rationem oppositam retorqueo argumentum, natura ignis retineret esse calefactiuum, quod habebat in supposito. Sed in supposito non habebat, nisi esse calefactiuum radicale *vt quo*. Ergo hoc tantùm retineret. Sed principium radicale *vt quo* non potest per se agere. Ergo hæc natura non posset per se calefacere. Ad probationem minoris, distinguo antecedens, essentia non habet esse existens per suppositum, concedo; non habet esse subsistens, nego antecedens. Et distinguo consequens, ex se, & per se habet esse entitatiuum, & existens, concedo: habet esse subsistens, necessarium ad agendum, nego consequentiam. Quatenus ergo est in suppositis, dat illis esse essentiale, & existentiale, & per illa habet esse subsistens, & proximè operatiuum *vt quod*.

Ad 5. Dico, eodem modo conuenire essentiæ actum creationis, sicut Doctores illi attribuunt absque errore esse creatricem. Sed non attribuitur illi esse creatricè *vt quod*, sed solùm *vt quo*. Ergo etiam conuenit illi actus creationis, vt principio *quo*, & non vt principio *quod*.

quod. Et si ab aliquo illi attribuatur utroque modo, quia hæc attributio procedit per erroneam suppositionem subsistentiæ absolutæ, ideo hinc non promouetur intentum arguentis.

Ad 6. Nego maiorem, propter rationes adductas disp 6.ar.1. vbi ex professo impugnauimus Argentinatem, qui se fecit coriphæum huius erroris.





DISPVTATIO XXVIII.

De termino Deus.



QVia sæpe ex praua acceptione huius termini *Deus*, plures parum versati in theologicis, prolapsi sunt in errores, ideo cursim multiplicem eius acceptionem inuestigabimus, vt acceptiones erroneas à catholicis secernamus. Quæremus ergo 1. An supponat prò essentia, vel prò Personis? 2. An supponens prò essentia supponat prò illa vt subsistente? 3. An verè Deus generet Deum? Et demum varias propositiones examinabimus.



AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An hic terminus Deus *aliquando supponat pro essentia, & aliquando prò suppositis?*

VIdetur modò supponere prò essentia, & modò prò suppositis. Primò quia diuus Thomas hic quæst. 39. ar. 4. in corp. ait, *quandoque hoc nomen Deus supponit prò essentia, vt cum dicitur Deus creat, quia hoc prædicatum competit subiecto ratione formæ significatæ, quæ est deitas; quandoque verò supponit personam, vel vnam tantùm, vt cum dicitur Deus generat; vel duas, vt cum dicitur Deus spirat; vel tres, vt cum dicitur Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo. Timot.* 1.

2. Nisi haberet hanc diuersam suppositionem, non possent saluari multæ propositiones de fide, vt cum dicitur, Deus est vnus, est communicabilis tribus Personis, quæ debent verificari de essentia: & Deus est trinus, generat, spirat, &c. quæ debent verificari de personis. Ergo hic terminus *Deus*, nullam ex se habet suppositionem determinatam, sed solùm indeterminatam prò alterutro.

3. Nomina concreta essentialia per se loquendo, non habent significare, nisi tale completum substantiale, & in se perfectum. Cùm ergo in Deo non minùs sit

sit perfecta,& completa essentia,quæ habet sibi identificare tria supposita,quàm hæc supposita, quæ habent importare illam intrinsecè, potest hoc nomen concretum *Deus* modò supponere pro essentia, & modò pro supposito, seu persona.

4. Iu proprietatibus locutionum, non tantùm attendenda est res significata, sed etiam modus significandi, vt docet Aquinas loc. cit. Cùm ergo hoc nomen *Deus* significet penès theologos diuinam essentiam, vt in habente ipsam, sicut nomen *homo* significat humanitatem in supposito; ideo cùm habens deitatem sit idem cum deitate, potest aliquando accipi pro ipsa deitate, & aliquando pro supposito illam habente. Idem proportionaliter dicitur de termino *homo*, qui nunc accipitur pro natura humana, vt cùm dicitur, homo est sub eodem genere proximo cum equo; neque enim suppositum hominis habet esse sub animali; & nunc pro supposito, vt cùm dicitur, homo intelligit; neque enim humanitas, seu natura humana ex se intelligit.

5. Diuina essentia (vt arguit Caietanus loc. cit.) uon emendicat à suppositis subsistentiam, vt cæteræ naturæ, immò confert eam, illis subsistens in se per subsistentiam absolutam. Ergo conuenit illi subsistere in se, & in suppositis. Cùm ergo naturale sit cuicumque termino concreto supponere pro habente formam per illum significatam, sequitur pos-

posse etiam hunc terminum supponere pro hoc Deo, quatenus est aliquid omninò absolutum in se subsistens. Sed quia hoc singulare est aliquid commune tribus suppositis, in quibus etiam subsistit, ideo potest etiam supponere pro talibus suppositis indistinctè. Et quia hoc singulare ita est in talibus suppositis, vt identificetur cum illis, ideo potest supponere pro singulis.

6. Vsus obtinuit, vt hic terminus *Deus* (eò quia eius abstractum sit idem cum concreto, quod non euenit in alijs) modò accipiatur pro essentia vt cùm dicitur, Deus est Trinitas, seu est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, cōtra Porretanum negantem identitatem essentiæ cum suppositis; tunc enim non potest accipi, nisi prò esentia: modò accipiatur prò vno, vel pluribus personis, vt dictum est. Sed vsus accipiendi terminos est veluti inductio significationis, quæ habetur per institutionem, & vsum; & ideo nomen hypostasis, quod fuit impositum ad significandam vel naturam, vel subsistentiam indeterminatè, habuit ex vsu, vt significet determinatè subsistentiam. Ergo Deus significat indeterminatè, vel natoram, vel supposita, vel vtrumque simul.

Conclusio, *Hic terminus Deus secuncundùm modum significandi semper supponit pro suppositis, nec potest supponere pro natura, nisi ex adiunctis.*

Probatur 1. Deus semper supponit pro

prò habente deitatem, vt docet Aureolus in 1. d.4. q.1. ar.3. Ergo semper prò persona. Consequentia patet, quia sola persona est habens deitatem. Antecedens probatur ex doctrina ipsius Aquinatis, qui hic q.39. ar.4. ait, *Deus significat diuinam essentiam vt in habente ipsam, sicut homo significat humanitatem in supposito*. Ergo sicut homo est idem, atque habens humanitatem, ita Deus est idem atque habens deitatem. Sed essentia ex se non est habens deitatem. Ergo hoc nomen non supponit prò essentia, sed prò supposito. Immò postquàm Aquinas retulit opinionem asserentium, hoc nomen *Deus*, & similia secundùm suam naturam supponere prò essentia, & solùm ex adiuncto notionali trahi ad supponendum prò persona, concludit, *alij melius dixerunt, quòd hoc nomen Deus ex modo significandi habet, vt propriè possit supponere prò persona, sicut nomen homo*. Ergo est verior, & germanior eius opinio, quòd supponat prò persona. Neque obstat quòd deinde addat, *quandoque ergo hoc nomen Deus supponit prò essentia, & quandoque prò persona*; nam hoc debet intelligi secundùm adiuncta, quæ si sint essentialia, trahunt hoc nomen ad supponendum prò essentia; & si sint notionalia, determinant eius suppositionem, ad vnam, vel plures personas, vel omnes simul, vt patet ex propositionibus adductis.

2. Suppositio est vsus termini, vt docui-

cuimus in organo. Ergo non potest determinari, nisi per vsum. Cùm ergo vsus obtinuerit, vt hic terminus Deus accipiatur ex se prò personis, & solùm ex adiunctis accipiatur prò essentia; ideo Deus in proprietate sermonis, supponit prò personis, & ex adiunctis, aliquando etiam prò essentia. Atque adeo quia personæ sunt plures, ideo eius suppositio est indeterminata, quoad personas in particulari, in ordine ad quas habet descensum disiunctiuum, vel prò hac, vel prò illa, solùm ex adiunctis determinabilem, & solùm est determinata prò habente deitatem, siue vno, siue pluribus. Quare si dicatur Deus generat, quia generare non conuenit, nisi Patri, ideo supponit prò solo supposito Patris: & si dicatur, Deus spirat, quia spirare conuenit Patri, & Filio, ex hoc ly *Deus* determinatur ad supponendum prò suppositis vtriusque: & si dicatur Deus creat, quia hoc conuenit omnibus personis, ideo supponit prò omnibus: & demum si dicatur, Deus est communis omnibus personis, quia hoc non conuenit, nisi essentiæ, ideo ex hoc determinatur ad supponandum prò esentia. Atque adeo ad cognoscendum prò quo supponat in propositionibus, semper sunt attendenda adiuncta.

Vnde patet responsio ad 1.2., & 3.

Ad 4. Distinguo consequens, potest hic terminus *Deus* modo accipi prò supposito, & modo prò esentia, secundùm rem significatam, concedo: secundùm mo-

modum significandi, nego consequentiam. Quia ergo habet significare ex se solùm quod habet deitatem, ideo non potest significare deitatem, nisi ex adiunctis.

Ad 5. Nego antecedens. Non quia essentia emendicet ab alio subsistentiam, vt supponit Caietanus, cùm supposita non sint aliud ab essentia, sed quia non habet ex se subsistere, sed in suppositis.

Dices cum eodem, tria possunt in Deo considerari, videlicèt essentia, hic Deus, & supposita; in creatis autem duo tantùm, nempe natura, & suppositum. Quamuis ergo in creatis semper habens naturam sit suppositum, in Deo tamen aliquando est suppositum, vt sunt Personæ, & aliquando est hic Deus, hoc est aliquid singulare per se subsistens, seu natura diuina in concreto, quatenus videlicèt importat ipsam naturam per modum formæ, & subsistentiam absolutam per modum subiecti.

Nego antecedens, cuius falsitatem in sensu Caietani, fusè reiecimus, non solùm in met. lib. 2. disp. 3 ar. 1. Sed etiam hìc disp. 14. ar. 3. vbi ex professo egimus de opinione, seu potiùs errore Caietani. Et dico, in Deo non dari hunc Deum, vt supponentem prò essentia per se subsistente in concreto, præcisis Personis.

Ad 6. Nego maiorem. Quamuis enim (postquam in scholis à non paucis fuit admissa opinio de subsistentia absoluta) videatur Deus accipi promiscuè prò essen-

sentia, vel supposito, tamen secundùm modum significandi, retinuit semper suppositionem determinatam, prò habente deitatem, solùm per adiuncta trahibilem ad esentiam. Neque est mirum, quia cùm Deus sit veluti terminus communis metaphysicè, potest aliorum terminorum complexione, ad hoc, vel illud supponendum determinari, non secundum modum, quem habet ex se significandi, sed ex adiunctis determinantibus rem significatam.

Dices, hic terminus *Deus* semper supponit pro habente deitatem, per modum identitatis cùm supposito, non autem per modum formæ in supposito. Sed habere formam per modum identitatis, nō dicit personam, sed summam perfectionem talis formæ, quæ per se habet sibi identificare tria supposita, vt est aliquod absolutum, & nullum inuoluens respectiuum in sua ratione formali. Ergo adhùc supponit prò essentia.

Nego maiorem. Quamuis enim quoad rem significatam, verè essentia sit in diuinis suppositis per identitatem, tamen secundùm modum significandi, hæc idētitas non apparet, eò quia essentia exprimatur vt forma in supposito, sicut exprimitur natura humana per nomen *homo*.

AR-

ARTICVLVS II.

An quando Deus ex adiuncto supponit prò sola essentia, supponat prò illa vt subsistente?

Videtur supponere. Primò quia ex admissa doctrina diui Thomæ q. 39. ar. 4. semper Deus supponit prò essentia, vt in habente illam. Ergo quando supponit prò sola essentia, debet supponere prò illa, vt in habente; aliter esset falsa assertio vniuersalis, quòd semper supponat prò habente illam. Sed si in esse absoluto, non eset per se subsistens, non esset aliquid substantiale completum, de quo verificetur aliquo modo, quòd sit illam habens. Ergo est per se aliquod singulare subsistens, in concreto, in quo includitur vt forma, esentia in abstracto.

2. Si non eset essentia hic Deus per se subsistens, non posset verificare propositionem, quòd sit communis tribus personis subsistẽtibus, eò quia vt est subsistens per subsistentias relatiuas, non sit vna, sed triplex. Præterea non poset verificare dicta Sanctorum, quòd personæ habeant vnitatem in natura per se subsistente, & in subsistentia naturæ. Ergo vt supponitur per ly *Deus*, est subsistens subsistentia absoluta.

Cònclusio, *Quando Deus ex adiuncto supponit prò sola essentia, non debet in hac*

in-

inuolui subsistentia absoluta, sed debet cõcipi vt abstracta ab omni subsistentia.

Probatur 1. Essentia taliter supposita, debet esse aliquod substantiale infinitum pluribus communicabile; aliter non posset verificare propositionem affirmantem de illa communicabilitatem, nec intelligeretur vt pura essentia. Sed si haberet subsistentiam absolutam, nec esset simpliciter infinita, nec pluribus communicabilis. Ergo non debet illam habere. Maior, & consequentia sunt euidentes. Minor probatur, spectat ad eius infinitatẽ perfectionis, quòd possit adæquatè communicari tribus suppositis diuinis, quibus communicet omnem perfectionem simpliciter simplicem. Sed si haberet hanc subsistentiam absolutam, amitteret hanc summam communicabilitatem, eò quia sit de ratione subsistentiæ, vt formaliter talis, dicere incommunicabilitatem, vt probauimus in disp. met. lib. 2. disp. 3. ar. 1. & hìc disp. 15. ar. 2. concl. 3. & ar. 3. per totum. Ergo non esset simpliciter infinita; atque adeo vt taliter supposita, non est subsistens, sed concipitur quodammodo, vt in potentia ad subsistentiam.

2. Diuus Athan. in dial. de Trin. con. Amorræos pag. 165. apertè ait, *essentia non nisi vt in indiuiduis spectatur, hoc est in hypostasibus subsistit.* Ergo præcisis hypostasibus, non subsistit. Et ideo in 6. Synodo act. 11. sub init. dicitur, *Sabellianorum ista est prauitas, in vnam sub-*

subsistentiam tres confundere subsistentias, adhærendo videlicèt definitioni quintæ Synodi generalis c. 1. *qui non confitetur vnam essentiam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in tribus subsistentijs esse adorandam, anathema sit*, vbi nulla fit mentio subsistentiæ absolutæ, quæ esset quarta. Meritò igitur Valentia 1. p. disp. 2. q. 13. p. 3. sub med. ait, hanc opinionem esse superuacaneam, quatenus ponit subsistentiam omninò inutilem, & plusquam falsam, quatenus ponit subsistentiam communicabilem, quidquid illum confutare conetur Fasolus, nullo solido fundamento.

3. Vel hæc subsistentia absoluta est aliquod, per quod ipsa essentia redditur intrinsecè, & substantialiter perfecta; vel aliquod ab illa virtualiter intrinsecè distinctum, per quod, tamquam per aliquod superadditum, contrahatur ad esse talem rem singularem, de qua possit dici, hic Deus? Si primum, ergo hæc non est subsistentia, quia illi non conueniunt prædicata propria subsistentiæ, quæ sunt esse aliquid saltem virtualiter intrinsecè superadditum, & facere singulare incommunicabile. Si secundum, ergo per illam constitueretur quarta persona, cuius nomine aliud non intelligimus, gradum quemdam substantialem superadditum essentiæ, saltem virtualiter, ratione cuius fiat suppositum incommunicabile. Ergo vel non potest hoc prædicatum attribui essentiæ, vt taliter suppo-

positæ, vel illam non facit per se subsistentem.

Ad 1. Nego consequentiam. Et dico, hunc terminum *Deus* semper supponere pro essentia, vt in illam habente, si per se ponatur, & consideretur secundùm id, quod ex se habet significare, non autem si ponatur in propositione, & ex adiunctorum complexione, trahatur ad solam essentiam supponendam. Nam in tali casu, illam supponit vt communicabilem, non autem vt supposito communicatam. Quòd si arguens supponat, etiam essentiam, vt communicabilem, esse illam habentem, quatenus est in substantia absoluta, redimus ad impugnata; & ideo valeant allatæ responsiones. Neque est nouum, quòd terminus trahatur aliquando, ex terminorum complexione, ad aliquid significandum, & supponendum, quod ex se, ex vi impositionis, non habet significare, seu supponere. Nam animal e.g. habet ex se significare naturam communicabilem equo, vel leoni, quod non habet vt contractum ad rationale, sub qua contractione supponit pro solo homine.

F Ad 2. Nego antecedens quoad vtramque partem. Et quoad primam retorqueo argumentum, si essentia ex se esset subsistens, non esset communicabilis; ergo non esset communis tribus. Ad rationem oppositam dico, essentiam esse vnam in tribus, quia non multiplicatur in illis, non tamen esse communem vt

contractum ad illa. Sicut enim natura humana, vt contracta ad Petrum, non est communis Paulo, ita natura diuina vt contracta ad Patrem, non est communis Filio. Quoad secundam dico, naturam dici per se subsistentem à Patribus, non quia habeat subsistentiam absolutam, sed quia habeat relatiuas realiter indistinctas, quas proinde ab extra non mendicet, sicut faciunt naturæ creatæ, Personæ autem dicuntur subsistere in subsistentia naturæ, quatenus singulæ habeant proprias subsistentias, indistinctas realiter à natura, vt diximus in locis citatis.

ARTICVLVS III.

An sint veræ hæ propositiones, Deus generat Deum, Deus generatur à Deo?

Videntur non esse veræ, Primò quia Deus est terminus singularis. Ergo non potest admittere alietatem. Sed inter generantem, & genitum datur alietas, cùm nihil possit se ipsum generare. Ergo non potest esse verum, quòd Deus generet, & generetur.

2. Si esset vera hæc, *Deus generat*, supponendo pro Patre, esset vera hæc, *Deus non generat*, supponendo pro Filio. Sed Pater, & Filius, sunt idem Deus. Ergo idem Deus generat, & non generat, quæ sunt contradictoria.

3. Si

3. Si Deus generat, vel generat se, vel alium? Non primum, quia idem esset principium sui. Neque secundum, quia darentur duo dij. Ergo non generat.

4. Vel Deus Pater generat Deum, qui est Deus Pater, vel Deum, qui non est Deus Pater? Si primum, ergo Pater esset genitus à se, quod dicit duplex absurdum. Si secundum, daretur Deus distinctus à Deo Patre. Ergo duo dij.

Conclusio, *Vera est hac propositio, Deus generat Deum, sicut hac aequipollens, Deus generatur à Deo.* Est Aquinatis hic q. 39. ar 4. & est de fide, *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero*, vt dicitur in symbolo Niceno.

Probatur, Hoc nomen *Deus* ex se significat habens deitatem, seu deitatem in habente, vt dictum est ar. 2. Sed habens deitatem, vt est Pater, verè generat: & habens deitatem, vt est Filius, generatur. Ergo datur Deus generans & genitus; atque adeo vtraque hæc propositio est vera.

Ad 1. Distinguo consequens, non potest admittere alietatem in forma, quam importat, nempe in deitate, concedo: in supposito illam habente, nego consequentiam, cùm dicatur in symbolo S. Athanasij, *alia est persona Patris, alia Filij, & alia Spiritus Sancti.* Deus ergo est terminus singularis, quia significat deitatem vt formam, quæ est vna immultiplicabilis; quatenus autem illam

significat vt in pluribus, habet quamdam conuenientiam cum termino communi, quia eius forma est communis tribus suppositis secundùm rem, vt docet hic Aquinas q. 39. ar. 4. ad 3.

Ad 2. Concedo maiorem, Et admissa minori distinguo consequens, idem Deus generat, & non generat secundum idem, nego: secundùm diuersa, concedo consequentiam. Quia ergo verificantur de eodem Deo, secundum diuersitatem suppositorum, ideo nulla est contradictio.

Ad 3. Nego maiorem quoad vtramque partem. Rationem affert Durandus in 1. d. 4. q. 2. ad 2. quia ly *alius* est adiectiuum diuersitatis essentialis, & ly *se* est reciprocum omnimodæ identitatis, adeòque non solùm essentialis, sed etiam personalis. Cùm ergo Deus Pater neque producat Filium diuersum in essentia, neque identificatum in persona, ideo neque genuit se, neque alium Deum. Verùm de hoc fusiùs infra.

Ad 4. Dico, à Deo Patre generari Deum, qui non est Deus Pater, vt concedit hic diuus Thom. q. 39. ar. 4. ad 5. Et ratio est, quia si generaret Deum qui est Pater, generaret se ipsum, quod inuolueret duplex absurdum supra inculcatum. Ergo generat Deum, qui non est Pater, sicut est filius.

Dices cum Præpositiuo, ideo est falsa affirmatiua, quia relatiuum *qui* refert suppositum, ita vt faciat sensum, Deus

Pa-

Pater generat Deum, qui eſt ſuppoſitum Dei Patris. Sed in negatiua refert, & ſignificatum, & ſuppoſitum, ita vt faciat ſenſum Deus Pater generat Deum, qui neque eſt ſuppoſitum, neque eſſe Dei Patris. Ergo etiam negatiua eſt falſa.

Nego minorem. Cùm enim illæ propoſitiones quoad ſecundam partem ſint contradictoriæ, debent quoad illam eſſe affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem. Ergo cùm in affirmatiua prædicetur generatio de ſolo ſuppoſito Patris, de illo ſolo in alia negatur. Atque adeo ſicut affirmatiua facit ſenſum, Deus Pater generat Deum, qui eſt ſuppoſitum Dei Patris, & ideo eſt falſa; ita negatiua facit ſenſum, Deus Pater generat Deum, qui non eſt ſuppoſitum Dei Patris, & ideo eſt vera.

Ex dictis ſequitur, eſſe veras has propoſitiones, Deus Pater generat Deum, qui eſt Deus filius: & Deus Pater cum Deo, qui eſt filius, generat Deum, qui eſt Spiritus Sanctus, propter eamdem rationem, quia ly *qui* accipitur vt ſtans prò ſolo ſuppoſito. Quod idem dico de his alijs, Deus qui eſt Spiritus Sanctus, procedit à Deo, qui eſt Deus Pater, & à Deo qui eſt Deus filius, & hæc, Deus Pater cum Deo filio ſpirat Deum, qui neque eſt Deus Pater, neque Deus filius.

ARTICVLVS IV.

An sit vera hæc propositio, Deus genuit alium Deum?

VIdetur esse vera, vt propugnant Albertus 1.p.sum.q.51.ad 1.q. Bonauentura in 1.d.4.ar. vn. q. 2. sub in. cum nonnullis alijs suppresso nomine relatis à diuo Tho: hic q. 39. ar. 4. ad 4. Primò quia vera est hæc propositio, Deus genuit alium. Ergo vel genuit alium Deũ, vel alium non Deum? Secundum non est verum, quia genuit filium qui est Deus. Ergo est verum primum, quòd genuerit alium Deum.

2. Deus generans distinguitur à Deo genito. Sed verè Pater est, Deus generans, & filius est Deus genitus. Ergo verè Deus genuit alium Deum.

Conclusio, *Quamuis possit vt vera sustineri hæc propositio, Deus genuit alium Deum, tamen debet euitari, nè detur ansa erroribus; & quia est impropriùs modus loquendi*, vt cautè aduertit hìc diuus Thomas quæst. 39. ar. 4. ad 4. in fine.

Probatur prima pars, primò, quando dicitur, per origines innotescere *à quo alius, qui ab alio*, vtique ly *alius, ab alio*, cum sint adiectiua masculinè posita, appellant suum substantiuum. Non aliud, nisi Deum. Ergo si admittatur in Deo *à quo alius*, necessariò debet admitti, *à*

quo

quo alius Deus. Primum admittitur hîc à diuo Thoma q. 32. ar. 3. & cum eo ab omnibus alijs. Ergo debet admitti etiam secundum, quo admisso, verificatur illa propositio, Deus genuit alium Deum.

2. Verè filius est alius Deus à Patre, alietate suppositi, & non naturæ, vt docet fides. Sed illa propositio potest explicari, in ordine ad talem alietatem. Ergo potest vt vera sustineri. Et ideò diuus Tho: hîc q. 31. ar. 2. ait, posse dici, *filius est alius à Patre*, non tamen *aliud*, seu alienum, quia ly *alius* denotat distinctionem suppositi, & ly *aliud* distinctionem deitatis. Sunt tamen vnum, non vnus.

Probatur secunda pars, si concedatur absolutè vt vera hæc propositio, videtur concedi distinctio diuinitatis à diuinitate, quod vt erroneum est omninò vitandum. Ergo non debet absolutè concedi illa propositio, sed si detur necessitas, debet omninò determinari per adiuncta, ad significandam solam suppositorum dualitatem. Probatur antecedens, quia cùm ly *alius*, sit adiectiuum sonans dualitatem indeterminatè, & sit terminus syncathegorematicus, determinatur per substantiuum, qui est terminus cathegorematicus, ad completam, & perfectam significationem. Si ergo illi addatur substantiuum *Deus*, determinatur ad significandam dualitatem deitatis, quod est Deum multiplicare.

Probatur tertia pars, Deus secundùm

modum proprium significandi, habet importare prò forma diuinitatem, seu deitatem. Ergo impropriè tantùm de Deo absolutè prolato affirmatur, quòd genuerit alium Deum. Probo consequentiam, Deus absolutè prolatus significat habens deitatem, vt dictum est. Ergo nisi determinetur ex adiuncto, significat omne habens deitatem. adeòque totam Trinitatem. Atque adeo si de illo affirmetur alietas, facit sensum, quòd vniuersitas Personarum (sicut vocatur à diuo Thoma) genuerit Deum à se distinctum, quod multiplicaret deitatem; & impropriè tantùm Deus vt subiectum illius propositionis, contraheretur ad suppositum Patris, mentaliter intellecto adiuncto, ac si diceret Deus Pater. Ergo illa propositio nullo modo est concedenda, nisi posito explicitè adiuncto, dicendo, Deus Pater.

Dices, hic terminus *Deus*, semper supponit pro supposito, quia supponit prò habente naturam diuinam. Ergo cum verè possit dici, vnum suppositum genuit aliud suppositum, poterit etiam verè dici, Deus genuit alium Deum.

Distinguo antecedens, semper supponit prò supposito aliquo determinato, nego: prò aliquo supposito vagè, concedo antecedens. Et distinguo consequens, potest verè dici, *Deus genuit alium Deum*, denotando ex parte vtriusque extremi suppositum aliquod determinatum, concedo: simpliciter, & abso-

solutè loquendo, nego consequentiam. Valet ergo illa, *vnum suppositum genuit aliud*, quia terminus *alius* ex adiunctis determinatur, ad supponendum pro alietate suppositorum, quæ importantur explicite in numero multitudinis; non autem hæc, *Deus genuit alium Deum*, quia in hac ly *alius* non determinatur ad supponendum pro alietate suppositorum; & ideo videtur supponere pro alietate diuinitatis. Quia ergo non solùm est attendenda significatio terminorum, sed etiam modus significandi, ideo est euitanda hæc propositio.

Ad 1. Primò nego antecedens, quia cùm ly *alius* determinetur à subiecto, facit sensum, quòd Deus genuit alium Deum. Deinde nego consequentiam. Et dico quòd ex illo antecedennti neque sequitur genitus alius Deus, neque alius non Deus, sed solùm aliud suppositum habens eamdem deitatem. Quòd si vrgeas, esse contradictorias, *genuit alium Deum*, vel *alium non Deum*, nego suppositum. Et dico, ad veram contradictionem requiri, quòd propositiones se mutuò destruant adæquatè. Quia ergo illæ non se mutuò destruunt adæquatè, cùm in vtraque retineatur eadem affirmatio *genuit*, ideo non sunt contradictoriæ. Ad hoc ergo vt fiant contradictoriæ, debet dici, *Deus genuit alium Deum, Deus non genuit alium Deum*, quarum quia est vera negatiua, ideo nil sequitur pro arguente.

Ad 2. Nego consequentiam, quæ facit transitum à sensu composito ad diuisum. Ex eo enim quòd Deus generans distinguatur à Deo genito, infert quòd Deus absolutè, & simpliciter distinguatur à Deo. Vera ergo consequentia, quę deducitur ex illis præmissis, esset hæc, *ergo Deus Pater distinguitur à Deo filio*, quæ non promouet intentum arguentis.

ARTICVLVS V.

An sit vera hæc prepositio, Deus non generat?

VIdetur esse falsa, vt propugnant Aquinas q.39.ar.4. ad 3. Bonau.in 1. d.4. q.1. ad 3. Riccardus ibid. q. 1. ad 2. quos sequitur Caietanus, cum ferè tota schola Thomistarum. Eorum fundamenta reducuntur ad hæc.

Primò, hoc nomen *Deus* significat naturam diuinam vt formam, quæ est vna, & communis secundùm rem. Ergo per se, absque vllo addito, supponit pro natura communi, & ex adiuncto determinatur ad personam. Sed in hac propositione nihil additur, per quod determinetur ad personam Filij. Ergo supponit pro ipsa natura diuina, de qua negatur generatio, tamquam illi repugnans, quod est simpliciter falsum.

2. Particula *non* ideo dicitur malignantis naturæ, quia diuidit totum prædica-

dicatum vniuersaliter sumptum, à toto subiecto vniuersaliter sumpto, secundùm omnes, & singulas eius partes, vt patet in his propositionibus, *homo non est lapis: homo non est corporeus, non discurrit, &c.* Ergo hæc propositio, *Deus non generat*, facit sensum, *nihil quod est Deus, generat*, excluaendo generationem, etiam à Patre, quod est falsum.

3. Verè dicimus, *Deus est Pater*, non tamen verè dicimus, *Deus non est Pater*. Non nisi quia affirmatio tribuens prædicatum subiecto communi habenti multas partes, non necessariò tribuit illi secundùm omnes partes; negatio verò tollens prædicatum ab eodem subiecto, tollit illud ab omnibus eius partibus; & ideo dicitur, *homo discurrit*, licèt hoc illi conueniat ratione vnius partis, non tamen dicitur *homo non discurrit*, licèt contineat materiam non discurrentem. Ergo potest esse vera hæc, *Deus generat*, quia Pater generat, quin sit vera hæc, *Deus non generat*, licèt Filius non generet.

Conclusio, *Licèt hæc propositio, Deus non generat, quantum est ex vi sermonis, sit simpliciter vera; non tamen est vsurpanda, sicut neque est vsurpanda affirmatiua, Deus generat, nè rudes inducantur in errorem.*

Probatur prima pars, quam apertè sequuntur Durandus in 1.d.4.q.2. Gregor. Arim. ibid. q. vn. post med. Aureol. ibid. q.1. Argentina d.4.q.1.ar.3. Gabriel q.1.

ar. 2. Valentia disp. 2. q. 13. p. 3. Sotus, Ocham, cum multis aliis ex ipsa schola Thomistarum. Primò, Propositio affirmatiua *Deus generat*, habet vnam solam causam veritatis, quę est Deus Pater. Sed negatiuæ, *Deus non generat*, sunt tres causæ veritatis, nempe Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & essentia in abstracto, vt virtualiter intrinsecè distincta à Personis. Ergo si est vera affirmatiua, à fortiori est vera etiam negatiua; & si hæc sit falsa, à fortiori erit falsa etiam affirmatiua.

2. Sicut ly *Deus* per adiunctum *generat*, determinatur ad suppositum Patris, cui soli conuenit generare; ita per adiunctum *non generat*, determinatur ad filium, & Spiritum Sanctum, quibus non conuenit generare. Ergo vtraque est vera. Consequentia patet. Antecedens probatur, vel in vtraque propositione ly *Deus* accipitur vniuersaliter, prò omni supposito habente deitatem, ita vt faciat sensum, omne, vel nullum habens deitatem generat, & vtraque est falsa, quia cùm habeant descensum copulatiuum, sicut affirmatiua est falsa, per hoc quòd filius, & Spiritus Sanctus non generent, ita est falsa negatiua, per hoc quòd Pater generet; vel particulariter prò aliquo determinabili per appositum, & quia habent descensum disiunctiuum, vel hoc, vel illud suppositum, vtraque erit vera, iuxta regulas disiunctiuarum, ad quarum veritatem sufficit con-

conformitas, quoad vnam partem.

3. Vbi in vno supposito sunt plures naturæ, possunt de illo verificari contradictoria, vt in Christo, quòd sit mortuus quoad naturam humanam & non mortuus quoad diuinam. Ergo vbi in vna natura sunt plura supposita, de termino significante naturam in concreto, vt est Deus, possunt verificari contradictoria, vt Deus generat, Deus non generat, ratione pluralitatis suppositorum.

Ad 1. Distinguo consequens, Deus supponit prò natura; hoc est supponit prò natura per modum suppositi in concreto, nempe vt illam habente, concedo: supponit prò ipsa natura, quæ est in supposito, vt abstracta à supposito, nego consequentiam. Vnde corruit processus argumenti, qui licèt admittatur, non solùm non probat falsitatem illius negatiuæ, sed probat eius veritatem, quod sic euidenter ostendo. Admisso quòd ly *Deus* in illa propositione negatiua, stet absq; addito determinante ad suppositũ, sequitur, ly *Deus* supponere prò sola natura, cui non conuenit generare, vt probatum est disp. 26. ar. 1. Ergo ex hòc ipso erit vera illa negatiua, *Deus non generat*, quæ æquiualeret huic, *essentia non generat*. Neque potest falsificari ex eo, quòd neget Deo generationem, vt repugnantem diuinæ naturæ. Cùm enim propositio admittatur, vt procedens de natura, vt abstracta à supposito, verum dicit, & non falsum. Nam in necessarijs

quid.

quidquid alteri non conuenit, necessariò non conuenit, quia illi repugnat. Ergo si non conuenit naturæ secundum se generare, hoc illi repugnat. Et ratio repugnantiæ prouenit ex eo, quia generans necessariò distinguitur à genito. Ergo si eadem natura esset simul generans, & genita, distingueretur à se ipsa, quod est illi impossibile.

Ad 2. Dico, argumentum valere, quando particula *non* afficit totam propositionem, vt accidit quando præponitur subiecto, vel importatur à signo cadente supra illud, vt videre est in his, *nullus homo est lapis*, *homo non est lapis*, quæ illi æquiualet. Quia ergo in illa propositione *Deus non generat*, particula *non* cadit supra solum prædicatum, ideo illud solum distribuit. Ad propositiones allatas dico, ideo in illis distribui vtrumque extremum, quia cum sint propositiones indefinitæ, in materia necessaria, æquiualent vniuersalibus, vt dictũ est in organo. Hæc autem propositio *Deus non generat*, est quidem indefinita, quatenus ly *Deus*, supponit indeterminatè prò habente deitatem, non tamen est in materia necessaria, non quia generatio non conueniat necessario Deo Patri; sed quia generatio concipiatur in Deo per modum accidentis; & ideo æquiualet particulari, *aliquod habens deitatem non generat*, quæ est vera. Quòd si velis obstinatè defendere, illam æquiualere vniuersali, ratione materiæ necessa-

riæ,

riæ, cùm etiam affirmatiua sit in eadem materia, etiam illa æquiualebit vniuersali, *omne habens naturam diuinā generat*; & sic vtraque esset falsa, iuxta regulas contrariarum, assertas in organo lib. 2. ar. 3.

Ad 3. Nego maiorem. Et dico, hanc propositionem *Deus est Pater*, non esse veram, nisi ly *Deus*, contrahatur ad paternitatem. Sed etiam vt contractus ad filiationem, non est Pater. Ergo vel vtraque est vera, vel neutra. Deinde, nego minorem, & dico, illam propositionem, *homo discurrit*, vel procedere de actu discursus, vel de principio radicali? Si primum, cum sit in materia contingenti, æquiualet huic, *aliquis homo discurrit*; & sic etiam negatiua æquiualet particulari, *aliquis homo non discurrit*, quæ sunt subcontrariæ; & ideo possunt esse simul veræ, non tamen falsæ. Si verò dicatur secundum, cùm vtraq; sit in materia necessaria, æquiualent vniuersalibus, *omnis*, & *nullus*, quæ cum contineant implicitam contradictionem, neque possunt simul esse veræ, nec simul falsæ, vt dictum est in organo. Ergo cùm sit vera vniuersalis affirmatiua, erit falsa vniuersalis negatiua illi contraria. Hoc non euenit in propositionibus controuersis, quæ cùm sint in materia contingenti, vt dictum est, vel æquiualent particularibus disiunctiuis, & vtraque est vera; vel vniuersalibus, & vtraque est falsa.

Vnde

Vnde sequitur probata secunda pars conclusionis; siquidem non minus est euitandus error, quod filius, & Spiritus Sanctus generet, quàm quod Pater non generet. Sed veritas affirmatiuæ inducit in primum, & in secundum veritas negatiuæ. Ergo vtraque est euitanda. Atque adeo quoties vsurpatur terminus *Deus*, in ordine ad notionalia, semper debet apponi cum addito personali determinantè, videlicèt *Deus Pater generat, Deus Filius, non generat*, vel cum alijs æquiualentibus, sine quibus debet omninò negari vtraque propositio, non quia non possint reduci ad sensum veritatis, sed quia sunt æquiuocæ, & captiosæ, sicut esset hæc, *hic Deus est hic Deus*, quæ nisi retineat ex parte vtriusque extremi, eādem suppositionem formalem, neque est identica, neque vera.

ARTICVLVS VI.

An sit vera hæc, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater?

VIdetur esse vera; aliter si fingatur oppositum, ergo Pater non est ille idem Deus, quem genuit; & sic sunt duo Dij, nempe generans, & genitus, quod est absurdum.

Conclusio, *Hæc propositio, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater, est simpliciter falsa; & ideo non debet admitti.*

Pro-

Probatur, hoc subiectum *Deus* in hac propositione, vel supponit pro vniuersitate Personarum collectiuè sumptarum, quatenus videlicèt supponit pro deitate, in quantum est vna in pluribus suppositis, sub qua ratione habet conuenientiam cum forma nominis collectiui, vt docet hic diuus Thomas q.39.ar.5. ad. 6. vel supponit pro illo supposito, cui conuenit generare, sumpta determinatione ex illo adiuncto *genuit*? Si primum est falsa, tàm ex parte subiecti, quia omnes Personæ, neque distributiuè, neque collectiuè generant, quàm ex parte prædicati, quia Deus Pater non gignitur. Si secundum, est quidem vera ex parte subiecti, quia verè Pater generat, tamen est falsa ex parte prædicati, quia terminus genitus non est Deus Pater. Ergo semper est falsa, quia semper continet falsitatem, siue secundùm totum, siue secundùm partem.

Ad rationem oppositam, nego consequentiam. Et ratio est, quia cùm dicitur, *Deus Pater genuit Deum Filiûm*, ly *Deus* non accipitur in abstracto pro sola deitate, sed in concreto pro habente deitatem, per modum suppositi. Quia ergo verè suppositum Patris non est suppositum Filij, licèt includat eamdem formam, ideo Deus generans non est Deus genitus, non quòd deitas sit diuersa, quod solùm valeret, quando illi conueniret generare, & generari, sed quòd illam habens sit diuersum. Ergo ex

ex eo quòd sit vera hæc negatiua, *Deus genuit Deum, qui non est Deus Pater*, non sequitur dualitas deitatis, sed illam habentis, nempe suppositorum Patris, ac Filij.

Dices cum Magistro in 1. d.4. litt.B. hæc negatiua facit hunc sensum, *Deus genuit Deum, qui non est Deus, qui est Pater*. Sed hoc est falsum, aliter Deus qui est in Patre, esset diuersus à Deo, qui est in Filio. Ergo est falsa negatiua, & vera eius opposita affirmatiua.

Nego maiorem cum diuo Tho. hic ad 5. Et ratio est, quia cùm ly *Deus* ex parte subiecti accipiatur in concreto, vt contractus ad illud suppositum, cui conuenit generare, non potest accipi in abstracto ex parte prædicati, de quo deinde negatur Pater; aliter mutaretur formaliter propositio, ex diuersitate suppositionis formalis, quod non esset explicatio, sed destructio. Potiùs ergo accipienda esset alia explicatio, ab illo ibidem tradita, nempe, *Deus genuit Deum Filium, qui Filius non est Pater, qui Deus est*, quamuis hæc etiam expositio meritò vocetur extorta à diuo Tho. in loco citato. Atque adeo standum est expositioni à nobis traditæ.



DI-



DISPVTATIO XXIX.

De termino, Substantia.



T explicemus nonnullas alias propositiones valdè ancipites, in hac materia, agendum est de hac voce *substantia*, quam Græci vocant *homusion*, & idem in re præsenti sonat, ac diuinitas, deitas, natura, seu essentia. Quæremus ergo 1. An diuinæ Personæ possint dici tres substantiæ? 2. An sint tres essentiæ, vel naturæ?

ARTICVLVS PRIMVS.

An diuinæ Personæ possint dici tres substantiæ?

VIdetur posse, Primò quia Persona definitur communiter cum Boetio *rationalis naturæ indiuidua substantia*, quam definitionem nescit bonam admi-

simus

simus in disp. met. lib. 2. disp. 3. ar. 1. Sed Personæ sunt tres. Ergo tres substantiæ; aliter singulis vt distinctis ab alijs, non conueniret, esse personam.

2. Augustinus lib. 5. de Trin. c. 4. ait, *non solùm ibi vnitas intelligitur, ex eo quod dicitur vna essentia, sed & Trinitas ex eo quod dicuntur tres substantiæ, vel personæ.* Bellarminus lib. 2. de Christo c. 4 sub finem ait, *in rigore possent dici in Deo tres substantiæ.* Anselmus in monologio c. 76. sub med. ait, *potest irreprehensibiliter dici, Trinitatem esse vnam essentiam, vel naturam, & tres personas, siue substantias.* Epiphanius hæresi 69. sub finem ait, *cum sint tres perfectæ substantiæ, vna verò deitas Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quibus concinunt etiam diuus Thomas q. 9. de potentia ar. 2. ad 9. dicens, *sicut dicimus in Deo tres personas, ita possumus dicere tres substantias indiuiduas*, Basilius, Nyssenus, Cyrillus, & alij. Ergo hoc dicere non est absurdum.

Conclusio, *Non possunt diuinæ Personæ dici tres substantiæ, nisi nomen substantiæ ex adiunctis trahatur ad significandam personam, seu subsistentiam.* Est de fide.

Probatur multiplici Ecclesiæ definitione. Et 1. ex symbolo S. Athanasij, *neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* 2. ex Lateran. sub Innoc. III. c. 1. sub in· *tres personæ, sed vna essentia, substantia, siue natura.* 3.

To-

Toletanum VI. cap. 1. in conf. fid. *in hac Trinitate tanta est vnitas substantia, vt pluralitate careat.* 4. Toletanum XI. in prof. fid. sub in. *nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus, sed vnam substantiam, tres autem personas.* Quibus concinunt Vuormatiense sub initium, Alexandrinum, Sexta Synodus, & plura alia.

Deinde ratione, nomen substantiæ communiter apnd nos accipitur prò essentia, vt docet diuus Thomas q. 29. ar. 3. ad 3. Sed non possumus dicere, tres essentias. Ergo neque tres substantias. Et ideo Aug. lib. 5. de Trin. c. 9. sub in. ait, *quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam, non audiemus dicere vnam essentiam, tres substantias, sed vnam essentiam, vel substantiam, tres autem personas.*

Ad 1. Distinguo consequens, sunt tres substantiæ simpliciter, & absolutè loquendo, nego: cum addito *indiuidua*, concedo consequentiam. Ratio est, quia cum ly *indiuidua* restringat substantiam ad personam, quæ sola in natura intellectuali est indiuidua, hoc est incommunicabilis, vt explicuimus in loco citato, ideo in numero multitudinis non exprimit, nisi numerum personarum. Et hæc est ratio, cur plures in definitione personæ, loco substantiæ ponant subsistentiam; sed immeritò, quia cùm subsisten-

tia

tia sit modus substantialis, vltimò terminans naturam, necessariò dicit incommunicabilitatem; quare frustra illi adderetur ly *indiuidua*, quod esset battologia.

Ad 2. Dico, substantiam sæpe accipi ab authoribus prò persona, præsertim apud Græcos, vt docent Isidorus lib. 7. ethymol. c. 4. §. vlt. dicens, *tres hypostases, quod resonat in latinum tres substantias, quoniam verè apud Græcos substantia persona intelligitur, non natura*: Boetius lib. de Duab. nat. sub fin. tertiæ col. *Quod Græci hypostasim, nos substantiam, vel substare interpretamur*. Et Riccardus lib. 6. de Trin. cap. 23. sub fin. *ex eo quòd Pater est substantia ingenita, filius genita, non sequitur quòd sit alia, & alia substantia, sed alia, & alia persona*. Et quia multi etiam ex Latinis, loquuntur more Græcorum quoad hoc, ideo diuus Thomas q. 29. ar. 2. ad 2. ait, nomen substantiæ promiscuè vsurpari, pro essentia, & pro persona, dicens, *nomen substantia apud nos quandoque significat essentiam, quandoque hypostasim*. Atque adeo dicentes, dari in Deo vnam substantiam, explicandi sunt de essentia, & dicentes dari tres substantias, explicandi sunt de hypostasibus, seu personis. Æquiuocatio prouenit ex hoc, quòd cùm substantia dicatur à substando, & à subsistendo, nec habeamus distincta nomina, quibus vnam ab alia secernamus, ideo cum substantia substans significet

essen-

essentiam, & substantia subsistens personam, sæpè sub hoc nomine confunditur essentia cum persona. Quia tamen hinc oriebatur erroris occasio, ideo vsus obtinuit, vt substantia simpliciter prolata, (quam Græci dicunt vsiam) significet solam essentiam, & substantia vt subsistens, seu vt indiuidua (quam Græci dicunt hyppostasim) significet solam personam, nec possit amplius substantia confundi cum subsistentia, seu persona, docente diuo Tho. ead. q. 29. ar. 3. ad 3. *Nomen substantiæ communiter accipitur apud nos pro essentia*, ablata scilicèt per vsum indifferentia, quam supra statuerat esse propriam huius nominis. Nisi ergo substantia ex adiunctis determinetur ad personam, non potest ampliùs vsurpari in numero multitudinis.

ARTICVLVS II.

An possint dici tres essentiæ, formæ, vel quidditates?

VIdentur posse, Primò quia diuus Thomas in 1.d.25.q.1.ar.4.ad 2.ait, *si per quidditatem intelligitur, non solùm natura absoluta, sed ratio, vel intentio cuiuscumque, vel substantiæ, vel accidentis, vel relationis, sit in diuinis quamuis sit vna quidditas absoluta, tamen sunt plures rationes relationum realium, & ita plures quidditates quommodo.*

do. Ergo potest dici, esse plures quidditates.

2. Idem in 1.d.25.quæst. vn. ar.4. ait, *quadam forma absoluta, vt essentia, vel deitas, qua non multiplicatur; quadam forma relatiua (vt paternitas, qua secundùm rationem non solùm in intellectu existentem, sed etiam extra, est alia à filiatione) pluraliter pradicatur, vt sint ibi plures tales forma relatiua*. Sed forma est essentia. Ergo si plures formæ, plures essentiæ. Probatur minor, nam Hylar. lib. 12. de Trin. sub in. explicans dictum Apostoli ad Philip.2. *cum in forma Dei esset*, ait, *esse in forma Dei, non alia intelligentia est, quàm in Dei manere natura*. Ergo forma Dei est eius essentia. Idem docet Basil. lib. 1. con. Eun. super eumdem locum dicens, *ego verè id quod dicitur in forma Dei esse, aquum ei quod est, in substantia Dei esse assero. Nam sicut formam serui suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat; sic cùm in forma Dei esse dicat, diuina substantia ipsi profectò attestatur proprietatem*, Et Athan. tract. de definitionib. sub init. ait, *natura, essentia, & forma idem sunt*. Cui quasi ijsdem verbis concinit Damascenus lib. de decretis c.1. init.

Conclusio, *Diuina Persona non possunt dici tres essentia, seu natura, tamen possunt dici tres quidditates, seu forma relatiua, non tamen sine addito, determinante ad subsistentias, siue relationes.*


Pro-

Probatur prima pars, Primò, Agatho Papa in 6. Synodo act. 4. epist. 1. ait, *hic status est Apostolica fidei, vt confitentes sanctam Trinitatem, vnius naturæ, & substantiæ, sicut essentiæ eam prædicemus*. 2. Lateran. sub Innocen. 3. c. 1. dicitur, *tres personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura*. 3. Essentia in Deo est idem, ac deitas. Sed hæc est vna, & non triplex, Ergo vna essentia. Sed si dicerentur tres essentiæ, daretur triplicitas in essentia. Ergo non possunt dici tres essentiæ. 4. in 5. Synodo collat. 8. can. 1. definitur, *si quis non confitetur, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti vnā naturam, siue substantiam, Trinitatem consubstantialem, vnam deitatem in tribus substantiis, siue personis adorandam, anathema sit.*


Probatur secunda, quidditas relatiua in diuinis est idem atque persona. Ergo sicut multiplicantur personæ, ita & relatiuæ, quidditates. Et ideo Egid. in 1. d. 33. q. p. p. q. 2. ad 1. ait *cum dicitur quod relationes in diuinis inter se, & per comparationem ad substantiam, distinguuntur secundum esse, intelligendum est de esse quidditatiuo, quia si definiretur paternitas, filiatio, & essentia eorum, non esset definitio vna*. Idem dico de nomine *forma*. Cùm enim hoc significet solùm id, per quod res est formaliter talis, abstrahendo à ratione substantiæ, vel accidentis, potest conuenire diuinis relationibus, etiam vt abstractis ab essen-

tia, quæ vt tales sunt per se ipsas in tali esse determinato. Ergo possunt vocari tres formæ relatiuæ. Quia tamen propriè quidditas, & forma significant id, per quod res est essentialiter talis; ideo sine addito determinante ad personas, non possunt in illis multiplicari, nisi impropriè, & valde periculosè, vt docet Capreolus in 1.d.29.q.vn.ar.2.ad 4. dicens, *impropriè loquendo potest coucedi, in persona esse plures quidditates; tamen ille modus loquendi improprius est, & periculosus.* Quæ additio est multò magis necessaria ad vsum formæ, quæ cùm soleat confundi cum essentia, nisi terminorum complexione determinetur ad personas, potest parere periculosam æquiuocationem.

Vnde patet solutio ad obiecta.



DI.



DISPVTATIO XXX.

De Concretis, & abstractis.



QVæremus 1. An nomina essentialia concreta conueniant personis in numero multitudinis? Deinde an nomina essentialia in abstracto prædicentur de personis? Et demum an veritas prædicetur de Personis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An nomina essentialia concreta conuenant Personis in numero multitudinis?

VIdentur omnia nomina essentialia concreta prædicari de personis in numero multitudinis, vt sunt Deus, omnipotens, æternus, sapiens, immensus, &c. non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè.

1. Quia Deus significat habens deitatem, vt dictum est disp. 27. ar. 1. Sed Personæ sunt tres habentes deitatem. Ergo tres Dij, vt apertè concedunt Aliacensis, & Ocham in 1. q. 5. sub med. dicentes, *iste terminus Deus ex modo significandi habet supponere pro supposito, non pro natura, nisi ex vsu loquentium ratione alicuius adiuncti*. Ergo cùm sint tria supposita, sunt tres Dij. Quia tamen hæc propositio induceret simplices in errores; ideo monent illam esse euitandam.

2. Si eadem albedo poneretur in tribus subiectis distinctis, fierent tria alba, sicut eadem humanitas faceret tres homines. Ergo eadem deitas in tribus facit tres Deos; & eadem æternitas tres æternos, &c.

3. Omnis terminus numeralis ponit suum significatum, circa significatum sui determinabilis: Sed significatum substantiui est idem cum significato adiectiui, quia vtrumque significat formam. Ergo vtrumque determinat formam, quod non tollitur ex modo significandi. Atque adeo vel nomina essentialia concreta substantiuè multiplicant formam in numero multitudinis, & illam multiplicant etiam adiectiuè; adeoque non poterunt personæ dici diuinæ, æternæ, &c. vel si illam non multiplicant adiectiuè, neque substantiuè, & per consequens poterunt dici personæ diuinæ, & Dij; æternæ, & æternitates, &c.

Conclusio, *Nomina essentialia concreta*

creta conueniunt personis in numero multitudinis, si accipiantur adiectiuè, non autem si accipiantur substantiuè. Est diui Thomae q. 39. ar. 3. Egidij, & aliorum.

Probatur, nomen substantiuum significat formam per modum alicuius per se stantis, & ideo dicitur à substantia; Adiectiuum verò per modum accidentis, & ideo dicitur ab adiacentia. Sicut ergo substantia quia per se habet esse, per se habet esse singularem, vel plures; ita accidentia quia habent esse in alio, nempe in subiecto, etiam ex illo accipiunt vnitatem, vel multiplicitatem. Et haec est ratio, cur si daretur albedo abstracta, necessariò esset vna. Hoc posito, non potest nomen substantiuum significare multitudinem, nisi significet multitudinem formarum; adiectiuum verò potest sub vna, & eadem forma, quam exprimit, significare multitudinem suppositorum. Et quia in creatis non datur eadem numero natura in pluribus suppositis, ideo neque adiectiuum essentiale potest significare pluralitatem suppositorum, nisi etiam significet pluralitatem talis formae, seu naturae. Et ideo dicimus, Petrum, & Paulum esse plures homines; non tamen dicimus, Patrem, & Filium esse plures Deos, quia in illis forma humanitatis multiplicatur, non tamen in his forma deitatis. Quòd si detur in creatis aliqua forma extrinseca, seu rationis, quae est potiùs forma moralis,

quàm physica, vt numerus, tunc hæc forma prædicatur de pluribus suppositis numero singulari, vt populus, exercitus. Cùm ergo in Deo detur in tribus suppositis eadem numero forma deitatis, ideo potest sub illius vnitate prædicari pluralitas suppositorum, & dici tres æterni, tres immensi, &c. Non tamen potest prædicari pluralitas substantiuè, quoad essentialia, quia multiplicarentur eadem prædicata essentialia; & prædicatio procederet, ex pluralitate formæ essentialis, importatæ per tale nomen, ad pluralitatem subiectorum, seu suppositorum.

Neque obstat, quòd in symbolo Sancti Athanasij vetetur dicere tres immensos, æternos, &c. Nam ibi est sermo de his nominibus substantiuè acceptis, non autem adiectiuè. Aliter contradiceretur Lateranensi sub Innoc. 3. c. 1. in definienti ***Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæterni.*** Immò sibi ipsi diceti in eod. symbolo, ***tota tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*** Quare personæ possunt dici tres omnipotentes, æterni, immensi, sapientes, increati, existentes, infiniti, &c. vt docet Durand. in 1. d. 11. q. 3.

Dices, Pater est omnipotens, æternus, immensus, &c. non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè; & idem dico de Filio, & de Spiritu Sancto. Ergo hæc nomina etiam substantiuè, possunt

præ-

prædicari de personis, in numero multitudinis.

Nego consequentiam. Et ratio est, quia hi termini in numero singulari significant vnicam formam singularem, quæ semper venit eodem numero, respectu omnium seorsim; neque enim diuersa æternitas, e.g. affirmatur de Patre, atque affirmetur de Filio. Sed in numero multitudinis, si acciperentur substantiuè, significarent diuersam formam; atque adeo idem esset dicere, tres Personas esse tres æternos substantiuè, ac dicere, illas habere tres diuersas æternitates, quod est falsum. Hoc autem non sequitur, si accipiantur adiectiuè, quia solùm significant, eamdem æternitatem esse in tribus suppositis distinctis, quod est verum.

Instabis, Petrus habens duas artes, non dicitur plures artifices: & si Verbum diuinum assumpsisset duas naturas humanas, non diceretur duo homines, vt fatetur Aquinas 3.p.q.3. ar.7.ad 2. Ergo quamuis per nomina substantiua concreta essentialia importarentur plures formæ, non proinde dicerentur personæ plures Dii.

Nego consequentiam. Et ratio est, quia pluralitas importata per substantiua non solùm inducit pluralitatem formæ, sed etiam suppositi; pluralitas autem adiectiui solam inducit pluralitatem suppositi. Cùm ergo in Petro, & Verbo daretur solùm pluralitas formæ, & non

suppositi, ideo neque ille diceretur plures artifices, neque hoc plures homines. Sed quia hæ prædicationes in diuinis, ex vna parte supponerent pluralitatem suppositi, quæ haberet rationem subiecti, & ex alia quia procederent per modum substantiui, inducerent pluralitatem formæ, ideo facerent plures Deos. Præterea in casibus allatis forma importata per talia nomina, non identificatur realiter cum subiecto, seu supposito (neque enim ars identificatur cum artifice, neque Verbum cum humanitate) sicut in Deo, qui est sua æternitas, &c. Ergo non currit paritas, quia nullum est inconueniens multiplicare formam distinctam, quæ se habet ad suppositum per modum accidentis, sicut est inconueniens multiplicare formam identificatam, quæ se habet ad suppositum per modum substantiæ. Et ideo multiplicatis artibus, non multiplicatur artifex, at multiplicatur homo, multiplicata rationalitate.

Ad 1. Respondetur communiter cum Aquinate q. 39. ar. 3. ad 1. negando consequentiam, ex diuerso modo significandi substantiuè, & adiectiuè, quem habent Deus, & habens deitatem. Sed quia hæc responsio inuoluit, & non soluit difficultatem; nam etiam homo, & habens humanitatem significant substantiuè, & adiectiuè, & tamen multiplicato habente, multiplicatur homo; ita non obstante hac diuersitate in modo significandi, multiplicato habente deitatem, multi-

plicari

plicari videtur ipse Deus ; vt accidit in omnibus alijs adiectiuis , resoluentibus substantiua. Hac ergo omissa responsione , Distinguo maiorem , Deus est habens deitatem , per habitionem physicam , seu per modum subiecti physici , nego : per habitionem rationis, seu metaphysicam, concedo . Et distincta minori, quòd sint plures habentes secundo modo, & non primo, nego consequentiam . Ratio est , quia ad multiplicandum Deum substantiuè, requiritur multiplicatio physica deitatis, quæ non euenit in multiplicatione taliter habentium adiectiuè . Et ideo consequentia est falsa. At quia humanitas distinguitur physicè ab illam habente, ideo ad eius multiplicationem multiplicatur , sicut multiplicantur accidentia . Valet ergo consequentia, sunt plures habentes humanitatem , Ergo plures homines , non tamen hæc, sunt plures habentes deitatem. Ergo plures Dij.

Ad 2. Concedo , quòd fierent tria alba, nego tamen quòd fierent tres homines. Disparitas est, quia album est adiectiuum, significans albedinem per modum accidentis ; homo autem est substantiuum . Ad multiplicationem adiectiui sufficit multiplicatio subiecti, quæ non sufficit ad multiplicationem substātiui , quæ requirit etiam multiplicationem formæ, vt dictum est.

Ad 3. Nego maiorem cum Caiet. q. 39. ar. 3. Et ratio est, quia terminus nume-

ralis, vt formaliter talis, nō habet primò, & per se, nisi significare suppositum formæ determinabilis, siue sit substantiuus, siue adiectiuus, cum hoc vno discrimine, quòd si sit adiectiuus, habet determinare suum significatum ad solum suppositum, hoc est determinatur ad significandum hunc numerum potiùs, quam alium, ex supposito. Si verò sit substantiuus, quia habet etiam ponere suum significatum, circa significatum formæ determinabilis, habet etiam determinare suum significatum ad ipsam formam, idest habet significare hunc numerum determinatè ex ipsa forma, quam importat. Atque adeo ex numerali adiectiuo, multiplicatur solum suppositum, & ex numerali substantiuo, etiam forma.

ARTICVLVS II.

An nomina essentialia in abstracto prædicentur de personis, & viceuersa?

VIdetur nō prædicari. Primò quia nō potest dici, Deus est Trinitas, seu tres personæ; aliter cùm omnis diuina persona sit Deus, omnis diuina persona esset Trinitas; & sic vna persona esset tres personæ, quod est absurdum. Ergo non prædicatur.

2. Non potest dici, Deitas est trinitas, aliter posset dici, Deitas est trina. Ergo

go neque potest dici, Deus est trinitas, cùm Deus sit idem ac Deitas.

3. Non potest dici, Pater est deitas, & idem dico de filio, & Spiritu Sancto. Ergo neque potest dici, Deitas est Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus. Sed Trinitas nihil est, nisi Personæ. Ergo non potest dici, Deitas est Trinitas.

4. Deus se habet t ratio superior ad singulas personas, de quibus seorsim potest prædicari. Ergo non possunt de illo prædicari personæ seorsim; atque adeo non potest dici, Deus est pater. Ergo multò minus potest dici, Deus est paternitas.

Conclusio, *Nomina essentialia tàm in concreto, quàm in abstracto prædicantur de personis, & hæ prædicantur de illis*.

Probatur 1. cum Magistro in 1. d. 4. litt. C. docente, *fides catholica tenet, ac prædicat, & tres personas esse vnum Deũ, & vnam substantiam, siue essentiam, siue naturam diuinam, & vnum Deum, siue essentiam diuinam esse tres personas*. Ergo reciprocantur.

2. In Lateran. sub Innoc. 3. c. 2. *damnamus* definitur, *vna res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa videlicèt substantia, essentia, siue natura diuina*. Ergo hæc propositio est de fide, *essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*.

3. In Conc. Nicæno lib. 2. col. 9. sub fin. definitur; *diuinitas non est vna per-*

sona, vt Iudas opinantur, sed tres persona. Ergo etiam hæc est de fide, *diuinitas est tres personæ*.

4. In Lateran. cit. c. 1. *firmiter*, dicitur, *vnus solus est verus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura*. Ergo hæc est de fide, *tres personæ sunt vna essentia*, sicut est de fide hæc, *tres personæ sunt vnius essentiæ, seu eiusdem substantiæ*; vt definitur in Conc. Nicæno lib. 2. sub finem, & in Tolet. 6. c. 1. sub init. *credimus, & profitemur, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnius essentiæ, vniusque naturæ*, & in Tolet. 11. & multis aliis relatis disp. 28. ar. 1.

Ad 1. Nego antecedens, cuius oppositum statuit Magister in 1 d. 4. lit. C. in fine dicens, *his, & aliis pluribus authoritatibus euidenter ostenditur, dicendum esse, & credendum, quòd vnus Deus est Trinitas, & vna substantia tres personæ, sicut econuerso dicitur Trinitas esse vnus Deus, & tres personæ dicuntur esse vna substantia*. Ad probationem nego sequelam, quæ solùm valeret, cùm singulæ personæ essent Deus adæquatè sumptus, hoc est supponerent prò omni eo, quòd est realiter Deus, quod non est verum. Et ratio est, quia cùm Deus sit terminus metaphysicè, & non logicè communis, ita identificatur cum omnibus, & singulis personis, vt neque in illis multiplicetur neque à singulis adæquatur.

Dices,

Dices, totus Deus identificatur cum singulis personis. Ergo à singulis adæquatur.

Distinguo antecedens, si ly *totus* dicat totalitatem essentialem, concedo: personalem, nego. Et distinguo consequens, adæquatur secundù essentialia, concedo: secundùm personalia, nego consequentiam. Totus ergo Deus est in singulis personis, sed non totaliter, sicut est in omnibus simul. Ergo licèt possit dici, Deus est trinitas, non tamen potest dici, Pater est trinitas, quia Pater non est Deus adæquatè, hoc est Deus non est adæquatè in Patre.

Ad 2. Nego antecedens. Ad cuius probationem nego sequelam. Et ratio est, quia cùm trinitas sit substantiuum, significat formam per se stantem; atque adeo fert secum suppositum, supra quod exonerat suum numerum; & ideo trinitas idem sonat, atque tria supposita. At nomen *trina*, quia est adiectiuum, non significat formam per se stantem, sed prout est in subiecto. Ergo sicut ab illo accipit vnitatem, ita in illud exonerat suum numerum. Quia ergo cadit supra deitatem, illam triplicat; quod est erroneum. Neque obstat, quòd admittatur ab Ecclesia hæc propositio, *Deitas trina, & vna*, vt legitur in hymno corporis Christi, qui recitatur in matutino. Nam ibi abstractum sumitur prò concreto ex metri necessitate, & deitas est idem, ac Deus. Melius tamen esset corrigere

rigere tale dictum, & coercere poetas, nè suis vanis licentiis errores foueant, vt factum est in aliis similibus hymnis.

Ad 3. Nego antecedens. Et ratio est, quia cum deitas sit idem atque essentia, sunt mutuò affirmabiles in recto, iuxta regulas traditas prò identitate reali in disp. met. lib. 1. disp. 1. ar. 2. Ergo sicut est vera hæc, *essentia est Pater*, ita est vera hæc, *Pater est sua essentia*, seu *sua deitas*, vel etiam sine addito.

Ad 4. Nego antecedens. Ratio est, quia cùm Deus non sit sub genere, vel specie, neque propriè admittit rationes vniuersalem, & singularem, licèt admittat rationes communem, & propriam. Quare ly *Deus* est quidem ratio communis, non tamen superior ad personas. Et ratio est euidens, quia ratio superior debet in sua linea inuoluere aliquid, quod nullo modo sit in inferiori, vt est ratio animalis respectu hominis; siquidem ita animal inuoluit hominem, vt inuoluat etiam equum, qui nullo modo est in homine. At Deus licèt inuoluat filium, qui non est Pater, non tamen inuoluit aliquid, quod nullo modo sit Pater; nam filius inuoluit Formaliter eamdem numero essentiam Patris, & per circuminsessionem etiam ipsam paternitatem. Ergo nihil habet, per quod verè diuidatnr in plura, quod diuideret deitatem, licèt habeat plura, quibus communicetur, quod diuidit solùm personas, quibuscum est idem secundùm rem.

AR-

ARTICVLVS III.

An veritas prædicetur de Personis in abstracto?

VIdetur non prædicari, primò quia si prædicaretur de Personis, multiplicaretur in illis, & sic darentur in Deo plures veritates, quod negatur ab Aquinate in 1.d.19.q.5.ar.3.ad 1. Ergo non prædicatur de Personis.

2. Veritas est passio entis. Ergo si prædicatur veritas de personis, prædicaretur etiam ratio entis. Sed hæc non potest prædicari; nam vel prędicaretur singulariter, & sic Pater, & Filius essent vnum ens, quod tolleret eorum distinctionem, vel numeraliter; & sic in Deo darentur plura entia, quod multiplicaret deitatem, quæ sunt absurda. Ergo neque illa.

Conclusio, *Veritas in abstracto prædicatur de personis essentialiter, & notionaliter, adeoque singulariter, & numeraliter.*

Probatur, veritas transcendentalis (de qua solùm hìc loquimur, cùm veritas formalis non sit extra cognitiones) ideo dicitur talis, quia transcendit per omne genus entis. Ergo prædicatur non solùm de essentia, quatenus est ens à se, sed etiam de personis, quatenus sunt ens ad aliud. Sed quia in essentia est vna ratio essendi à se, & per se, ideo est vna veri-

tas absoluta; & in personis, quia est triplex ratio essendi ad aliud, ideo est triplex veritas relatiua. Est autem impossibile, quòd de vno prædicetur numeraliter, & de pluribus singulariter. Ergo quia veritas sequitur rationem entis, de essentia, quæ est vnum ens absolutum, prædicatur singulariter; & pluraliter de personis, quæ sunt plura entia respectiua.

2. Omnis perfectio positiua est ens. Ergo omnis perfectio positiua est vera transcendentaliter, eò quòd possit terminare aliquam propositionem veram, directè in illam tendentem, vt dictum est in log. lib. 3. disp. 2. ar. 1. Sed in Deo dantur, non solùm prædicata perfectiua absoluta, quæ constituunt vnam simplicissimam entitatem physicam, quæ est virtualiter, & eminenter omnis perfectio, nempe essentia, sed etiam relatiua, quæ constituunt tres perfectiones simplices personales, vt probauimus disp. 10. ar. 4. Ergo datur veritas, quæ prædicatur de personis essentialiter, ratione cuius dicuntur vnus Deus, adeòque prædicatur singulariter; & datur veritas, quæ prædicatur de personis notionaliter, ratione cuius dicuntur plures personæ, quæ de illis prædicatur numeraliter. Ex quo sequitur, omnia ea prædicari numeraliter de personis, quæ illis conueniunt ratione relationum, seu proprietatum; & ideo dicuntur plures personæ, hypostases, subsistentiæ, supposita, &c. Ea verò, quæ illis conueniunt, ratione essentię præ-

prædicari solùm singulariter, vt esse Deum, primam causam, vltimum finem, obiectum bratificum, &c. Alia verò quę illis conueniunt, non solùm ratione essentiæ, sed etiam ratione proprietatum, prædicari de illis singulariter per nomina substantiua, vt esse creatorem, omnipotentem, omniscium, &c., numeraliter autem per nomina adiectiua, vt dictum est disp.28.& ar.superioribus.

Ad 1. Distinguo antecedens, si prædicaretur essentialiter, multiplicaretur, nego: si notionaliter, concedo. Hoc autem non repugnat Aquinati, solùm neganti in Personis plures veritates essentiales, quæ de illis tantùm singulariter prædicantur.


Ad 2. Nego minorem subsumptam. Ad cuius probationem dico, rationem entis posse desumi ab essentia, & ab existentia. Primo modo dicitur solùm singulariter de personis; secundo modo dicitur singulariter, & pluraliter: singulariter, quatenus supponit pro existentia absoluta, quam vnicam, statuimus disp. 11.ar.1. & pluralicer, quatenus supponit pro existentia relatiua, quam ibid.ar.2. statuimus esse triplicem. Et hæc est ratio cur diuus Thomas in 1.d.25.q.1.artic.4. doceat, *nomen entis sumitur ab esse rei; & ideo cùm vnum, & idem sit esse trium personarum, si ens sumatur substantiue, non potest pluraliter prædicari de pluribus personis, quia forma, à qua imponitur, scilicet esse, non plurificatur in eis;*

si

si autem sumatur participialiter, vel adiectiuè, sic pluraliter prædicari potest. Ergo diuinæ personæ possunt dici vnum ens absolutum substantiuè, & tria entia relatiua adiectiuè, non quatenus ens significat entitatem oppositam nihilo (vt hic exponit Gonettus) sed quatenus significat existentiam, vel entitatem relatiuam.



DI-



DISPVTATIO XXXI.

De Actibus Notionalibus.

DAri actus notionales in Deo, patet ex communi theologorum sensu, passim dicentium cum diuo Tho. q.41.ar.1. non posse conuenienter origines designari, nisi per aliquos actus. Cùm ergo admittantur in Deo origines, videlicèt generatio, spiratio, & processio, debent etiam poni generare, & spirare, tamquàm actus notionales, quibus correspondent generari, & spirari, tamquàm passiones illos terminantes. Solùm ergo quæstio est, an huiusmodi actus præintelligantur ad proprietates personales, videlicèt generare ad paternitatem, & spirare ad paternitatem, & filiationem, quod præstabimus in primo articulo. Et huius occasione quæremus in 2. An fundent relationes personales?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An actus notionales praeintelligantur proprietatibus?

VIdentur præintelligi, Primò quia constitutiuum preintelligitur constituto. Sed generare constituit Patrem, vt dictum est disp. 17. ar. 1. Ergo generare præintelligitur Patri, adeoque paternitati. Et ideo Bonau. in 1. d. 27. p. 1. ar. 1. q. 2. ait, *quod ideo est Pater, quia generat, & non econuerso*. Cui concinit Cyrillus lib. 1. thesau. c. 1. *Pater est, quia generat: Filius quia generatur*. Ergo generatio actiua præcedit Paternitatem, & passiua Filiationem.

2. Paternitas est relatio consurgens ex eo quòd Pater generet. Ergo est posterior actu notionali ipsius, nempe generatione.

3. Videtur ex opposito, actus notionales subsequi ad proprietates, Primò quia præsupponunt suppositum, cuius sunt actus. Ergo sunt posteriores omnibus eius constitutiuis, cuiusmodi sunt personales proprietates, nempe Paternitas, & Filiatio, respectu Patris, & Filij. 2. Priùs est agens, quàm agere. Ergo priùs est esse Patrem, quàm generare. Sed in illo priori Pater est correlatiuus Filij. Ergo etiam Filius præintelligitur ad generare. Sed omne præintellectum ad actionem, est etiam præintellectum ad passionem, quæ ex illa consequitur. Er-

Ergo Filius præintelligitur ad generare, & generari. Et idem valet de spirare, & spirari, in ordine ad Spiritum Sanctum.

Conclusio, *Actus notionales præintelliguntur proprietatibus personarum procedentium, non tamen preprietatibus producentium.*

Probatur, & explicatur, generatio vt est actus notionalis Patris, constituit formaliter Patrem, in esse Patrem, vt probauimus disp. 17. ar. 1. ita vt illa sola præcisa, non intelligeretur Pater, vt formaliter talis. Ergo generatio inuoluitur formaliter in paternitate, vt illius constitutiua. Sed est impossibile, præintelligi constitutum ad sua constitutiua. Ergo est impossibile, præintelligi Patrem ad actum generationis. Et idem dico de Filio, in ordine ad generari. Cùm enim Filius constituatur formaliter per esse terminum paternæ generationis, inuoluit generari, seu generationem passiuam in suo conceptu formali. Ergo non potest ad illam præintelligi; aliter præintelligeretur ad sua constitutiua, adeòque ad se ipsum, quod repugnat. Quia tamen Pater vt principium Filij, ad illum præintelligitur, secundùm aliquam originis prioritatem, ideo generatio actiua, vt constitutiua Patris, præintelligitur ad generationem passiuam, vt Filij constitutiuam. Et idem dico de spiratione actiua, quæ cùm constituat Patrem, & Filium, in esse spiratorem, seu in esse primam, & secundam personam, præ-

intel-

intelligitur ad spirationem passiuam, non tamen ad paternitatem, & filiationem, ex quibus concipitur vt consequens, stante eius reali cum illis distinctione. Quia tamen actiones vt actiuè sunt in suppositis, non habent principium à quo sint, sed solùm principium in quo sint, vt probauimus disp. 6. ar. 1. ideo quia cessat posterioritas secundùm originem, simpliciter non sunt posteriores; & per consequens neque spiratio actiua est posterior paternitate, & filiatione. Videantur quæ diximus disp. 14. ar. 2. ad 5. nam valde proderunt ad rem præsentem.

Ad 1. Nego postremam consequentiam. Ex eo enim quod generatio actiua, vt constitutiua Patris, secundùm nostram rationem, præintelligatur ad Patrem, non sequitur quòd præintelligatur ad paternitatem in abstracto, quæ cōcipitur vt aliud constitutiuum Patris. Nàm comparatio debet esse inter constitutiua, & constitutum, non autem inter vnum constitutiuum, & aliud. Neque obstat quòd Pater inuoluat formaliter paternitatem, vnde videtur deduci, quòd priùs Patre sit prius paternitate. Siquidem hoc valeret de eo, quod esset prius Patre per veram prioritatem, non autem de eo, quod est prius per nostrum modū intelligendi; aliter cùm Pater constituatur etiā ex essentia, generatio esset prior essentia, quod est absurdum. Quia ergo prioritas constitutiui ad constitutum,

non

non dicit, nisi prioritatem à subsistendi consequentia, ideo constitutum non potest concipi vt posterius, nisi vt formaliter resultās, ex omnibus constitutiuis (sicut diximus in 1. de gener. disp. 2. ar. 1. de toto substantiali) simul sumptis. Atque adeo quia Pater cum sola paternitate, præcisis aliis, non esset, nisi paternitas, ideo neque esset totum resultans ex omnibus suis constitutiuis, neque posterior singulis illorum, quia non esset formaliter Pater adæquatè.

Ad authoritates dico, illas non esse veras, nisi ly *quia* significet connexionem à posteriori, quatenus generare est actus necessariò consequens ad esse Patrem; & ideo est potiùs vera opposita causalis, *ideo Pater generat, quia est Pater*. Sicut ergo cùm dicitur, *ideo est Sol, quia illuminat*, ly *quia* non denotat aliquid prius Sole, sed potiùs eius actum posteriorem, necessariò ex illo consequentem, necessitate physica; ita cùm dicitur, *ideo est Pater quia generat*, ly *quia* non denotat aliquid prius Patre, sed potiùs actum ex illo necessariò consequentem, necessitate metaphysica; nisi velimus dicere, denotare causam formalem intrinsecam, adeòque indistinctam à suo effectu formali.

Dices, si ly *quia* significaret actum consequentem ad esse Patrem, generatio præsupponeret Patrem. Ergo illum non constitueret, vt dictum est.

Distinguo antecedens, præsupponeret

se-

secundum nostrum modum intelligendi, concedo: secundùm realitatem, & subdistinguo, generatio actiua, nego: passiua, concedo antecedens. Et distinguo consequens, generatio actiua non constitueret, nego: passiua, concedo consequentiam. Vel ergo est sermo de generatione actiua, vel de passiua? Si primum, quatenus concipitur vt constitutiua Patris, ad illum præintelligitur, vt dictum est: & quatenus concipitur vt actus notionalis, secundùm nostram rationem, consequitur ex Patre, licèt secundùm rem, neque antecedat, nec subsequatur, sed illum necessariò concomitetur, immò constituat. Et ratio est, quia cùm Pater sit suppositum intrinsecè & formaliter relatiuum, importat formaliter relationem paternitatis, adeóque generationem actiuam, in qua fundatur. Cùm ergo sit impossibile, actum præcedere suum principium actiuum, generatio non antecedit paternitatem. Si secundum, cum generatio passiua sit in Filio, necessariò præsupponit paternitatem.

Ad 2. Diuus Thomas hîc q. 40. ar. 4. considerat in paternitate rationem relationis, & rationem constitutiui. Secundũ primam considerationem, ait consequi ad actum notionalem, quem præsupponit vt fundamentum; & secundùm aliam ait præintelligi, quia omnis actio præsupponit agens. Sed hæc distinctio sustineri non potest, Primò quia Pater vt suppositum relatiuum, inuoluit formaliter

liter ipsam relationem, vt formaliter talem, vt nuper dictum est, & nos probauimus disp.17.ar.1. Ergo relatio vt relatio, non est posterior actu notionali. 2. Si relatio esset posterior, non esset constitutiua Patris, quem supponeret constitutum in suo esse. Sed hoc repugnat dictis loco citato, immò ipsi diuo Thomæ asserenti ar.2. quæstionis citatæ, illam esse constitutiuam. Ergo non est posterior. Ad argumentum igitur nego antecedens. Quamuis enim paternitas, vt est formaliter relatio Patris ad Filium concipiatur à nobis aduenire Patri ex actu notionali generationis, tamen verè non aduenit, sed est in Patre secundùm rem ipse actus generandi, per quem formaliter constituitur in esse Patrem, & in abstracto dicitur paternitas. Ergo nullam præsupponit ex parte obiecti distinctionem à generatione, ratione cuius possit ex illa subsequi. Atque adeo sicut esse animal rationale, concipitur subsequi ab esse hominem, licèt tàm realiter. quàm formaliter sint vnum, & idem; ita licèt referri ad Filium, concipiatur vt aliquid subsequens ad esse generantem, tamen realiter, & formaliter sunt vnum, & idem. Et hoc modo est exponendus diuus Thomas, cùm dixit, paternitatem vt constitutiuam esse priorem generatione, & posteriorem, vt relatio est, hoc est adhibita tali distinctione, secundùm modum significandi, & secundùm rem significatam.

Nè tamen videar hoc gratis asserere, videatur articulus primus quæstionis 41. vbi ad 2. hæc habet, *actus notionales secundùm modum significandi tantùm, differunt à relationibus Personarum, sed re sunt omninò idem. Vnde Magister dicit in 1 sen.d.26. quòd generatio, & natiuitas alijs nominibus dicuntur paternitas, & filiatio.* Et infra affert rationem *remoto motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis, secundùm quòd à causa aliqua, vel principio procedit in id, quod est à principio. Vnde cùm in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio. Quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones.*

Ad 3. Nego autecedens, quòd solùm valet de actibus distinctis, qui cùm accidant supposito, illud præsupponunt. Actus autem indistincti, vt sunt notionales in Deo, quia constituunt suppositum, tantum abest quòd illud præsupponant, vt potiùs aliquo modo intelligantur præcedere, vt dictum est.

Ad 4. Distinguo antecedens, priùs est agens, quàm agere, si ly *agere* dicat actionem distinctam aduenientem, concedo: si dicat actionem indistinctam, immò constitutiuam agentis, nego antecedens, & consequentiam. Cùm enim Pater constituatur formaliter in esse Patrem per generare, non est prior, sed simultaneus, simultaneitate identitatis. Vn-

Vnde cessant absurda, tot clamoribus ex indebitis illationibus inculcata.

ARTICVLVS II.

An actus notionales sint fundamenta relationum?

VIdentur non esse, Primò quia dictum est disp. 26. ar. 5. ad 1. commune omnium relationum fundamentum esse diuinam essentiam. Sed essentia ratione sui formaliter non est actus nocionalis; aliter ipsa generaret, & generaretur, quòd reiecimus disp. 27. ar. 1. atque adeo non potest esse communis omnibus. Ergo actus notionales in Deo non sunt fundamènta relationum.

2. Dictum est disp. 24. ar. 11. in fine, relationem æqualitatis fundari in diuinis suppositis. Sed supposita non sunt formaliter actus notionales. Ergo in his non fundantur relationes.

3. Diuinæ relationes nullum aliud habent fundamentum, quàm suum *esse ad*, vt dictum est disp. 8. ar. 4. ad 1. Ergo fundantur in se ipsis, cùm *esse ad* relationis sit formalis quidditas illius. Sed actus notionalis non est formalis quidditas diuinarum relationum; Ergo non potest esse illarum fundamentum.

Conclusio, *Fundamentum remotum diuinarum relationũ est diuina essentia: proximum autem sunt actus notionales in concreto.*

Ad hoc probandum aduerto ex logicis lib.4.disp.4.ar.1. ad omnem relationem requiri tria, nempe id quod refertur, & dicitur primum relatiuum, id ad quod refertur, & dicitur terminus, seu secundum relatiuum, & id per quod refertur, & dicitur proxima ratio fundandi, vt patet in relatione similitudinis inter duo alba, nam paries A. qui refertur ad parietem B. est fundamentum, paries B. est terminus, & albedo est ratio proxima fundandi. Non tamen semper proxima ratio fundandi distinguitur realiter à fundamento; siquidem creatio non distinguitur secundùm rem à termino, quem constituit fundamentum relationis transcendentalis ad creatorem, vt fusè probauimus in 7.phys.d.2.ar.5. Semper tamen distinguitur secundùm rationem, vt ibidem probauimus.

Aduerto 2. relationem transcendentalem per hoc distingui à prædicamentali, quòd hæc includat intrinsecè, & essentialiter terminum, illa verò solùm extrinsecè, eò quòd sit adæquatè in fundamento, & illi essentialis. Quia ergo omnes diuinæ relationes, siue ad intra, siue ad extra sunt essentiales, & adæquatè intrinsecæ fundamento, omnes sunt transcendentales, non quia transcendant per omne genus entis, sed quia transcendunt prædicamentum ad aliquid, vt toties diximus in hoc tractatu. His positis.

Probatur 1. Diuinæ relationes, licèt realiter identificentur cum eadem communi

muni essentia, concipiuntur tamen vt illi aduenientes ex actibus notionalibus, & vt illam modificantes, illique inhærentes. Ergo primum earum fundamentum est essentia, & secundum sunt actus notionales, ratione quorum intelliguntur aduenire relationes. Per hoc enim quòd concipiamus in Patre generationem Filij, concipimus in illo resultare ad eundem relationem paternitatis, & viceuersa per hoc quòd concipiamus in Filio generationem passiuam, concipimus in illo rdsultare relationem ad Patrem. Diximus eutem *in concreto*, quia si actus notionales accipiantur in abstracto, sunt quidem rationes formales proximæ referentiæ, seu proxima ratio fundandi relationem, non tamen sunt id quod refertur *vt quod*, adeòque non sunt formaliter fundamentum proximum, quod disp. 17. ar. 4. ad 2. & disp. 24. ar. 11. diximus esse suppositum, seu Personam. Relatio ergo paternitatis fundatur in essentia, tamquam in fundamento remoto, eo modo quo relatio similitudinis inter alba fundatur in materia prima, quæ est commune subiectum omnium eorum, quæ sunt in substantia corporea. Atque adeo sicut materia per illam non refertur ad album relatione similitudinis, ita neque essentia Patris refertur ad filium relatione paternitatis. Fundamentum autem proximum est Persona, quatenus hæc vt erumpens in generationem actualem filij, dicitur esse sub proxima ratio-

ne fundandi, quæ est generatio, qua intellecta, illicò intelligilur in tali Persona resultare formaliter relationem paternitatis. An autem hæc resultantia sit formalis, vel virtualis, & quam dicat distinctionem à suo quasi subiecto, satis superque dictum est disp. 13. & seqq.


2. Illud est fundamentum proximum relationis, quod per illam refertur ad terminum. Sed hoc in diuinis non est aliud quàm essentia, modificata relatione per actus notionales. Ergo cum essentia taliter modificata sit Persona, hæc sola est fundamentum proximum relationis, & ipsa essentia, circumscriptis actibus notionalibus, quia per se non refertur, remanet in esse solùm fundamentum remotum, sicut actus notionalis in abstracto est solùm ratio proxima fundandi.

Vnde patet responsio ad prima duo.

Ad 3. Nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, in loco citato assertum procedere in sensu identico, & non formali. Et ratio est, quia cùm ibi quæratur disparitas inter relationes dominij, quam Deus habet ad creaturas vt subditas, & filiationis, quam habet Christus ad genitricē ex vna parte, & relationes ad intra diuinarū Personarū ex alia, sufficit dicere primas duas fundari in actionibus transeuntibus creationis, & generationis temporaneæ, quæ realiter distinguuntur à relationibus rationis creatoris, seu domini, & matris; relationes verò ad intra Personarum fundari in actionibus indistin-

ſtinctis ab ipſis relationibus ſecundùm realitatem. Hoc tamen non tollit, quòd ſi loquamur in ſenſu formali, non diſtinguamus relationes à fundamentis, vt patet euidenter, non ſolùm in eodem loco citato, in quo ſubditur, *Ergo totum, & vnicum fundamentum paternæ relationis ad filium eſt generatio illius*; ſed etiam in diſp.21.ar.5. ad 4. vbi dicitur, *quamuis origo non ſignificetur vt aliquod conſtitutiuum intrinſecum, tamen fundat relationem, quæ intrinſecè conſtituit*; & alibi paſſim in toto hoc tractatu.





DISPVTATIO XXXII.

Vocabularium Theologicum.



T absoluatur hæc materia, superest vt in examen vocemus nõnullos terminos, qui si perperam sumantur, inducunt in errores, cuiusmodi sunt vnicus, singularis, diuersus, triplex, alienus, &c. de quibus seorsim quidem, breuissimè tamen disputabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An possit dici quod vna Persona sit diuersa, vel aliena ab alijs?

D. Thomas 1. p. q. 31. ar. 2. respondet negatiuè de vtroque, *ad euitandum errorem Arrij, vitare debemus in diuinis nomen diuersitatis, & differentiæ, nè tollatur vnitas essentiæ.* Et infra, *nè*

nè tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, & discrepantis.

Conclusio, *Nomen alienus est omninò vitandum, nomen autem diuersus potest quidem vsurpari, melius tamen euitatur.*

Probo primam partem, alienum est idem, atque extraneum, ac diuisum, vt docet Angelicus loco cit. ad 3. Sed nulla persona diuina est extra naturam alterius. Ergo nulla Persona diuina est aliena ab alijs, à quibus diuidi non potest. Optimè igitur Nazianzenus or. de dogm. & constit. Episc. ait, *nequaquam Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum in tria præter naturam existentia, & aliena diuidentes, nè cum Arrio deliremus.* Cui concinit Epiphanius hæresi 69. sub med. *non alienus est Filius a Patre, nec alienus est Spiritus Sanctus.* Iure ergo concludit Angelicus ibid. *dicimus Filium à Patre, licèt non dicamus alienum.*

Probo secundam. nam diuus August. lib. 5. de Trin c. 5. sub fin. ait, *quamuis diuersum sit, Patrem esse, & filium esse, non tamen est diuersa substantia.* Et Hyer.. super illud Isaiæ 6. *audiui* ait, *in Euangelio legimus dicentem Dominum, ego, et Pater vnum sumus: et vnum ad naturam referimus, sumus ad Personarum diuersitatem.* Et Boetius lib. 2. de Trin. sub fin. *at Personarum Trinitatem diuersitas facit.* Et Damascen. lib. de duab. Christi volun. sub init. *in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto quoniam di-*

uersa est vniuscuiusque Persona, nec separatim, aut distinctè quasi discreta vnaquaque vult, et agit, sed coniunctè, non tres, sed vnus est Deus. Et Anzelmus in monol. c. 43. sub in. *sic diuersi sunt per hoc quòd alter est Pater, et alter Filius, vt numquam dicatur aut Pàter Filius, aut filius Pater*. Et Basil. in trac. de vera fide sub med. *in Spiritu Sancto sua quædam à duobus diuersa proprietas*. Et Cyril. lib. 7. dial de Trin. sub med. *secundum propriam subsistentiam diuersum quiddam Pater, et quiddam Filius, et quiddam Spiritus Sanctus*. Et Isidorus lib. 1. diff. 2. sub in. *Trinitas propter Personarum diuersitatem vocatur*.

Probo tertiam, Magister in 1. d. 24. lit. E. *cum dicimus tres Personas, nomine ternarij non significamus aliquam diuersitatem*, & lit. H. *congruè dicitur, ibi esse discretio, vel distinctio, non diuersitas, vel diuisio, siue separatio*. Et Bonauen, in 1. d. 19. p. 1. ar. 1. q. 1. sub fin. ait, *non est in suppositis propriè loquendo diuersitas, sed distinctio*. Et Aug. lib. 7. de Trin. c. 4. sub fin. *mens timuit dicere tres essentias, nè intelligeretur in illa summa æqualitate vlla diuersitas*. Quibus concinunt Leo I. Papa ser. 2. de Pentec. c. 2. in fine, Ambros. Epiphan. Origenes, Fulgentius, Tertullianus, & alii. Rationem afferunt Albertus, & Aquinas, quorum primus 1. p. sum. q. 40. mēb. 1. ad 2. quæst. ait *diuersum dicitur quasi in duo versū, vel non idem cum eo, à quo diuersum dicitur*;

citur; et ideo diuersam indicat naturã: & secundus loco cit. ad 1. ait, *diuersitas requirit distinctionem substantiæ, quæ est essentia*. Sed in hoc sensu non potest vsurpari. Ergo nisi ex adiunctis restringatur ad denotandam solam Personarum distinctionem in vnitate eiusdem naturæ, vt faciunt auctores hunc terminum vsurpantes, est omnino vitandus. Vnde conciliantur auctores.

ARTICVLVS II.

An posit dici quòd Personæ sint differentes, vel discretæ inter se?

VIdetur non posse, Primò quia diuus Thomas hìc quæst. 31. ar. 2. ait, *vitare debemus in diuinis nomen diuersitatis, & differentiæ, nè tollatur vnitas essentiæ*. Et respondendo ad 2. affert rationem, *quia differentia importat distinctionem formæ*. Cum illo sentiunt Albertus 1.p.sum.q.40.memb.1.sub fin.dicens, *in diuinis differens non propriè admittitur, sicut nec differentia*. Ambros. lib.1.de fide c.2.sub med. *Pater, et Filius in diuinitate vnum sunt, vbi nec substantiæ, nec voluntatis vlla est differentia*: Hylar. lib.4.de Trin. col. 9. sub in. Beda in comment. libri Boetij de Trin. col.13. sub in., & plures alij.

2. Concil.Nicæn.lib.2.§.*siquidem* ait, *per omnia fides vera demonstrauit, non*

oportere in sancta Trinitate differentiã cogitare.

3. In præfatione missæ de Trin. canit Ecclesia, *quod enim de tua gloria reuelante te credimus, hoc de filio tuo, & hoc de Spiritu Sancto sine differentia discretionis sentimus.* Ergo est communis catholicorum consensus, non dari in diuinis Personis differentiam, vel discretionem.

Conclusio, *Possunt hi termini vsurpari in diuinis, cum ex adiunctis referuntur ad Personas, tamen cautè, & rarò sunt vsurpandi,*

Probatur prima pars ex multiplici testimonio authorum omni excæptione maiorum illos vsurpantium. Nam Magister in 1. d. 24. litt. P. ait, *distinctæ sunt Personæ proprietatibus, siue differentes proprietatibus.* Et lit. H. attulerat rationem, *cum dicuntur discretæ Personæ, vel cum dicitur discretio in Personis esse, eamdem intelligentiam facimus; eodem enim modo ibi accipitur discretio, quo distinctio. Et congruè dicitur ibi esse discretio, vel distinctio, non diuersitas, vel diuisio.* Et Alensis 1. p sum. q. 40. ad 1. ait, *hæc differentia facit differentiam Personarum.* Et Bonau. in 1. d. 8. p. 2. q. 1. ad vlt. *Differt proprietas à proprietate:* Et infra, *est differentia proprietatum in diuinis.* Et Athanas. dial. 1. de Trin. sub med. *Quando tres hypostases dicimus, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, verè esse dicimus proprietatum differentiam in* hy-

hypostasi, non autem in essentia. Quibus concinunt Nazianzenus or. 3. de theol. sub in. .Basil. hom. 28. col. 2. Nyssenus, Cyrillus, & alii plures, quorum antesignanos dixerim Damascenum lib. 1. fidei c. 10. sub med. dicentem, *generationis, & processionis differentiam esse didicimus; at quis differentia modus, nequaquam*: & cap. 11. sub med. *vnum agnoscimus Deum, in solis proprietatibus differentiam intelligimus*: & Riccardum, qui lib. 4. de Trin. c. 15. sub in. ait, *iuxta modum originis aliquam differentiam habere. Nam vbi nulla differentia est, nulla omnino pluralitas esse potest. Pluralitas itaque Personarum conuincit, quod in illa Trinitate discretiua proprietas, proprietatumque differentia deesse non possit.* Vterque tamen concordatur Florentino sess. 18. §. *diuina substantia*, vbi Ioannes theologus Latinus ita loquitur, *vt Personæ differant inter se, necesse est, vt hypostaticæ proprietates incommunicabiles sint* Et infra, *relationes Personas multiplicant, ita ut non vlla alia ratione, quàm vi relationis Pater à filio, ac vna Persona ab alia differant.* Et sess. 19. sub fin. *tres Personæ re inuicem differentes.* Et infra, *per suas proprietates re inter se differunt.* Ergo hoc dicere non est erroneum.

Probatur secunda pars, quia cùm hi termini possint modò accipi pro discretione quoad absoluta, & modò quoad relatiua, si absque vlla adiunctorum determi-

minatione frequententur, possunt inducere in errores. Ergo debent cautè vsurpari.

Vnde patet responsio ad opposita. Et dico, Ecclesiam, Nicænum, & Patres locutos fuisse de differentia, seu discretione cadente super terminos absolutos, & communes, non antem supra terminos relatiuos, & personales. Ad rationem diui Thomæ dico, differentiam importare quidem distinctionem formæ, sed iuxta determinationem, quam accipit ex adiunctis. Quia ergo adiunctis terminis absolutis, & communibus, importat distinctionem essentiæ, & adiunctis notionalibus, importat distinctionem relationum, ideo in primo casu hoc nomen differentia est euitandum, & in secundo vsurpandum. Quòd si fiat comparatio inter ipsos terminos, videtur magis admissum nomen discretionis, quàm differentiæ. Quia (vt docet Albertus 1.p. sum.q.40.memb.1.ad 2.) *discretum à diuina prædicatione non remouetur, quia in illa magis propriè conuenit. Discretum enim est quod discernitur; discernitur autem quod distinctum est, & ab alijs in suis proprijs cernitur*. Cui concinit Bonauentura in 1.d.8.p.2.ar.1.q.1. ad 2. dicens, *hæc non propriè dicitur diuersitas, sed distinctio, et discretio*. Immò videtur esse de fide, dari in Deo Personarum discretionem; siquidem in cap. *firmiter* de sum. Trinit. sub init. dicitur, *hæc sancta Trinitas secundum commu-*

nem

nem essentiam indiuidua, et secundum personales proprietates discreta, & in Toletano VI.c.1. sub init. *credimus Trinitatem discretam inseparabiliter, indiscretam essentialiter substantia deitatis*. Quando ergo Ecclesia canit vt supra, *sine differentia discretionis*, explicanda est de discretione quoad gloriam, & maiestatem, vt docet Albertus 1.p. summæ q.40. membro 1.ad q.2. vbi ait, *non intẽdit Ecclesia quòd Personæ sint sine personali discretione inter se, sed quòd nulla sit discretio inter personas, et gloriam maiestatis diuinæ*, quæ est omnibus ęqualiter communis.

ARTICVLVS III.

An possit dici Deus vnicus, singularis, indiuiduus, & solitarius?

Videtur non posse, quia diuus Thomas 1.p.q.31.ar.2. ait, *debemus vitare nomen vnici, nè tollatur numerus personarum. Ad vitandum verò errorem Sabelij, vitare debemus singularitatem, nè tollatur communicabilitas essentiæ diuinæ*. Et citat prò se Hylarium, qui lib.7. de Trinit. sub finem ait, *Patrem, & Filium singularem Deum prædicare sacrilegum est*. Et lib.8. sub init. subdit, *nec singularem Deum fides Ecclesiæ, nec duos Deos profitetur*. Quæ verba perpendens Magister in 1.d.23. litt.I. concludit, *ex prædictis ostenditur, quia*

nec

nec singularis, nec diuersus, nec vnicus, vel solitarius confitendus est Deus. Et subdit rationem, *quia singularitas, vel solitudo personarum pluralitatem excludit, & diuersitas vnitatem essentiæ tollit*.

Conclusio, *Potest catholicè Dici, Deũ esse vnicum, singularem, & indiuiduum, non tamen potest dici, illum esse solitarium*.

Probatur prima pars. Primò quia S. Dyonisius lib. 1. de diu. nom. sub med. ait, *in omnibus fermè sacris libris aduertimus, diuinitatem sanctè prædicari vt singularem quidem, atque vnicam, ob simplicitatem, atque vnitatem illius excellentis indiuidui*. 2. S. Athanasius dialogo 1. de S. Trin. sub med. ait, *essentia neque numeri multiplicationem admittit, cum sit vnica, & singularis*. Quòd si vnica, & singularis essentia, vnicus, & singularis Deus. His adhærent Basilius, Lactantius, Sophronius, & Anzelmus. 3. Martinus de Esparsa in tomo de Deo trino, & vno q. 39. ar. 7. ad 1. ait, *neque repugnat diuinæ simplicitati omnis omnino diuersitatis prædicatio, sed solùm diuersitas partium vnitarum inter se, aut non habentium identitatem realem propriè talem cum diuinitate, quæ est perfectè vna, & perfectè vnica, quatenùs diuinitas est*. 4. Hyeron. Fasolus to: 3. q. 31. ar. 3. n. 7. ait, *quoniam verò nullum est hæresis Sabellianæ periculum, omnes sine vllo scrupolo vocamus Deum singularem, & vnicum, & indiuiduum, ad tol-*

tollendam in Deo distinctionem, non plurium personarum, sed plurium naturarum. S. Tertullianus lib. con. Praxeam c.2. sub init. ait, *vnicum Deum credimus*. Quibus nouissimè adhæsit Syluester Maurus in quæstionibus philosophicis Romæ editis, & propugnatis anno 1658. lib.4.q.12. de infinitate, & vnitate Dei, vbi probat expresè, Deum esse vnicum, sæpè clarè inferendo, *ergo Deus est vnicus*. Quicumque plura desiderat ad horum confirmationem, videat disp. met. lib.2. disp.2. ar.2. vbi ex professo, & fusè egi de hac materia.

Probatur secunda pars, quia nomen *solitarius* ex vi propriæ significationis habet excludere omnem pluralitatem, tàm essentiæ, quàm suppositorum, vt docet diuus Thomas loco citato. Ergo non potest restringi ad excludendam solam pluralitatem essentiæ.

Ad testimonia opposita Dico, præfatos authores attendentes potiùs ad extorsionem hæreticorũ, quàm ad propriam, & genuinam significationem horum terminorum, illos reiecisse, nè viderentur sentire cum hæreticis. Nos autem quia stabilimus vnitatem essentiæ contrà Arrianos, & Personarum distinctionem contra Sabellianos, neque accipimus vnicum prò solitario, neque singularem, & indiuiduum in exclusionem Trinitatis. Neque obstat, quòd hi termini malè accepti fuerint olim errorum occasio, quia nunc bene intellecti sunt fundamẽ-

tum

tum catholicæ veritatis, cùm diuina essentia sit verissimè vnica, indiuidua, & singularis, non obstante sua communicabilitate ad intra, vt exponit Durandus in 1.d.11.q.1.n.5.

ARTICVLVS IV.

An possit dici quòd solus Pater, vel solus Filius sit Deus, vel quòd Deus sit solus?

VIdetur posse. Primò quia dicitur ab Ecclesia de Filio in missa, *tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Iesu Christe*. Sed hæc sunt propria deitatis. Ergo, &c. 2. Dicitur de Patre Io: 17. *vt cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* 3. Clemens Romanus lib. 6. const. Apostol.c.11. sub init. ait, *vnum solum nunciamus Deum Christi Patrem, non congeminatum, vel multiplicem, sed solum in æternitate*.

Conclusio, *Non potest dici, quòd solus Pater, vel solus Filius sit Deus, licèt possit dici, Deus solus syncategorematicè, non tamen categorematicè*.

Probatur prima pars, quia (vt docet diuus Thomas 1.p.q.31.ar.4. in littera) *hæc locutio, solus Pater est Deus, habet duas expositiuas, scilicet Pater est Deus, & nullus alius à Patre est Deus. Sed hæc secunda est falsa, quia Filius alius est à Patre, & tamen est Deus. Ergo hæc* est

est falsa, solus Pater est Deus. Et sic de similibus. Et ratio à priori est, quia hic terminus *solus* inuoluit implicitè particulam, *tantum*, seu *solùm*, quæ cùm sit exclusiua, separat subiectum ab omni alio, & facit sensum, quòd prædicatum non conueniat, nisi huic subiecto, vt diximus in organo. Quia ergo prædicatum *Deus* conuenit etiam Filio, & Spiritui Sancto, ideo non potest esse verum, quòd conueniat soli Patri.

Probatur secunda pars, quia (vt docet hic diuus Tho: q.31.ar.3.) ly *solus* cathegorematicè sumptum afficit absolutè subiectum, adeòque excludit absolutè ab illo consortium, & societatem personarum, quod faceret Deum solitarium. Si verò sumatur syncathegorematicè, afficit quidem subiectum, sed non absolutè, & in ordine ad prædicatum, quod ita illi attribuit, vt excludat ab omni alio, quod facit quidem separationem subiecti ab alijs, non tamen facit separationem in ipso subiecto, separando essentiam à Personis. Quare illa propositio Apostoli 1. ad Timot.1. *Regi sæculorum immortali, soli Deo honor, & gloria*, facit sensum, quòd honor debeatur Deo, & nulli alij extra illum, quod est verum. Hæc autem alia, *Deus est solus*, facit sensum quòd nullam habeat in se societatem, quod est falsum, de quo plura diximus disp. 14.ar.1.ad 1.

Ad 1. Dico, ab Ecclesia ly *solum* in missa accipi syncathegorematicè; & ideo non

non dicitur absolutè de Christo Domino quòd sit sanctus, &c. sed cum addito, *cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris*, nè aliæ Personæ excludantur à sanctitate Filij.

Ad 2. Dico, in testimonio illo Io: 17. verba *vt cognoscant te solum Deum verum* appellare Patrem, & Filium, vt habentes vnitatem eiusdem naturæ cum Spiritu Sancto, adeòque totam Trinitatem, vt docet hic diuus Tho: q. 31. ar. 4. ad 1. ita vt fiat sensus, vt cognoscant te, qui cum Filio, & Spiritu Sancto es solus, & verus Deus, excludendo omne aliud à Trinitate, vt diximus disp. 19. ar. 3. ad 1. Et ratio est, quia additum exclusiuum siue cathegorematicè, siue syncathegorematicè, non potest conuenire personis diuinis, in ordine ad prædicata essentialia, nisi Personæ accipiantur simul cum alijs, ita vt exclusio non cadat supra vllam Personam, vt distinctam ab alijs, sed supra omne aliud, quod est extra totam Trinitatem. Et ideo docet Augustinus 6. de Trin. c. 7. *Dicimus solum Deum ipsam Trinitatem*. Et c. 9. subdit, *esse quidem Patrem Deum, sed non esse solum Deum. Esse autem solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*.

Ad 3. Dico, ly *solum* cadere supra Patrem, & non supra Deum, & facit sensum, quòd in diuinis sola prima Persona, quæ est Pater Christi, sit Deus Pater. Et ideo subdit, *non congeminatum, vel multi-*

ti-

tiplicem, vt ſtatuatur vnicitas paternitatis, excludendo alias Perſonas, non ab æternitate, vel alio prædicato eſſentiali proprio deitatis, ſed à prædicato perſonali paternitatis, quod ſoli conuenit primæ Perſonæ. Optimè igitur Cyrillus lib.11. in Io. c. 16. ait de Verbo incarnato, *cum ſolum Patrem Deum verum appellauit, ab hac gloria ſeipſum non ſeparauit, in Patre enim eſt, & ex Patre. Quare verus, &. ſecundum naturam Deus, & ſolus in ſolo eſt, nullus enim verus Deus eſt, præter Trinitatem.*

ARTICVLVS V.

An poſſit dici, quòd vna Perſona ſit aliud ab aliis? Vel quòd omnes ſint vnus maſculinè?

QVoad primum videtur poſſe, quia cùm dicitur, Filius eſt alius à Patre, vel ly *alius* refertur ad ſuppoſitum, vel ad naturam? Non ſecundum, uam induceret cum Arrianis diuiſionem in diuina natura. Ergo eſt verum primum. Atque adeo cùm Filij ſuppoſitum ſit verè aliud à ſuppoſito Patris, poterit verè dici abſolutè loqnendo, quòd Filius ſit aliud à Patre.

Qnoad ſecundum videtur etiam poſſe dici, quòd omnes diuinæ Perſonæ ſint vnum maſculinè, quia cùm ly *vnum* non poſſit communiter conuenire Perſonis, niſi referatur ad deitatem, ſicut

ex

ex vnitate deitatis possunt dici vnus Deus, ita possunt dici simpliciter *vnus*, subticendo mentaliter substantiuum Deus.

Conclusio, *Potest quidem dici, quòd Filius sit alius à Patre, non tamen aliud; & econuerso potest dici quòd Pater, & Filius sint vnum, non tamen masculinè.*

Probatur prima pars, ly *aliud* absolutè prolatum sumitur substantiuè, quòd est proprium generis neutrius absolutè prolati. Sicut ergo cùm dicimus, tres personas esse vnum in neutro, significamus, diuinas Personas constituere vnum Deum per se existentem, & subsistentem in vnitate eiusdem diuinæ naturæ; ita si diceremus, Filium esse aliud à Patre, significaremus, illum esse vnum per se existentem, & subsistentem in distinctione diuinæ naturæ, quod est erroneum. Hoc non sequitur ex eò quod sit alius masculinè. Quamuis enim ly *alius* refeatur ad *Deum*, quia tamen refertur adiectiuè, & syncathegorematicè, significat quidem, Filium esse alium Deum à Patre, non tamen alietate naturæ, sed suppositi, vt diximus disp. 28. ar. 4. vbi ostendimus, quòd licèt illa propositio de iure sit vera, tamen est euitanda, propter rationem inibi allatam. Benè ergo concludit Riccardus à S. Victore lib. 4. de Trinitate c. 9. post medium. *non aliud aliquid est quilibet vnus, quàm quilibet alius; & ideo in illa Trinitate*

tres

tres substantias esse negamus. Nam in rationali natura esse aliud, et aliud facit diuersitas substantiarum: esse alium, & alium facit alietas personarum. Et Augustinus tract.36.in Io. col. 5. sub finem subdit, *quid vis ire in alteram partem, vt dices, aliud est Pater, aliud filius? Alius est, rectè dicis; aliud, non rectè. Alius enim est filius, qui non est ipse qui Pater, et alius Pater, quia non est ipse qui filius, non tamen aliud, sed hoc ipsum est et Pater, et filius. Quid est hoc ipsum est? Vnus Deus est.* Et Concilium Ephesinum admittens aliud, & aliud in Christo, ob dualitatem naturæ, negat hoc in Trinitate, vt patet in tom.2. cap. 7. sub finem, vbi dicitur, *aliud, et aliud est, ex quibus Saluator constat, non est tamen alius, & alius. Absit hoc. Dico aliud est, & aliud, licèt in sacræ Triados mysterio contrarium reperiatur; ibi enim est alius, & alius, nè hypostases confundantur, non tamen aliud, & aliud, sed vnum; tres namque diuinitate vnum, & idem sunt,*

Probatur secunda pars, Primò multiplici testimonio sacræ scripturæ; nam dicitur ep.1.Io.c.5. *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Et in Euang. eiusdem cap.10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Quem locum exponens Augustinus lib.4.de Trin.c.9.sub init. ait, *ego, & Pater vnum sumus, hoc est in eiusdem natura consubstantiali parilitate.*

Et

Et lib. 5. c. 9. sub med. *cùm Pater non sit filius, et filius non sit Pater, ideo pluraliter dictum est, ego, et Pater vnum sumus. Non enim dixit, vnum est, quod Sabelliani dicunt, sed vnum sumus*. Deinde ratione, quam tangit diuus Thomas q. 31. ar. 2. ad 4. *neutrum genus est informe, masculinum autem est formatum, et distinctum, et similiter fœmininum. Et ideo conuenienter per neutrum genus significatur essentia communis; per masculinum autem, et fœmininum aliquod suppositum determinatū in communi natura. Et ideo quia in diuinis distinctio est secundùm personas, non autem secundùm essentiam, dicimus quòd Pater est alius à filio, sed non aliud; et econuerso dicimus, quòd sint vnum, sed non vnus.*

Ad 1. Nego postremam consequentiam. Et ratio est quia ly *alius* masculinè, cùm sit terminus syncathegorematicus, & adiectiuus, nihil per se significat, nisi referatur ad substantiuum, vt dictum est in organo lib. 1. ar. 2. Ergo cùm in diuinis non possit referri, nisi ad substantiuum *Deus* suppositaliter sumptum, semper supponit pro diuino supposito, de quo verè prædicatur alietas. Contra verò ly *aliud* quia substantiuatur, habet ex se completam significationem, & ideo si ponatur absolutè, importat alietatem simpliciter, quæ est secundùm substantiam, vt docet diuus Thomas in 1. d. 9. q. 1. ar. 1. his verbis, *substantiuum significatio-*

tionem suam habet absolutam, sed adiectiuum ponit significationem suam circa subiectum, Quando autem aliquid dicitur absolute, intelligitur de eo, quod simpliciter erat, sicut ens absolutè dictum significat substantiam. Et ideo quia alietas essentiæ est simpliciter alietas, ideo neutrum genus substantiuatum importat alietatem essentiæ.

Ad 2. Dico, vnum masculinè sumptum appellare vnitatem suppositalem, quam Sabellius prædicabat, non autem vnitatem simpliciter, quam tenet Ecclesia. Quia verò vnum in neutro appellat vnitatem simpliciter, hoc est circa substantiam, non exclusa alietate relationum, ideo diuinæ Personæ possunt quidem dici vnum naturaliter, non tamen vnus masculinè, nisi cum addito *Deus*, vt vnitas determinetur per adiunctum ad deitatem.

ARTICVLVS VI.

An possit dici quòd omnes Personæ sint vnius essentiæ, substantiæ, vel naturæ? Vel ex eadem essentia.

VIdetur non posse, Primò quia idē est dicere, Personas esse vnius essētiæ atq; vnius naturæ. Sed dicere personas esse vnius naturæ, nō plenè probatur D. Tho. q. 39. ar. 2. ad 3. Et rationem affert, *quia natura designat principium actus; essentia verò ab essendo dicitur.* Vnde

 in-

infert, *possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia; sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse.* Ergo neque possunt dici vnius essentiæ.

2. Quod non est expressum in sacris paginis, non debet diuinis accommodari. At in sacris paginis nunquam inuenitur, personas esse vnius essentiæ. Ergo hoc dici non potest.

Conclusio, *Potest catholicè dici, omnes diuinas Personas esse vnius essentiæ, substantiæ, & naturæ, non tamen ex eadem essentia.*

Probatur prima pars multiplici testimonio Conciliorum, & Patrum. Nam dicitur in Concilio Niceno lib.2. sub finem, *visum est omnibus nostris consubstantiale in Ecclesiastica fide definiri oportere, ad eum modum, quo & post Apostolos sancti Patres nostri fidem hanc tradiderunt, hoc est confiteri Filium, & Spiritum Sanctum eiusdem substantiæ cum Patre.* Quæ verba quia Græcanico idiomate scripta sunt, loco substantiæ, positum est verbum *vsia*, quod latinè significat essentiam, quod verbum quia non est vsitatum, vertitur latinè in substantiam. Et ideo diuus Tho. q. 29. ar. 3. ad 3. ait, *nomen substantiæ communiter accipitur apud nos pro essentia*. Et Damasus Papa exponens locum citatum ep. 5. sub init. ait, *Patres nostri trecenti decem, & octo Episcopi, habito tracta-*

tu in Vrbe Nicena, hunc murum fortissimum contra arma Diabolica statuerunt, & hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, vt Pater, & Filius vnius diuinitatis, vnius virtutis, vniusque magnitudinis debeat credi, vniusque essentia, siue substantia, simul et Spiritus Sanctus. Præterea in Toletano 6. c. 1, sub init. dicitur, *credimus, & profitemur, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnius essentia, vniusque natura*. Quod fermè similibus verbis confirmatur à Toletano XI. Bracharensi I. can. 1. & III. in symbolo, & pluribus alijs, quibus adhærent communiter Patres, quorum antesignanus sit Augustinus, qui 7. de Trin c. 6. post med. ait, *tres Personas eiusdem essentia, vel tres Personas vnam essentiam dicimus. Tres autem Personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, & aliud quod Persona*.

Ad 1. Nego maiorem, propter rationem allatam in argumento ex diuo Thoma. Ad cuius authoritatem dico, ab illo non reprobari secundum dictum, quòd sint vnius naturæ, sed illi præferri primum quòd sint vnius essentiæ. Cùm enim diuinæ Personæ non solùm habeāt actus communes ad extra, vt creare, conseruare, punire, &c. Sed etiam vnum & idem esse, earum consubstantialitas non sufficienter exprimitur per communem naturam, retenta propria significatione huius termini *natura*. Et ideo

ſubdit in loco citato, *magis exprimitur vnitas diuina per hoc quod dicitur, tres perſonæ ſunt vnius eſsentiæ, quàm ſi dicatur quòd ſint vnius naturæ.*

Ad 2. Nego minorem. Quamuis enim ſub his terminis vnius eſſentiæ, non inueniatur expreſſa vnitas Perſonarum in ſcriptura, inuenitur tamen ſub alijs æquipollentibus, nempe, *ego & Pater vnum ſumus*; *ego in Patre, & Pater in me eſt*, alijſque ſimilibus.

Probatur ſecunda pars, quia particula *ex* denotat conditionem materiæ. Ergo ſi Perſonæ eſſent ex eadem eſſentia, dicerent compoſitionem cum illa, & perfectibilitatem, contra quas toties inſurreximus, & præcipuè diſp. 18. ar. 6 & 7. Benè ergo Auguſtinus lib. 7. de Trin. c. 6. ſub med. concludit, *tres Perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres Perſonas vnam eſsentiam dicimus; tres autem Perſonas ex eadem eſsentia non dicimus.* Et affert rationem noſtræ congruentem, *quaſi aliud ibi ſit quod eſsentia, & aliud quod Perſona.*

Dices, conceſſum eſt dicta diſp. 18. ar. 6. Filium genitum eſſe de ſubſtantia Patris. Ergo vterque eſt de eadem ſubſtantia. Sed particula *de* ſignificat idem, ac particula *ex*. Ergo ſunt ex eadem ſubſtantia, adeoque eſſentia.

Nego conſequentiam. Et dico, in loco citato fuiſſe admiſſam particulam *de*, vt denotantem conditionem formæ, ſeu originis, non autem conditionem ma-

materiæ. Quia ergo particula *ex* semper denotat conditionem materię, ideo non potest dici, quòd sint ex eadem essentia. Videatur locus citatus, nam valdè proderit ad hanc rem.

ARTICVLVS VII.

An Deus sit triplex, vel Trinitas, vel tres, vel trinus?

VIdetur non posse dici, *Deus est Trinitas,* vt contendebat Porretanus. Primò quia cum ly *Deus* supponat pro habente deitatem, vt dictum est disp. 28. ar. 1. si trinitas affirmaretur de Deo, affirmaretur de omnibus, & singulis habentibus deitatem, & sic omnes Personæ seorsim essent Trinitas, quod est erroneum.

2. Si esset verum, quòd Deus sit trinitas, esset etiam verum quòd deitas sit trinitas. Hoc autem admisso, verificaretur etiam quòd deitas sit trina, quod est absurdum. Ergo non est verum illud antecedens. Probatur sequela, quia Deus & deitas conuertuntur, vt dictum est disp. 30. ar 2. Ergo sicut dicitur, Deus est trinus, ita diceretur, deitas est trina.

Conclusio, *Potest quidem dici quòd Deus sit trinus, trinitas, & tres, non tamen potest dici quòd sit triplex, neque quòd in eo sit trinitas.*

Probatur prima pars ex Lateranensi

sub Martino I. consultat. 5. can. 1. *si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, & veraciter Trinitatem in vnitate, & vnitatem in trinitate, hoc est vnum Deum in tribus substantijs vnam, eamdemque trium deitatem, condemnatus sit*. Cui deffinitioni adhærens Ecclesia, assiduò asserit, & docet, Deum esse trinum, & vnum. Et Conc. Nicænum lib. 2. col. 9. sub finem docet, *diuinitas non est vna Persona, vt Iudæi opinantur, sed tres Personæ*. Et Magister in 1. d. 4. litt. C. in fine ait, *his, & pluribus alijs auctoritatibus euidenter ostenditur, dicendum esse, & credendum, quòd vnus Deus, & Trinitas, & vna substantia tres personæ, sicut econuerso dicitur Trinitas esse vnus Deus, & tres personæ dicuntur esse vna substantia*. Relegantur quæ dicta sunt disp. 30. ar. 2. nam mirificè probant quod intendimus.

Probatur secunda, primò ex Toletano XI. in prof. fidei statuente, *Deus non triplex, sed Trinitas & dici, & credi debet*. Deinde ex Augustino, qui 6. de Trin. c. 7. ait, *nec quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, quàm simul Pater, & Filius*. Et lib. 15. c. 3. sub med. *Non Deus triplex, sed trinitas, nec quasi aliquid duplum esse Patrem, & Filium, ad simplum Spiritum Sanctum, vbi nec tria plus aliquid sunt, quàm vnum horum*. Et serm. 38. de temp. *nullo modo Deus triplex dicendus est*. 3. Ex

diuo

diuo Tho.q.31.ar.1.ad 3.dicente, *trinitas absolutè dicitur; significat enim numerum ternarium personarum, sed triplicitas significat proportionem inaqualitatis. Et ideo non est in Deo triplicitas, sed trinitas*.4.Ex diuo Bonau.in 1.d.19. dub.12.docente, *nomen trinus specialiter ad hoc inuentum est, vt significet pluralitatem in suppositis cum vnitate forma. Quia ergo hoc nomen triplex dicit distinctionem simpliciter in termino, cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partium multiplicationem; & quia in Deo non cadit multiplicatio, nec quantum ad formam, nec quantum ad partes, ideo nullo modo potest dici triplex*.

Probatur tertia ex Toletano XI. loco citato, statuente, *nec rectè dici potest, vt in vno Deo sit trinitas, sed vnus Deus trinitas*. Et ratio est, quia cùm Trinitas significet vnam, & eamdem essentiam in tribus suppositis, si diceretur, Trinitas est in Deo, videretur admitti trinitas deitatis tribus suppositatæ; & ideo non potest dici, quòd Trinitas sit trina, quia sequeretur quòd essent tria supposita Trinitatis, vt docet diuus Thomas q.31. ar.1.ad 5. quod faceret nouem res in diuinis, quod est erroneum. Hoc non euenit in vno Deo trino, in quo stabilita vnitate essentiæ; solæ plurificantur personæ; sicut etiam euenit in hoc, Deus est Trinitas.

Neque obstat, quòd Albertus 1. p.

sum. q. 45. memb. 1. ar. 2. ad 1. dicat, *Trinitas est in diuinis, & non est nisi in diuinis, & hoc est diuinis proprium*, cui videtur accedere diuus Tho. q. 31. ar. 1. in corp. cum nonnullis alijs. Siquidem exponendi sunt de inexistentia identitatis, hoc est quòd Trinitas Personarum sit in identitate eiusdem essentiæ diuinæ. Hoc autem non potest dici de alia propositione, *Trinitas est in Deo*, quia cùm *Deus* supponat pro habente deitatem, faceret sensum, quod tres habentes deitatem essent in tribus habentibus deitatem, inducendo triplicitatem Trinitatis.

Ad 1. Nego antecedens, Et dico, Trinitatem verificari de omnibus Personis simul sumptis, non autem seorsim. Et ratio est, quia Trinitas est nomen collectiuum, *quantum ad hoc, quòd importat pluralitatem suppositorum*, (vt loquitur hìc diuus Thomas ad 2.) licet non sit inquantum dicit, non puram vnitatem ordinis, quod est proprium nominis collectiui, sed etiam vnitatem essentiæ, quod est proprium diuinarum Personarum. Ergo non verificatur de Personis, nisi simul sumptis. Et hæc est ratio, cur nomen *Trinitas* appelletur à Magistro quasi collectiuum in 1. d. 22. litt. C. eo quia (vt loquitur Isidorus lib. 7. ethymol. *Trinitas appelletur quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus*. Ergo semper inuoluit in sua ratione formali numerum ternarium, qui non inuenitur in singulis Personis, docente Magistro in 1. d.

1.d.24.litt.I. *cum dicitur Trinitas, id significari videtur, quod significatur cum dicitur tres personæ*. Quia ergo vna persona non est tres personæ, ideo non est trinitas, vt concludit Hugo Victorinus tract.1. summæ sent. c.9. sub finem, *est vnum nomen, scilicet Trinitas, quod de nulla persona singulatim dicitur, sed de omnibus simul*.

Ad 2. Nego minorem. Ex eo enim quòd deitas sit trinitas, non sequitur quòd sit trina. Et ratio est, quia *trinitas* est substantiuum, & ideo fert secum suppositum, cuius numerum ternarium communicat subiecto; nomen autem *trina* quia est adiectiuum, non fert secum suppositum, & ideo non potest communicare subiecto, nisi numerum, triplicandò deitatem, quod est hæreticum. Videantnr quæ diximus disp.30.ar.2.ad 2.nam vsq;ad vltimas fibras difficultas euacuatur. Ad probationem respondeo cum sancto Thoma q. 39. ar.5. ad 3, Deum, & deitatem esse quidem idem secundùm rem, non autem secundùm modum significandi. Ergo non totum id, quod prædicatur de Deo, potest prædicari de deitate. Atque adeo sicut potest dici, Deus generat, non tamen essentia generat, ita potest dici Deus trinus, non tamen deitas trina, licèt Deus, & deitas secundùm rem sint vnum, & idem.

Dices, Deus est ratio superior ad singulas personas, sicut homo ad singula-

indiuidua. Ergo sicut de nullo indiuiduo verificatur, quòd sit omnis homo, ita de nulla persona verificatur quòd sit trinitas. Sed omnis persona est Deus. Ergo el de singulis personis verificatur trinitas, vel neque verificatur de Deo.

Diuus Thomas q.39.ar.6. ad 2 Negat antecedens, quia videlicet putat, nomen *Deus* non esse vniuersale respectu Personarum; & hanc doctrinam omnes alij communiter amplexantur. Quia tamen nos toties diximus, Deum esse vniuersale metaphysicum, quatenus est vnum in multis, absque sui multiplicatione, ideo admisso primo enthymemate, distinguo subsumptum antecedens, omnis persona diuina est Deus adæquatè, hoc est dicit totum illud, quod dicit realiter Deus, nego: est Deus inadæquatè, hoc est dicit quidem totum illud, quod est necessarium ad rationem deitatis, non tamen dicit totum illud, quod est realiter deitas, concedo antecedens. Et nego consequentiam. Quia ergo ad rationem deitatis sufficiunt perfectiones absolutæ, in quibus fundatur diuina vnitas, ideo singulæ Personæ, vt sunt Deus, dicunt singulæ omnes perfectiones absolutas, per quarum identitatem sunt vnus Deus, non tamen singulæ dicunt omnes perfectiones relatinas, in quibus fundatur Trinitas; & ideo de singulis non potest affirmari Trinitas. Et in hoc valet paritas allata, quia sicut singuli homines non sunt omnes homines, ita singulæ perso-

næ

næ non sunt omnes personæ, eò quia ad numerum personarum multiplicentur relationes, in vnitate eiusdem essentiæ, sicut in hominibus multiplicatur essentia hominis, ratione cuius homo est vniuersale logicum, quod non conuenit Deo.

ARTICVLVS VIII.

An filius possit dici principiatus, vel habere principium à Patre?

VIdetur posse vtrumque dici, Primò quia Durandus in 1.d.11.q.2.num. 20. ait, *inter personas principiantes vna est principians, & non principiata, vt Pater: alia principians, & principiata, vt filius.* Cui concinit Henricus quodl. 6.q.1.lit.K.& S.

2. Albertus 1.p.sum.q.30.memb.2.sub finem, ait, *dicens est principium verbi dicti, & verbum dictum principiatum à dicente.*

3. Athanasius penes diuum Thomam opusc.1.con. errores Græc.c.1.sub init. ait, *non est imprincipiatus Spiritus, hoc est sine principio, & causa, sed potiùs ipsũ demonstrat Deum verum; principiatum tamen non ex tempore, sed ex causa vera originis.* Quòd si Spiritus dicitur principiatus, quia est à Patre, & Filio, filius est principiatus, quia est solo Patre.

4. Ratione, omne principium actiuum est correlatiuum sui principiati. Sed Pater est principium filij, vt concessum

est disp. 18. ar. 3. Ergo filius est principiatus à Patre vt eius correlatiuus.

5. Quicumque est ab alio, tamquam à principio, habet principium. Sed filius est à Patre tamquam à principio, docente Augustino lib. 3. con. Maximinum c. 17. sub fin. *Pater principium non de principio, filius principium de principio.* Ergo habet principium.

Conclusio, *Licet posset penès catholicos concedi quod filius sit principiatus à Patre, melius tamen est hoc euitare. Non est autem concedendum, quod filius habeat principium, nisi ex adiunctis excludatur principium temporis.*

Probatur prima pars, terminus *principiatus* ex sua ratione formali significandi importat passionem, subiectionem, & minorationem, seu dependentiam. Ergo nisi ex adiunctis determinetur ad processionem, non est vsurpandus in diuinis. Neque obstat quod vsurpetur à Græcis; siquidem penès ipsos non significal, nisi correlatiunm causantis, & ideo à nonnullis exprimitur termino *causati*, vt loquitur Athanasius in quæstion. anonymis q. 4. sub med. *Filius à solo Patre causatus, & genitus, & Spiritus Sanctus ex solo Patre causatus, & procedens, sed per filium.* Et ratio est illa, quam attulimus in 1. phys. quia penès Græcos sicut confunditur causa cum principio, ita confunditur procedens cum causato, & principiato, quod non euenit penes Latinos. Et ideo optimè

docet diuus Thomas q.33. artic. 1. ad 2. *apud Græcos inuenitur de Filio, vel Spiritu Sancto dici quòd principientur. Sed hoc non est in vsu Doctorũ nostrorũ.*

Dices, Pater est maior Filio, vt Christus dixit, *Pater maior me est*, Io.14. sub finem. Quibus verbis inhærens Cyrillus lib. 2. thesauri c. 3. sub med. ait, *maior ipso Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo quia ex eo Filius est.* Quòd si Pater est maior, minor est Filius, vt intulit Gregorius Boeticus 4.to, bibliot. lib. de Trin. sub med. *etsi quia Deus, Deo æqualis est Filius, tamen quia Filius minor dicitur Patre, idest quà Filius de Patre sit; & ideo non dixit, Deus maior me est, sed Pater maior me est.* Ergo minoritas non obstat quò minùs Filius dicatur principiatus.

Nego minorem subsumptam, docente diuo Tho. loco citato, *licèt attribuamus Patri aliquid authoritatis, ratione principij; nihil tamen ad subiectionem, vel minorationem quocumque modo pertinens attribuamus Filio, vel Spiritui Sancto, vt vitetur omnis erroris occasio; secundùm quem modum Hylarius dicit 9. de Trin. donantis authoritate Pater maior est, sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.* Ad authoritatem Cyrilli, & Gregorij dico, ab illis vocari minorem Filium, non quia sit inferior, vel subiectus, sed quia est ab alio; & ideo subdit, *idest quà Filius de Patre sit, quia ex eo Filius est.* Qui tamen loquen-

quendi modus, etiam cum castigatione non admittitur à Patribus. Ergo hinc non probatur posse dici principiatum. Videatur articulus X. disp. 24. in fine.

Quòd autem posset inter catholicos vsurpari terminus *principiatus*, patet ex diuo Tho. qui q. 10. de pot. ar. 1. ad 9. ait, *non videtur indifferenter dicendum quòd Filius sit principiatus, vel etiam Spiritus Sanctus, licèt etiam hoc modo loquendi Graci vtantur, & posset apud sanè intelligentes concedi.* Tamen subdit *ea qua minorationem aliquã importare videntur, refugere debemus, nè Filio, vel Spiritui Sancto attribuantur, propter Arrianorum errorem vitandum.* Et post pauca concludit, *non est extendendum nomen subauthoritatis, vel principiati in Filio, licèt nomen authoritatis vel principij concedatur in Patre.* Ergo melius est hoc euitare, præsertim inter Latinos.

Probatur secunda pars, quia habere principium simpliciter, & absolutè importat incæptionem, hoc est initium durationis; & ideo quæ habent principium dicunt nouitatem in essendo, quæ pugnat cum æternitate. Sed Filius est Patri coæternus. Ergo non habet principium. Ex alia parte quia est à Patre secundùm originem, ideo habet principium originis, a quo est, non autem temporis, in quo inceperit. Atque adeo non potest de illo affirmari principium, nisi

nisi cum exclusione temporis, & determinatione ad originem.

Vnde patet responsio ad prima tria.

Ad 4. Nego maiorem, & dico, correlatiuum principij in diuinis non esse principiatum, sed illum qui est ab alio, vt dictum est disp.5.ar.5.& disp.6.ar.2.& in terminis disp.18.ar.3. ad 1. quod nullam dicit passionem.


Ad 5. Distinguo maiorem, quicumque est ab alio, habet principium durationis, nego: originis, concedo maioeem; & sub eadem distinctione etiam consequentiam.

Atque hæc dicta sint satis pro materia excedente humanum captum. Quæ omnia cadant in honorem, & gloriam sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Amen.

FINIS.



IN-



INDEX

Rerum Notabilium,

Quæ continentur in vtroque tomo de Sanctissima Trinitate.

A

tem

Ba-

B

C

D

prius

Er-

E

F

quæ

G

I

L

M

ce-

N

Q

Rai-

R

Con-

T

ex

V

ad

FINIS.

Errata	*Corige*
Pag 21. An possit relationibus	An possit rationibus
70. Supar allata	Supra allata
81. estentra	est extra
82. re dolere	redolere
92. Arctio	Actio
95. Sedducei	Sadducei
130. transcennit	transcendit
138. est cum actu	esset
204. Greg. Anim.	Ariminensis
215. à Genèt	à Gonet
237. realea	reales
240. quas Deus	qua Deus
256. Vt probauibus.	vt probauimus
263, substantiam	substantia
268. fit supqtio	suppositio
272. Totum naturam	totam
274. melius patebat	patebit
277. ad distinguēdos	distinguendas
279. omne realitatem	omnem
281. comparent	comparant
299. ea infinitam	& infinitam
Ibid. cum & incompatibili.	cum ea
303. habent propriam	haberent
326. alios huiusmodi	alias
327. ad saluandos	saluandas

387.

Errata	*Corige*
387. materia opinabili	opinabilis
402. Sed &	sed est
411. vt probauimus	vt probabimus
418. quæ est vnca	vnica
424. exclusa spirationes	spiratione
430. Sed hæc	sed hic
444. in essenti	in essentia
485. naturā expresa.	expressam
510 ex ad 2.	& ad 2.
531. adorentur	adoratur
545 hoc nomen filij	per hoc nomen
583 assequamus	assequamur
593. esset vnica	vnita
507. ad ergo	ad 1. ergo
598. hypostatica	hypostasim
640 manifestationi	manifestatione
655. actus, quàm	quem
658. vsurpatus	vsurpatur
669. violentia	violentiam
683. est terminus,	est obiectum
695. acciper	accipitur
740. ab intellige	ab intelligere
756. inster omnium	instar omnium
778. mullus	mulus
788. producens	procedens
Ibid. producens	procedens
805. opponatur	apponatur
831. non potest pure	non potest esse
836. volutio	volitio
842. quando nō sunt	quando sunt
844. quam Pater illū	quàm patrem
Ibid. fitius	filius

Errata	Corige
871. de paternitate	prioritate
887. diuinis amoris	diuini
900. dicit Spiritum	dici
910· nos onme	nos omnes
918. vt refert Aug.	Argentinas
939. aliter tercia	potentia
940. aduersùs Maximum	Maximinum
954. aliatos dis.22. ar.v	disp.23.ar.3.
975. qui ex eo filius est	quia
1006. formaliter eminenter |	seu eminenter
1006. significa	significat
Ibid. At diuina	ad diuina
Ibid. Conduenire	conuenire
1031 senaius	senatus
1039. quod sisi sępè	quod ibi
Ibid. de te ipso	de se ipso
1047. essentiam habet	essentia
1063. creature	creatricem
1063. exprofesos	ex professo
1073. esse alti quod	aliquod
1074. intelligimus	Adde, nisi
1076. contractum ad illa	contractam
1093. noscit bonam	nos vt bonam
1095. non audiemus	non audemus
1097. sit in diuinis	sic in diuinis
Ib. quidditates quõmodo	quodammodo
1125. non potest	non posset
1164. circumsessio	circuminrenssio

1157.

Errata	*Corrige*
1167. distinctio non præsupponit dicẽtem in diuinis	debent deleri hæc verba
Ibid. extra vitam	extra viam